THEOLOGIA

DOGMATICO-POLEMICA

THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA

CATHOLICA VERITAS

PROPUGNATUR.

RECENSUIT

P. CAROLUS SARDAGNA

SOCIETATIS JESU PRESBYTER

IN EPISCOPI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALIS.

TOMUS III.

COMPLECTENS

TRACTATUS III. DE ECCLESIA PARTEM ALTERAM.

ROMAE 1819.

APUD PIUM CIPICCHIA

Superiorum permissu.

INDEX
CONTROVERSIARUM

QUÆ IN TRACTATUS III. DE ECCLESIA PARTE ALTERA CONTINENTUR.

ARTICULUS III.

DF ROMANO PONTIFICE, VISIBILI ECAPIT ECCLESIAE.

CONTROVERSIA I.

AN B. PETRUS ROMÆ FUERIT, ET CATHEDRAM IBI EREXERIT? Num. CCLXXXII.

CONTROVERSIA II.

AN B. PETRUS JURE DIVINO HABUERIT PRIMATUM JURISDICTIONIS? CCXC.

CONTROVERSIA III.

AN ROMANUS PONTIFEX JURE DIVINO SUCCEDAT B. PETRO IN CATHEDRA, ET PRIMATU? CCCXIV.

CONTROVERSIA IV.

AN ELECTIO VEL CONFIRMATIO ROMANI PONTIFICIS JURE PROPRIO AD IMPERATORES SPECTET? CCCXLIII.

CONTROVERSIA V.

AN SOLIUS ROMANI PONTIFICIS SIT CONCILIA OECUMENICA CONVOCARE, ILLISQUE VEL PER SE, VEL PER LEGATOS SUOS PRÆSIDERE? CCCLI.

Conclusio I. Solius Romani Pontificis est munus convocandi Concilia Oecumenica. CCCLII.

Conclusio II. Ad solum Romanum Pontificem pertinet praesidere Conciliis Oecumenicis vel per se, vel per Legatos suos. CCCLVI.

CONTROVERSIA VI.

AN ROMANUS PONTIFEX SIT SUPRA CONCILIA, ETIAM OECUMENICA? CCCLXV.

Conclusio. Romanus Pontifex supremam habet in Ecclesia Dei authoritatem, omnibusque Conciliis, etiam Oecumenicis, superior est. CCCLXIX.

CONTROVERSIA VII.

AN ROMANUS PONTIFEX IN MATERIA FIDEI ET MORUM EX CATHEDRA LOQUENS SE SOLO SIT INFALLIBILIS? CDXIV.

Conclusio. Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, in quaestionibus fidei et morum, se solo est infallibilis, etiam antequam accedat consensus Ecclesiae. CDXVI.

ARTICULUS IV.

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS

CONTROVERSIA I.

AN CATECHUMENI PUBLICI AC MANIFESTI HÆRETICI, SCHISMATICI, ET EXCOMMUNICATI SINT MEMBRA ECCLESIÆ CHRISTI? CDLXXVII.

Conclusio I. Catechumeni, seu fideles, nondum baptizati, non sunt vere ac proprie membra Ecclesiae. CDLXXVII.

Conclusio II. Publici ac manifesti haeretici non sunt membra Ecclesiae Christi. CDLXXXI.

Conclusio III. Schismatici, quamvis retineant veram fidem, non sunt membra Ecclesiae. CDLXXXIV.

Conclusio IV. Excommunicati non tolerati, hoc est, publice denuntiati, et vitandi, non sunt membra Ecclesiae. CDLXXXVI.

CONTROVERSIA II.

AN FIDELES REPROBI, IMPERFECTI, MAGNIQUE PECCATORES, ET INFIDELES, SIVE HÆRETICI OCCULTI, SINT MEMBRA ECCLESIÆ? CDXC.

Conclusio I. Neque omnes praedestinati, neque soli sunt membra Ecclesiae. CDXCIII.

CONTROVERSIA III.

AN MINISTRI ECCLESIÆ A SOLO DEO ELIGANTUR, ET AN JUS ILLOS ELIGENDI JURE DIVINO AD POPULUM PERTINEAT? DXII.

CONTROVERSIA IV.

AN ORDINATIO ET VOCATIO MINISTRORUM ECCLESIÆ AD POPULUM, VEL AD LAICOS PERTINEAT? DXXVII.

Conclusio I. Potestas ordinandi non pertinet ad Laicos, id est, ad populum et Optimates. DXXIX.

Conclusio II. Vocatio, missio, seu collatio Jurisdictionis spiritualis et Pastoralis, non pertinet ad Laicos, sive ad populum et Optimates. DXXXII.

Conclusio III. Missio Lutheri et Calvini, omniumque ministrorum Ecclesiae Protestanticae non est legitima. DXXXIII.

CONTROVERSIA V.

AN EPISCOPI JURE DIVINO SINT PRESBYTERIS SUPERIORES? DXXXV.

Conclusio I. Episcopi sunt Presbyteris superiores potestate Ordinis, et quidem jure divino. DXXXVIII.

Conclusio II. Episcopi sunt Presbyteris superiores etiam potestate Judisdictionis, et quidem jure divino. DXXXIX.

CONTROVERSIA VI.

DE COELIBATU MINISTRORUM ECCLESIÆ DLIX.

Conclusio I. Coelibatus jure divino non est adnexus sacris Ordinibus. DLXI.

CONTROVERSIA VII.

DE VOTIS PRÆCIPUE MONASTICIS. DXCV.

Conclusio I. Paupertas, Castitas, et Obedientia, sunt consilia Evangelica. DCVII.

Conclusio II. Omne votum, vel promissio voluntaria Deo facta de meliori bono, etiamsi illud non sit praeceptum, est vere ac proprie cultus Dei. DCXI.

Conclusio III. Paupertas, Castitas, et Obedientia recte voventur a Religiosis. DCXIV.

ARTICULUS V.

DE ECCLESIA PURGANTE, SEU PATIENTE.

CONTROVERSIA UNICA.

AN ANIMÆ JUSTORUM EX HAC VITA DECEDENTIUM, QUIBUS ALIQUID LUENDUM SUPEREST, IN PUGRATORII POENIS DETINEANTUR, AC VIVORUM SUFFRAGIIS JUVARI POSSINT? DCXXVIII.

Conclusio I. Post condonatam culpam, atque etiam aeternae mortis reatum, saepissime adhuc superest poena temporalis persolvenda. DCXXXI.

Conclusio II. Antiquissima, sancta, ac saluberrima est consuetudo orandi pro defunctis, in hac vita nondum plene purgatis, eosque suffragiis juvandi. DCXXXIII.

ARTICULUS VI.

DE ECCLESIA TRIUMPHANTE.

CONTROVERSIA I.

CONTROVERSIA II.

CONTROVERSIA III.

CONTROVERSIA IV.

DE CULTU SANCTORUM. DCXCVIII.

Conclusio. Sancti in coelis regnantes licite ac recte ab Ecclesia coluntur cultu sacro, et duliae. DCCII.

Quaesitum I. An Sancti coli debeant, ac possint cultu duliae absoluto, vel tantum respectivo? DCCVIII.

II. An Sancti adorari possint cultu latriae, non absoluto quidem, sed relativo? DCCIX.

CONTROVERSIA V.

DE INVOCATIONE SANCTORUM DCCXX.

Conclusio I. Sancti cum Christo in coelis regnantes orant pro nobis saltem in genere DCCXXII.

Conclusio II. Sancti cum Christo in coelis regnantes orant pro nobis non in genere tantum, sed etiam in particulari. DCCXXIII.

Conclusio III. Licita, utilis, et laudabilis est Sanctorum invocatio. DCCXXVII.

CONTROVERSIA VI.

DE CULTU SANCTARUM RELIQUIARUM. DCCL.

Conclusio. Pius, licitus, atque utilis est Sanctarum Reliquiarum cultus. DCCXXXIII.

CONTROVERSIA VII.

DE USU ET CULTU SACRARUM IMAGINUM. DCCLXXVIII.

CONTROVERSIA VIII.

DE CULTU ET ADORATIONE CRUCIS, AC RELIQUORUM PASSIONIS DOMINICÆ INSTRUMENTORUM. DCCCXII.

Conclusio II. Imagines Sanctae Crucis, tam pictae, quam ex alia quacunque materia fabricatae, sunt adorandae. DCCCXXI.

Conclusio III. Antiquissimus ac saluberrimus est usus formandi Crucem in aere, fronte vel pectore. DCCCXXVII.

Quaesitum I. Quo genere cultus adoranda sit Crux vera, aut imago illius, sive picta, sive ex materia quacunque fabricata? DCCCXXIV.

II. An cultus, qui verae Cruci, aut Crucis imagini defertur, sit supremus cultus latriae? DCCCXXV.

S. LEO MAGNUS Epist. LXXXIX.
ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos.

HUJUS MUNERIS SACRAMENTUM ITA DOMINUS AD OMNIUM POSTOLORUM OFFICIUM PERTINERE VOLUIT, UT IN BEATISSIMO PETRO, APOSTOLORUM OMNIUM SUMMO, PRINCIPALITER COLLOCARET; UT AB IPSO QUASI QUODAM CAPITE, DONA SUA VELUT IN CORPUS OMNE DIFFUNDERET, UT EXORTEM SE MYSTERII INTELLIGERET ESSE DIVINI, QUI AUSUS FUISSET A PETRI SOLIDITATE RECEDERE. --- CUI QUISQUIS PRINCIPATUM AESTIMAT DENEGANDUM, ILLIUS QUIDEM NULLO MODO POTEST MINUERE DIGNITATEM, SED INFLATUS SPIRITU SUPERBIAE SUAE, SEMETIPSUM IN INFERNA DEMERGIT.

TRACTATUS III.

DOGMATICO - POLEMICI DE ECCLESIA PARS POSTERIOR

ARTICULUS III.

DE ROMANO PONTIFICE, VISIBILI CAPITE ECCLESIAE.

CONTROVERSIA I.

AN B. PETRUS ROMÆ FUERIT, ET CATHEDRAM IBI EREXERIT?

Contra Marsilium, Wickleffum, Protestantes

CCLXXXII.

B. *Petrum* Apostolorum Principem, Romanae Urbis primum Episcopum fuisse, ibique sub Nerone in crucem actum esse, adeo explorata res fuit omnibus temporibus, ut nullus Haereticorum ante saeculum XIV. in dubitationem id vocare ausus fuerit. Primus itaque omnium, qui docuit B. Petrum neque Episcopum Romanum fuisse; neque Romam unquam vidisse, fuit Marsilius Patavinus, a Joanne XXII. A. C. 1327. speciali Decreto ob impia et schismatica scripta damnatus. Errorem hunc posterioribus temporibus adoptarunt

Joannes Wickleffus, Mart. Lutherus in Colloq. mensalibus Cap. de Antichristo. Udalricus Velenus, Illyricus Lib. contra Primatum Papae. Magdeburgenses Centuriatores Cent. I. Lib. II. Cap. X. Claudius Salmasius, Fridericus Spanhemius Dissertatione de temere credita Petri in Urbem Romam profectione. Calvinus L. IV. Instit. Cap. VI. Paragr. XV. scribit: *Propter Scriptorum consensum non repugnat, quin Petrus Romae mortuus fuerit, etsi Episcopum fuisse, praesertim longo tempore, persuadere nequeat.* Ratio autem; ob quam Calvinus Romanum Petri Episcopatum negavit, alia non est, quam quia Primatum Romani Pontificis summa contentione impugnavit.

CCLXXXIII. *Conclusio.* B. Petrus Romae fuit, et Cathedram Episcopalem ibi erexit, in qua primus sedit Episcopus Romanus. Prob. I. ex Epist. I. ipsius *S. Petri*, in qua Cap. V. v. 13. dicitur: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta.* Nomine autem Babylonis Urbem Romam intelligi asserunt Patres, Papias apud Eusebium L. II. Hist. Cap. XV. S. Hieronymus L. de Script. Ecclesiast. Beda in I. Epist. B. Petri, Oecumenius etc. II. ac praecipue, ex tota antiquitate Patrum Graecorum et Latinorum. S. Irenaeus L. III. adv. Haer. Cap. I. ait: *Matthaeus Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent Ecclesiam.* S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium L. II. Hist. Cap. XXIV. *Petrus et Paulus, cum et nostram Corinthi, et vestram Romae Ecclesiam fundassent -- eodem tempore pariter martyrium subierunt.* Clemens Alexandrin. apud Eusebium L. VI. Hist. Cap. XI. *Cum Petrus Verbum Dei Romae pu*

blice praedicaret, et Spiritus Sancti instinctu Evangelium Christi exponeret. Tertullianus in Scorpiaco Cap. XV. *Vitas Caesarum legimus: Orientem fidem primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur.* Et Lib. IV. adv. Marcionem Cap. V. *Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* S. Cyprianus Epist. LV. ad Cornelium: *Navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* S. Optatus Milevitanus L. II. contra Parmenianum. *Negare non potes scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse constitutam, in qua sederit omnium Apostolorum caput.* S. Athanasius L. de Fuga sua Cap. XVIII. *Petrus, qui sese metu Judaeorum absconderat, et Paulus Apostolus, qui in sporta demissus sic evaserat, his auditis verbis: oportet vos Romae martyrium subire, profectum non distulere suum, immo potius gaudentes abierunt.* S. Leo M. Serm. LXXX. Cap. III. *Cum duodecim Apostoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, Beatissimus Petrus, Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quae in omnium Gentium revelatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Idem testantur *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. VI. Illuminatorum. *S. Epiphanius* Haer. XXVII. *S. Chrysost.* Hom. II. in Epist. ad Rom. *Paulus Orosius* L. VII. Hist. Cap. IV. *S. Hieronymus* Epist. ad Damasum, *S. Augustinus* L. II. contra Litteras Petiliani Cap. LI. et Lib. I. contra Julian. Cap. IV. *Sulpicius*

Severus Lib. II. Hist. Sacrae: adeo ut dici possit, nullam unquam traditionem fuisse, quae majore testium numero cingatur; deque Petri adventu in Urbem Romam, et Episcopatu dubitare non posse, quin omnia Historiae fundamenta convellantur. Vide *Augustinum Calmet* in Dissert. praeposita Epistolis Canonicis, *Natalem Alexandrum* in Hist. Eccles. Saeculi I. Dissert. XIII. *Antonium Sandini* in Disputationibus historicis ad Vitas Pontificum, Disputat. III.

OBJECTIONES.

CCLXXXIV. *Objicitur I.* Infirmitas argumenti, quod ex Epistola I. B. Petri ducitur. Ex una parte nulla datur ratio dicendi, quod Babylonis nomine Roma intelligatur: Ex altera parte potuit illa Epistola a B. Petro scribi Babylone Chaldaeae, vel Aegypti. Ergo ex illo loco non evincitur Petri adventus in Urbem Romanam. R. N. A. quoad utramque partem. Rationes complures, quibus per Babylonem Romam intelligi probatur, afferunt *Henricus Valesius* in Notis ad Eusebii Historiam, et *Hugo Grotius* in Criticis sacris, Annotat. in Epist B. Petri. I. est authoritas Patrum, et veterum Scriptorum. II. Quia etiam in Apocalypsi B. Joannis Babylonis nomine Roma intelligenda est, teste *Tertulliano* adversus Judaeos Cap. IX. et contra Marcionem L. III. Cap. XIII. Item *S. Augustino* Lib. XVIII. de Civit. Dei Cap. XXII. Mirum sane est, litem hic nobis intentari a Protestantibus, qui Romanam Ecclesiam meritricem esse Babylonicam passim impudentissime clamitant. III. Quia Roma gentilis magnitudine, potentia, impietate, ac idolorum cultu veterem Baby-

lonem aequabat. IV. Quia ut Babylonii Judaeos in servitutem redegerant, sic Romani tunc Judaeos ditioni suae subjecerant. V. Evitandi periculi causa id egit B. Petrus; nolebat enim commorationis suae locum omnibus esse notum, timebatque, ne forte Epistola sua Gentilibus tradita, palam fieret, plurimos Romanorum Christo nomen dedisse, atque inde contra ipsos persecutionis causa nasceretur; ac propterea Romam arcano Babylonis vocabulo nuncupavit. Sic etiam B. Paulus liberationis suae certiorem faciens Timotheum, dissimulato Neronis nomine, scribit II. ad *Timoth.* Cap. IV. se liberatum de ore Leonis. Caeterum verisimile non est, Epistolam illam scriptam fuisse a B. Petro Babylone Chaldaeae. Nam *Josephus Flavius* Lib. XVIII. Antiquit. Judaic. Cap. IX. refert, Caji Caligulae aevo Hebraeos omnes illic et in Assyria tota habitantes expulsos fuisse, et internecione deletos; civitatis vero, praeter nomen, muros, et sparsa domicilia ruderaque, vix remansisse aliquid. Neque scripta fuit Babylone Aegypti; quia is obscurus plane locus erat, nec Urbis nomine tunc dignus; ut vel ex eo patet, quod cum multa Concilia firmata subscriptionibus Episcoporum edita fuerint, nusquam inter eos Episcopus Babylonis Aegyptiacae inveniatur, nisi primum saeculo V. in Concilio Chalcedonensi, in cujus Actis Cyrus ejus Urbis Episcopus nominatur.

CCLXXXV. *Objicitur II.* Silentium S. Lucae, et Gentilium Historicorum. Si Petrus Romam adiisset, ibique Episcopalem Cathedram erexisset, S. Lucas diligens Scriptor Actuum Apostolicorum profectionis hujus mentionem fecisset. Atqui in illis nullum extat hujus rei vestigium. Ergo. II. Neque Scriptores Ethnici,

Suetonius, Cornelius Tacitus etc. hujus Romanae profectionis et commorationis meminerunt, facturi utique mentionem, si Petrus, Christianorum Caput, Romae sedisset. Ergo. R. N. M. Institutum D. Lucae fuit narrare potissimum res gestas a B. Paulo praeceptore suo, non vero facta aliorum Apostolorum omnia singillatim describere. Quamquam nec ea omnia, quae spectant ad B. Paulum, Lucas memoriae prodidit, ut observat *S. Hieronymus* in Cap. II. Epist. ad Galatas. Sic ne verbo quidem meminit dissidii inter Apostolorum Principes Petrum et Paulum Antiochiae exorti ob legalium observationem. Ad II. R. Gentilium Scriptorum silentium nihil officere veritati. Cum enim Christiana ipsa religio despicatui haberetur ab Ethnicis, operae pretium non esse existimabant, eorum gesta perstringere, quos acerbissime insectabantur, et contemnebant.

CCLXXXVI. *Objicitur III.* Silentium B. Pauli, qui Romam veniens, cum Fratres illi occurrissent, Petrum non habuit obvium. II. Romae ad Ephesios scribens, mentionem Petri non facit; cum tamen perpetua fuerit Pauli consuetudo, ut, Collegarum suorum nomine, fideles salutaret, ad quos litteras exarabat, ut patet ex Epist. ad *Coloss.* ad *Onesimum*, et II. ad *Timoth.* III. Ipse ad Romanos scribens, Andronicum, Juniam, Ruffum, aliosque notos salvere jubet; Petri autem ne meminit quidem. IV. ad *Timoth.* Cap. IV. scribit: *Nemo mihi adstitit: sed omnes me derelinquerunt.* Ergo, ne Petrus perfidiae arguatur, dicendum est eum Romae non fuisse. R. ad I. et II. Petrum non omni tempore quo Romanum Episcopatum gessit, Romae moratum esse; sed varias saepius peragrasse provincias; quo eum Ecclesiarum cura et sollicitudo tra-

hebat. Quando igitur Paulus ad fideles scripsit, aut quando Romam pervenit, potuit Petrus Roma ad tempus abfuisse. Ad III. Paulus ad Ecclesias scribens, non semper illarum Episcopos salutavit. Sic in Epistola ad Ephesios Timothei non meminit, nec Jacobi in Epistola ad Hebraeos. Ad IV. Apostolus verbis illis indicat derelictum se fuisse ab omnibus, qui authoritate sua juvare illum poterant apud Caesarem: talis autem Petrus certe non erat.

CCLXXXVII. *Dices.* Si Petrus Romae fuisset, atque Ecclesiam ibi fundasset, Judaei Romae morantes Act. Cap. XXVIII. ubi Paulus Romam advenit, eum non statim rogassent, ut quid ipse de Christianorum secta sentiret libere exprommeret. *Rogamus autem* ajebant, *a te audire quae sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* R. N. A. Citata verba non fuere omnium Judaeorum, sed aliquorum tantum, qui Christianam Religionem nondum amplexi erant. Cum enim scirent, Paulum in Lege versatissimum esse, eum optabant disputantem audire de Christiana Religione, quae odium et offensionem Synagogae incurrerat. Horum desiderio ut satisfaceret Apopostolus, praedicavit illis Jesum Christum. Caeterum ante adventum Pauli plures Christianos Romae fuisse perspicuum est ex Apostoli Epistola, quam, ante suum adventum, ad Romanos scripsit: in illa enim Cap. I. v. 8. ait: *Primum quidem gratias ego Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.*

CCLXXXVIII. *Objicitur IV.* Apostolatus D. Pauli. Apostolus Epist. ad *Galat.* Cap. II. asserit Petro demandatum fuisse Evangelium circumcisionis, sibi

vero creditum Evangelium praeputii, sive Gentilium. Ergo cum temporibus Claudii Imperatoris Judaei Roma ejecti fuerint, non est credibile, quod Petrus in alienam messem, nempe Pauli, falcem immiserit. Ergo Romam non adiit. R. Omnes Apostolos annuntiasse Legem Christi indiscriminatim Gentilibus et Judaeis: siquidem Christus omnibus Apostolis praecepit Marci Cap. XVI. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.* Petro itaque demandati fuere Judaei, Paulo Gentiles, non eo sensu, quod Paulo fas non fuerit Judaeos, aut Petro Gentiles ad fidem Christianam adducere: legimus enim Cornelium Centurionem a Petro baptizatum fuisse, et Christum in Synagogis Judaeorum frequentissime a Paulo annuntiatum: immo Petrum de se ipso affirmasse Act. Cap. XV. v. 7. *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere*: sed in eo sensu intelligenda sunt ea verba, quod Paulo praecipua esset cura Gentium, Petro Judaeorum. Cum autem eo tempore magna esset Judaeorum multitudo Romae, Petrus eam in urbem se contulit ad annuntiandam Judaeis praecipue Christi fidem. Ejectis autem Roma Judaeis decreto Claudii, Imperii ejus anno IX. Petrus Antiochiam profectus est, Ramamque postliminii jure sub Nerone Principe repetiit.

CCLXXXIX. *Objicitur V.* Incertitudo circumstantiarum. Non potest definiri tempus, quo Petrus Romam profectus fuerit, aut quanto tempore Romanum Episcopatum gesserit, cum ipsi Scriptores Catholici in eo assignando inter se non conveniant. Ergo ex hoc dissensu colligitur falsitas hujus historiae. R. C. A. N. C.

Quamvis non certo constet, quot annis B. Petrus Cathedram Romanam a se erectam tenuerit, quo tempore Romam primo attigerit, quove Neronis anno gloriosam mortem pro Christo obierit; cum dissensus hic non circa facti substantiam, sed circumstantias aliquas versetur, Historiae veritatem nullo modo evertit. Contingit enim saepius, ut de facti veritate constet, tempus autem, quo id contigerit, certo determinari nequeat. Quid certius Christi nativitate, ac morte? Quid tempore, quo natus ac mortem passus est, incertius?

CONTROVERSIA II.

AN B. PETRUS JURE DIVINO HABUERIT PRIMATUM JURISDICTIONIS?

Contra Protestantes.

CCXC.

An *B. Petrus* jure divino habuerit Primatum Jurisdictionis, idem sonat apud Catholicos Theologos, ac an B. Petrus a Christo Domino constitutus fuerit Caput visibile totius Ecclesiae, et Vicarius Christi. Primatus itaque Jurisdictionis, ut in praesentiarum lites omnes cum Catholicis Doctoribus vitemus, saltem in his collocari debet. I. Quod Romano Episcopo, tanquam Capiti, omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbat, ita ut ipsius sit invigilare Canonum observantiae et executioni per universum orbem Christianum, rebelles et contumaces poenis Canonicis coercendo. II. Quod Canones et leges ad fidem et mores pertinentes, a Romano Pon-

tifice latae pertineant ad omnes et singulas Ecclesias totius orbis Catholici, omnesque in conscientia teneantur illis obtemperare, saltem quamdiu Ecclesia non reclamat, nec contradicit. III. Quod in controversiis fidei ac religionis praecipuae sint partes Summi Pontificis, neque quidquam in Ecclesia magni momenti definiri possit, quin ad ipsum referatur: cum ille sit primarius Judex, dignitate et auctoritate praecipuus, ad quem majores causae Ecclesiae referendae sunt. IV. Quod Romanus Pontifex dispensare possit a legibus, etiam a Concilio Generali latis, saltem juxta regulas dispensationum a Conciliis praescriptas, et in iis casibus, in quibus ipsum Concilium dispensaret. V. Quod Romanus Pontifex jus habeat convocandi Concilia Generalia, eisque vel per se, vel per legatos suos praesidendi. Dixi, Primatum *saltem* in his collocandum esse. Omnes enim ferme totius orbis Catholici Theologi, exceptis Gallis iisque non omnibus, praeter ea quae paulo ante enumeravimus, ad rationem Primatus pertinere dicunt, ut Romanus Pontifex authoritatem habeat supra omnia Concilia, utque idem se solo in rebus fidei et morum sit infallibilis, solusque plenitudinem Ecclesiasticae Jurisdictionis habeat. Verum cum ipsa ab Ecclesia nondum perspicue definita fuerint, nosque in praesenti controversia dogmatica cum solis Sectariis manus conseramus, naturam Primatus Jurisdictionis per particulam *saltem* ita limitavimus, ut nulli Theologorum Catholicorum displicere possit.

CCXCI. Primatum a Christo Domino B. Petro collatum fuisse inficiati sunt nostrorum temporum Novatores, Lutherus et Calvinus, probe perspicientes, eundem Romano Pontifici denegare minime posse, si

illum in Petro admitterent. Eorum sequaces Protestantes cum diffiteri non possint, S. Petrum inter Apostolos primum fuisse, Primatum illum jurisdictionis esse negant, ac primos dumtaxat ordine agnoscunt cum sanctum Petrum; tum Romanos Pontifices illius successores; primos inquam inter pares: et illum quantuluscunque est, primatum honoris juris esse divini inficiantur. His proxime accessit *Edmundus Richerius*, Sorbonici Collegii Doctor ac Syndicus, qui Libro de Ecclesiastica ac politica potestate anno 1611. edito, Primatum Petri convellit, docens, Christum non immediate Petro claves contulisse, sed Ecclesiae, a qua proin B. Petrus eas acceperit. Verum infelix liber an. 1612. a Senonensi Synodo, Praeside Cardinale Perronio, proscriptus est, tanquam continens propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, et, ut sonant, haereticas, schismaticas; ipseque Richerius ad palinodiam compulsus, librum suum subjecit judicio Ecclesiae Catholicae. Primatum Jurisdictionis B. Petri, ac Romani Pontificis ferme subvertere atque abolere conatus est *Ludovicus Ellies Du Pin* in suis de antiqua Ecclesia dissertationibus, et nuperus Scriptor sub ementito *Justini Febronii* nomine delitescens, cujus liber solemni Decreto a *Clemente XIII.* damnatus est.

CCXCII. *Conclusio.* B. Petrus jure divino Primatum habuit potestatis et Jurisdictionis. Prob. I. authoritate Scripturarum. Matth. Cap. XVI. ait Christus ad Petrum. *Beatus es Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam --- Et tibi*

dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis. Et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Ex quibus hoc instruitur argumentum. Ille est caput Ecclesiae, et Vicarius Christi jure divino, qui est fundamentum Ecclesiae, cuique traditae sunt a Christo claves coelorum. Atqui B. Petrus est fundamentum Ecclesiae, illique traditae sunt claves coelorum a Christo. Ergo. P. M. Fundamentum id est in aedificio, quod Caput in corpore, quod Paterfamilias in domo: traditio clavium denotat collationem supremae potestatis. Cui enim claves traduntur v. g. civitatis, is ex communi hominum sensu instituitur Dominus, aut Gubernator civitatis. Quinimmo ipsa Scriptura per claves denotat supremam potestatem in sacra, ut patet ex Capite XXII. *Isaiae*, ubi futura Eliacim institutio in Summum Sacerdotem his verbis exprimitur. *Dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit, qui aperiat.* Ergo ille est caput Ecclesiae et Vicarius Christi, qui constitutus est fundamentum Ecclesiae: et cui traditae sunt claves regni coelorum. Minor patet expendenti verba citata. Christus ait Petro: *Beatus es Simon Bariona.* Tu Simon, Filius Joannis, ut sic ab altero Simone Cananaeo discerneretur, es beatus. *Et ego dico tibi.* Tibi, Filio Joannis, et non alteri, non Jacobo, non Joanni, sed tibi. *Quia tu es Petrus.* Tu, et non alius, non solum vocaris, sed es Petrus, saxum, petra ingens, rupes magno aedificio ferendo idonea. *Et super hanc Petram*, super hanc ipsum, de qua modo locutus sum, et non super aliam. *Aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni coelorum*, tibi singillatim Si-

moni Barionae, non alteri, non Jacobo, non Joanni, sed tibi.

CCXCIII. Alter decretorius locus habetur *Joan.* Cap. XXI. Postquam Christus bis interrogavit Petrum, *Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas.* Ex quibus hoc efflorescit argumentum. Ille est Caput totius Ecclesiae et Vicarius Christi, qui a Christo jussus est cum authoritate praeesse, et regere universam Ecclesiam. Atqui solus Petrus cum authoritate praeesse, et regere universam Ecclesiam a Christo est jussus. Ergo solus Petrus est caput totius Ecclesiae, et Vicarius Christi, non vero caeteri Apostoli. P. M. Ille est caput Reipublicae politicae, qui ei cum authoritate praeest, eamque regit. Ergo a pari. Minor patet iterum laudata verba consideranti. *Simon Joannis amas me?* Tu ne me amas Simon Bariona? *Dixit ei*, ei, inquam, Simoni Barionae, non alteri Apostolorum. *Pasce oves meas.* Esto pastor mearum ovium, fungere officio Pastoris, qui non tantum oves ad salubria pascua ducit, verum etiam illas a pascuis reducit, tuetur a lupis, baculo coercet, et castigat. *Oves meas.* Esto Pastor ovium mearum, quae ad meum ovile pertinent. Ergo cum omnes fideles sint oves Christi, omnesque pertineant ad unum ovile, quia Christus, ut scribit S. Augustinus Tractat. XXIII. in Joan. *Omnes oves fecit suas, pro quibus omnibus est passus*, Petrus constitutus fuit a Christo Pastor universalis Ecclesiae, non laicorum tantum, qui per agnos, sed Episcoporum etiam, qui per oves significantur, ut observat S. Eucherius Lugdunensis Serm. in Vigilia SS.

Apostolorum Petri et Pauli: *Dicit ei Jesus, pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres: regit subditos, regit et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est.*

CCXCIV. Accedunt alia argumenta ex Scripturis petita, quibus evincitur, non modo dignitate et honore, verum etiam auctoritate et potestate primum Apostolorum omnium fuisse Petrum. Hac de causa Evangelistae dum numerum Apostolorum recensent, eorumque nomina recitant, semper exordiuntur a Petro, atque inter omnes primum fuisse declarant *Matth.* Cap. X. v. 2. *Lucae* Cap. VI. v. 13. Praeterea *Act.* Cap. v. 15. Petrus se caput, ducem et Principem Apostolorum omnium declaravit, cum ex consessu Apostolico primus assurgens, duodecimi Apostoli creationem verbis gravissimis, supremamque suam potestatem significantibus, indixit ac denunciavit. In Apostolico autem Jerosolymitano Concilio, ubi Jacobus aderat Jerosolimitanus Episcopus, ubi aderant Paulus et Barnabas, omnium primus surrexit Petrus, verbaque fecit, quo loquente, atque sententiam dicente, *Tacuit omnis multitudo.* Act. Cap. XV. v. 12, omnesque illi assensi sunt.

CCXCV. Prob. II. unanimi tam Graecorum, quam Latinorum Patrum authoritate. Origenes in Cap. VI. Epist. ad Rom. scribit: *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis exigitur.* Eusebius L. II. Hist. Eccles. Cap. XIV. Petrum vocat *fortissimum, et*

maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium Principem, et Patronum. S. Basilius Proemio de judicio Dei. *Beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt.* S. Cyrillus Alexandrin. Lib. XII. in Joan. *Prae aliis emicat ille caeterorum caput, ac Princeps, et ait: tu es Christus Filius Dei vivi.* S. Epiphanius Haer. LI. *Petrum Discipulorum suorum Principem elegit.* E Latinis Tertullianus in Scorpiaco Cap. X. *Si adhuc clausum putas coelum, memento claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* S. Optatus Milevitanus L. I. contra Parmenianum. *Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit.* S. Hieronymus Lib. I. ad Jovinianum Cap. XIV. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* S. Augustinus Lib. XXII. contra Faustum Cap. LXX. *Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiae; sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius Sinagogae?* Lib. II. de Bapt. contra Donat. Cap. I. *Caeterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui praeferendum? Sed si distat Cathedrarum gratia, una est tamen Martyrum gloria.* Tract. CXXIV. in Joan. *Cujus Ecclesiae Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam.* S. Leo M. Serm. III. de Assumpt. sua ad Pontificatum: *De toto mundo unus*

Petrus eligitur, qui et universarum Gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. S. Gregorius M. Lib. IV. Epist. XXXII. *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod beatissimo omnium Apostolorum Principi Petro dominica voce totius Ecclesiae cura commissa est.* S. Bernardus L. II. de Considerat. Cap. VIII. expendens illa Christi verba ad Petrum, *pasce oves meas*, ait: *Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

CCXCVI. Quaeres I. Cum Apostoli omnes summa praediti fuerint potestate, atque a fide deficere non possent, quamnam specialem praerogativam B. Petro Primatus contulerit, ob quam caeteris Apostolis esset praeferendus? R. cum Illustrissimo *Petro de Marca*, Exercitatione de singulari Primatum Petri, duplicem fuisse praerogativam. I. quod Apostoli ex officio obligati fuerint ad unionem et communionem cum Petro tanquam Capite conservandam, Ecclesiasque per provincias instituerint ea lege, ut Petrum tanquam Ecclesiae Caput respicerent, ejusque regimini subjicerentur. Christus enim, ut Ecclesiae unitatem solidaret, uni claves tradidit, et super Petrum, tanquam petram solidissimam, totius aedificii molem imposuit. II. Quod causas communes ad universalis Ecclesiae disciplinam pertinentes, Apostoli ad Petrum, tanquam Apostolici collegii et Ecclesiae Principem, discutiendas referre debuerint: quod factum est a Paulo in quaestione de rituum Judaico-

rum usu a Gentilibus ad fidem conversis retinendo, vel repudiando, quae a Petro in Concilio Apostolico, Jacobo dein, caeterisque in ejus sententiam euntibus, decisa fuit.

CCXCVII. *Quaeres II.* An B. Paulus fuerit cum B. Petro Episcopus Romanus vere ac proprie talis? R. affirmative cum *Daniele Papebrochio* in Exhibitione errorum Parte I. Artic. VII. Prob. assertio authoritate Patrum et Pontificum. *S. Irenaeus.* L. III. adv. Haer. Cap. III. scribit, Ecclesiam Romanam a Sanctis Apostolis Petro et Paulo institutam ac fundatam fuisse. S. Epiphanius Haer. XXVII. *Romae primum omnium Petrus et Paulus fuerunt Apostoli pariter et Episcopi. - - utcunque res habuerit, Romanorum Pontificum ista est successio : Petrus et Paulus, Linus etc.* S. Leo M. Serm. I. in natali Apostolorum de SS. Petro et Paulo scribit: *Hi Patres sunt tui, Roma, verique Pastores.* S. Gregorius M. Lib. I. Moral. *Duo illi, quos praecedentes, seque invicem manu inserta vides complectentes, Beati Apostoli sunt Petrus et Paulus. Reliqui vero, quos post eos cernis stantes, ipsi sunt successores eorum, hujus Apostolicae Sedis Pontifices, et eodem ordine, quo eos in Episcopatu sunt secuti, etiam nunc eos sequuntur.* S. Hadrianus I. in Epist. ad Constantinum et Irenem : *Hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam Orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem, veluti legibus latis, fidem suam servandam praeceperunt, omnibus scilicet, qui in Sedes illorum* (Romanas) *successuri erant,* S. Gregorius VII. in Concilio Romano. *Beate Petre, Princeps Apostolorum, et tu Beate Paule Doctor Gentium - - ad vestram specialem Ecclesiam redii - - in Throno vestro valde indi-*

gnus sum collocatus -- gravissimum pondus Ecclesiae vestrae supra me posuistis. S. Bernard. Epist. CCXLII. ad Romanos: *Petrum et Paulum in vicario et successore suo Eugenio sedibus suis effugastis.*

CCXCVIII. Neque mirum videri debet, Paulum cum Petro eodem tempore Romanae Urbis Episcopatum gessisse, cum Petrus initio nascentis Ecclesiae non incongruum, immo necessarium duxerit plures pro sola Urbe Romana consecrare Episcopos, Linum nempe, Cletum, et Clementem, ut testantur *S. Irenaeus* Lib. III. adv. Haer. Cap. III. et *Tertullianus* Lib. de Praescript. Cap. XXXII. qui ipso vivente, sed ad praedicandum Evangelium diutius abfuturo,, Episcopalia obirent munia intra Romanam Urbem, extraque illam in vicinis locis, mortuo autem sibi succederent, accedente novo Cleri Romani, populique consensu.

CCXCIX. Quamvis autem Paulus cum Petro Episcopus Romanus fuerit, minime tamen sequitur propugnari hic a nobis doctrinam *Antonii Arnaldi* Ecclesiam bicipitem statuentis, quam Anno 1647. *Innocentius X.* solemni Decreto ut haereticam merito proscripsit. *Sanctissimus*, ita sonant verba decreti, *propositionem hanc: S. Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiae Principes, qui unicum efficiunt. Vel: sunt duo Catholicae Ecclesiae Coriphaei, ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti. Vel: sunt geminus Universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiae summi Pastores, ac Praesides, qui unicum Caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, et regimine Universalis

Ecclesiae, haereticam censuit, et declaravit. Fatemur enim Paulum inferiorem fuisse Petro, eique subordinatum: Paulum Episcopum quidem Romanum fuisse, sed non ordinarium, neque Caput Ecclesiae: Authoritatem SS. Petri et Pauli non aequali modo in eorum Successores Romanos Pontifices fluxisse; sed Episcopalis quidem ab utroque, a Petro autem singulariter Apostolica authoritas, conjuncta cum praerogativa Supremi Capitis, et quidem jure divino, ut sequenti Controversia ostendemus.

CCC. Dixi, in Romanos Pontifices a B. Petro singulariter derivari *Authoritatem Apostolicam*, vi cujus juxta communissimam ac veram Theologorum Catholicorum sententiam, possunt illi fidem ubique Gentium jure suo praedicare, ubique novas Ecclesias instituere, institutas confirmare, collapsas erigere, errantes ad rectum veritatis tramitem revocare, ferre leges, judicia exercere, controversias dirimere, dogmata infallibili judicio definire, suprema in omnes potestate Ecclesiam universam administrare. Derivatur itaque a B. Petro in Romanos Pontifices Apostolica authoritas; non tamen ipse Apostolatus, siquidem haec vox in proprio ac stricto sensu sumatur; praeterquam enim quod Apostoli dicantur primi tantum Evangelii Legati, a Christo missi, ad Apostoli stricte sumpti officium requiritur, juxta communem sententiam, potestas patrandi miracula, et scribendi libros Canonicos, qui sint Scriptura divina. Atqui haec convenire Petri successoribus, nemo dixerit.

CCCI. Qui Ecclesiam bicipitem fuisse volunt, et B. Paulum, renitentem quamvis, in partem Primatus vocant, frustra ad Patrum authoritatem, ad effata Pon-

tificum, aut veteres picturas confugiunt, in quibus dexterum latus B. Paulus, sinistrum B. Petrus occupat. Nam I. Patres quidem ambos Apostolos vocant Praefectos Ecclesiae, Romanae Ecclesiae Patres ac fundatores, Sanctorum Coryphaeos, oculos Romae, Ecclesiarum Principes, Episcopos Romanos; at nunquam vocant duo suprema Ecclesiae Capita, aut Episcopos Romanos non modo quoad munus docendi, sed etiam quoad authoritatem regendi Ecclesiam universalem. Quare illi honorum tituli ostendunt B. Paulum aequalem fuisse B. Petro in authoritate Apostolica, non vero in Primatu. Quod si dicas B. Paulo Primatum denegari non posse, quod Episcopus Romanus fuerit, Respondeo Paulum Episcopum Romanum fuisse, non ordinarium, sed extraordinarium, propter Apostolicum munus, quod jus Episcopale ubique terrarum omnibus Apostolis conferebat; et Primatum in universam Ecclesiam alligatum esse Pastoribus ordinariis Ecclesiae Romanae. II. Pontifices Romani Successores se dicunt SS. Apostolorum Petri et Pauli successione reali, non personali. Sic enim solius Petri Successores dici possunt. Aliud est igitur succedere alteri veluti realiter, jura sibi ejus omnia vendicando; aliud succedere personaliter, idem munus obeundo. Priori sensu non Petri tantum, sed Apostolorum plane omnium Successor Romanus Pontifex dici potest: unde S. Bernardus Lib. II. de Considerat. Cap. VIII. eum vocat *haeredem Apostolorum*. Posteriori sensu solius Petri successor appellatur: unde S. Bernardus l. c. ad Eugenium inquit: *Tu potestate Petrus*. Pari modo intelligenda sunt verba Pontificum, quando dicunt fungi se authoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, aut quando eadem authoritate indicere se ajunt Con-

cilia Generalia; in hoc enim loquendi modo non officii intelligenda est authoritas, cui succedatur; sed patrocinii, potius quod ad officium illud rite obeundum imploratur. Certe alii Pontifices non Petri duntaxat et Pauli, sed omnium Sanctorum authoritatem sibi vindicant, ut Joannes VIII. Epist. CCXII. S. Nicolaus I. in sententia contra Photium lata, et Alexander II. Epist. IX.; nec tamen sequitur Sanctos omnes eamdem habuisse cum S. Petro authoritatem. III. Dextera pars non semper in Ecclesia locus fuit honoratior. In Concilio Chalcedonensi Dioscorus, licet mox damnandus, dexteram tenebat, Legati vero S. Leonis sinistram. In sinistro cornu altaris Evangelium legi solet, quod Prophetiis, et Epistolis Apostolicis dignius est, quae in dextero recitantur. Cum olim in Ecclesia foeminae seorsim a viris orabant, sinistra viris, dextera foeminis est assignata. Ex quibus nemo non videt, in sacris ritibus, hunc olim usum viguisse, ut sinistra dexterae praeferretur, ad Gentium conversionem exprimendam, quae Judaeis velut dexteram antea tenentibus antelatae sunt. Nihil ergo ex dextera Paulo interdum data inferri potest ad illius aequalitatem cum Petro comprobandam. Praeterea illud antiquitus observari solitum erat, ut cum duo simul incederent, senior et honoratior ad laevam esset, junior vero dextrum ipsi latus tegeret, et non nihil anteiret in signum obsequii. Vide *Natal Alexandrum* in Dissert. IV. Hist. Eccles. Saeculi I.

OBJECTIONES.

CCCII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Apostol. I. ad Cor. Cap. III. scribit: *Fundamentum aliud*

nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ergo solus Christus est fundamentum Ecclesiae II. Lucae XXII. cum facta esset contentio inter Apostolos quis eorum videretur esse major, increpuit ipsos Christus, dicens: *Reges Gentium dominantur eorum -- Vos autem non sic*. At si Petro collatus fuisset Primatus, non fuisset ista inter Apostolos nata contentio, nec eos redarguens Christus dixisset, neminem inter eos esse altero majorem: immo potius eos ad obtemperandum Petro, ejusque Primatum reverendum fuisset adhortatus. Ergo Christus Primatum Petro non contulit. R. C. A. D. C. Ergo solus Christus est fundamentum Ecclesiae principale, quod ab alio non sustentatur, C. C. Fundamentum minus principale, N. C. Petrus est fundamentum minus principale, quod Christo innititur, et ab eo sustentatur. Ad II. C. M. N. m. Duplici de causa Christus Apostolos increpuit, I., quod ambitiose quaererent Primatum, non tamquam ministerium, sed tanquam merum imperium, quale Gentium Reges in subditos exercebant. II. Quod contenderent de temporalis dominationis Primatu, cum eximiam dignitatem Petro promissam non intelligerent, putarentque a Magistro suo temporale Regnum Israel restituendum fore. Spiritualem Primatum, qui tamen ambitiose quaerendus non esset, Christus minime negavit aut reprobavit: immo supponit aliquem esse inter eos, cui hic Primatus conveniat; non enim ait: *Nemo inter vos major est, nemo praecessor*; sed, *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator*. Nominatim vero ad obtemperandum Petro eos tunc non est adhortatus, quia Petrus tunc promissione tantum et designatione Christi, non

actuali exercitio obtinebat Primatum, quem demum post ipsius Resurrectionem est consecutus.

CCCIII. *Dices. I.* Etiam reliqui Apostoli sunt fundamenta Ecclesiae minus principalia. Ergo ex eo, quod Petrus sit fundamentum minus principale, non potest inferri collatum illi fuisse Primatum. P. A. ad Ephes. Cap. II. dicitur: *Superaedificati super fundamenta Apostolorum et Prophetarum.* Apocal. Cap. XXI. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* R. D. A. Apostoli fuerunt etiam fundamenta Ecclesiae minus principalia, eodem modo quo Petrus, N. A. Diverso modo, C. A. N. C. Apostoli fuere fundamenta Ecclesiae I., quia ipsi Ecclesias fundarunt. II. Ratione doctrinae, a Deo ipsis revelatae. III. Ratione gubernationis, quia ipsi erant Pastores universae Ecclesiae: diverso tamen modo quam Petrus, I. Quia ipsi a Petro dependebant, Petrus vero a solo Deo. II. Quia Apostoli amplissimam illam potestatem habuerunt ut Legati Christi extraordinarii; et ad posteros et successores suos non transmittendam: Petrus vero habuit illam ut ordinariam, et ad successores suos transmittendam. Igitur cum illi fuerint Petro subordinati, non eodem modo, quo Petrus, erant Ecclesiae fundamenta minus principalia.

CCCIV. *Dices II.* Christus illa verba: *Tibi dabo claves regni coelorum*, direxit ad totam Ecclesiam, non ad solum Petrum. Ergo ex illis verbis non evincitur Petri Primatus. P. A. S. Augustin. Tract. L. in Joan. ait: *Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* S. Hieron. Lib. I. adv. Jovinianum dicit, *omnes Apostolos claves Regni coelorum accepisse.* S. Ambrosius in Psalm. XXXVIII. *Quod Petro dicitur, cae-*

teris Apostolis dicitur: *Et tibi dabo claves*. *Confirm.* I. Christus Joan. Cap. XX. omnibus Apostolis dixit: *Sicut misit me Pater*: *et ego mitto vos*. Ergo omnibus tradidit potestatem clavium. *Confirm.* II. Petrus nomine omnium Apostolorum confessus est Divinitatem Christi. Ergo Christus omnes Apostolos praemiare voluit, omnibus tradendo claves. R. N. A. Tam clarus est locus citatus, ut ad totam Ecclesiam detorqueri nequeat. *Et ego dico tibi*, non Ecclesiae, sed tibi Simoni Barionae. *Et tibi dabo claves*, non alteri, sed tibi. Vide Tertulliani, et S. Optati locum Num. CCXCV. exhibitum. Ad *probat.* R. Augustinum nihil aliud velle, quam quod claves traditae sint Petro ut Principi et Pastori Ecclesiae, non in privatum ipsius commodum, sed publico Ecclesiae bono, atque in perpetuam Ecclesiae utilitatem; atque ideo eas etiam post mortem Petri in Ecclesia esse non desiisse. Certe ex eo, quod *S. Augustinus* Lib. XV. de Trinit. Cap. XXVI. scribat, Christum gessisse figuram Ecclesiae, quando baptizatus est, inepte quis colligeret, Christum personaliter baptizatum non fuisse. Ergo etiam licet S. Petrus figura fuerit Ecclesiae, quando illi dictum est, *Tibi dabo claves*, non sequitur, quod ipsi claves vere, realiter, et personaliter collatae non fuerint. S. Hieronymus et S. Ambrosius nobis minime adversantur, ut mox dicemus. Ad I. *Confirm.* C. A. D. C. tradidit Apostolis claves, tanquam Legatis extraordinariis, et cum subordinatione ad Petrum, C. C. Tanquam Legatis ordinariis, et absque subordinatione ad Petrum, N. C. Ad II. *Confirm.* N. A. Petrus suo tantum nomine Divinitatem Christi confessus est, quam revelatione divina didicerat: neque in Evangelio indicatur, quod haec confessio, nomine omnium facien-

da, fuerit ipsi ab Apostolis demandata; quamquam aliqua ratione possit haec omnibus Apostolis communis dici, quia illam silentio suo approbarunt.

CCCV. Idem omnino, quod de verbis illis, *Et tibi dabo claves*, diximus, dicendum pariter est de illis Joan. Cap. XXI. *Pasce oves meas*. Pasce tu Simon Joannis, et non alius. *Pasce*, quod non significat tantum cibum ministrare; alias servi non pascerentur a Dominus suis, sed ipsi pascerent Dominos: verum etiam procurare cibum, et providere, quod Superioris est officium, non inferioris. Neque obstat I. quod *B. Petrus* Epist. I. Cap. V. hortetur conseniores ad pascendum gregem Dei, non universalem utique, sed particularem sibi commissum. Neque II., quod *S. Augustinus* Lib. de Agone Christiano Cap. XXX. dicat, illa verba, *pasce oves meas*, non soli Petro, sed omnibus Ecclesiae Pastoribus dicta esse. Quia juxta S. Doctorem Petrus repraesentavit Ecclesiam, non illius Legatus, sed tanquam Princeps et Caput, a quo in partem sollicitudinis vocari possent, ac deberent alii Pastores.

CCCVI. *Dices* III. Ex Scriptura non constat, Petrum exercuisse suum Primatum: immo Scriptura non semel videtur contrarium asserere. Ergo. P. A. Septem Diaconi non a Petro tantum, sed etiam ab aliis Apostolis fuerunt constituti. II. Apostoli miserunt Petrum et Joannem Samariam. Atqui qui mittitur, est inferior. III. Paulus et Barnabas controversiam de legalibus non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos detulerunt. IV. Paulus Antiochiae Petro in faciem restitit, quia reprehensibilis erat. Ergo non putavit B. Petrum esse suum Superiorem; alias ipsi non restitisset absque arrogantiae nota. V. ad Galatas Cap. II. scribit Apostolus:

Mihi, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. VI. Idem ad Galat. Cap. II. v. 8. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Ergo Jurisdictio fuit divisa inter Petrum et Paulum. R. I. Argumentum, quod ex silentio Scripturae hic ducitur, nullius est momenti, cum sciamus plerasque res ab Apostolis gestas, scripto non fuisse consignatas. R. II. N. A. Vide dicta Num. CCXCIV. Ad I. N. C. Neque Imperator exercet solus omnes actus Jurisdictionis, quamvis sit Caput Imperii. Ad II. D. M. Miserunt Petrum cum imperio, sicut Superior mittit inferiorem, N. M. Ex consensu et consilio Apostolorum missus est Petrus, sicut v. g. Consiliarii mittunt Regem ad bellum, C. M. Ad III. N. C. Id factum est, ut decisio fieret cum majori partium satisfactione, partesque litigantes facilius acquiescerent. Plures controversiae ad Parlamenta Angliae aut Galliae deferuntur: nemo tamen exinde inferet, Regem Galliae aut Angliae Primatum non habere in suo regno. Ad IV. N. C. Petrus Antiochiae existens, cognito Judaeorum in eam urbem adventu, abstinuit a mensa Gentilium, qui recens Christo per Baptismum authorati erant. Paulus judicabat hanc simulationem non ferendam, ne occasio daretur Christianis existimandi, eos legalibus Mosaicis adhuc teneri: adeoque illi restitit, ac Petrum reprehendit, ut inferior Superiorem, non per auctoritatem in illum, sed per correctionem fraternam, quam ex charitate inferiores debent Superioribus male agentibus, ut docent *S. Augustinus* Epist. LXXXII. alias XIX. ad S. Hieronymum, et *S. Gregorius M.* Hom. XVIII. in Ezechielem. Ad V. N. C. Apostolus loquitur hic de Evangelio, quod ait se non a Petro, aut ab alio Apo-

stolorum, sed ab ipso Christo accepisse. Neque dicimus nos, quod Petrus communicaverit potestatem clavium Apostolis, qui eam immediate a Christo acceperunt, tanquam Legati extraordinarii. Ad VI. N. C. Paulus eamdem jurisdictionem habuit quam Petrus, cum hoc tamen discrimine, quod illam potestatem habuerit cum subordinatione ad Petrum, et tanquam Legatus extraordinarius: Petrus autem absque subordinatione ad hominem, et tanquam Pastor ordinarius.

CCCVII. *Objicitur II.* Authoritas Augustini. S. Doctor Lib. I. Retractat. Cap. XXI. scribit. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia: qui sensus cantatur etiam ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa Petra Ecclesiae canente culpam diluit. Sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi; ac sic Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior, eligat lector.* Eamdem expositionem amplectitur Tract. CXXIV. in Joan. Num. V. Serm. CXXVI. Cap. I. In Psalm. CX. Num. XXX. Ergo S. Augustinus videtur Primatum Petri inficiari. R. I. N. C. Primatum B. Petri plurimis in locis diserte professus

est S. Augustinus. Vide dicta Num. CCXCV. R. II. S. Doctor utrumque persuasum habuit, Petram, super quam Ecclesia aedificata est, esse Petrum, et Christum; hunc esse Petram primariam, primumque fundamentum, Petrum vero secundariam Petram, atque alterum fundamentum, ut patet tum ex eo, quod lectori suo permittat, ut ex duplici interpretatione, altera de Petro, de Christo altera, eam quae probabilior sibi videatur, pro libito eligat: tum ex aliis libris Augustini, in quibus per Petram ipsum B. Petrum intelligit. Sic in Psalm. CXIX. Num IV. scribit: *Petrus, qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.* Et in Psalmo contra partem Donati prope finem. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis, cui successit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Ergo juxta S. Augustinum neutra harum expositionum aliam excludit.

CCCVIII. Caeterum S. Doctor Petram frequentius ad Christum retulit, quia contra Donatistas agebat, qui Sacramentorum vim in Ministrorum sanctitate collocabant: unde timens ne si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate ministrorum Ecclesiae praesumerent, ac super eos spirituale fundarent aedificium, totam fundamenti rationem ad Christum revocavit. Duabus praeterea rationibus impellebatur S. Augustinus, ut Petrae nomine ipsum Christum intelligeret. Prima erat, quod I. ad Cap. X. dicatur: *Petra autem erat Christus.* Altera, quod Christus *Matth.* Cap. XVI. non dixerit. *Tu es Petra*, sed, *Tu es Petrus.* Verum utraque ratio omnino infirma est. Prima; quia etsi Christus intelligatur nomine Petrae ab Apostolo scri-

bente, *Bibebant de Spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus*, non sequitur nomine Petrae Christum intelligi, ubicunque nomen illud in sacra Scriptura usurpatur. Altera; quia Christus lingua Syro-Chaldaica usus, ad Petrum dixit: *Tu es Petra, et super hanc Petram etc. Cephas* enim, qua voce utitur D. Matthaeus, significat petram durissimam, seu lapidem, quem aeque significant graecae voces Πετρος et Πετρα indiscriminatim. Hinc antiquissima versio Syriaca ad Apostolica tempora proxime accedens, Arabica, Aethiopica, Persica, non habent, *Tu es Petrus*, sed, *Tu es Petra, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Hinc *S. Hieronymus* in Orientalibus linguis diu multumque versatus in Caput II. Epist. ad Galatas, vocem Hebraice, sive Syriace, *Cephas*, Graece et Latine vertit in vocem *Petra. Non quo aliud*, inquit, *significet Petrus, aliud Cephas. Sed quod, quam nos Latine et Graece Petram vocamus, hanc Hebraei et Syri, propter linguae inter se viciniam, Cepham nuncupent.* Latinus vero Interpres Apostolum vocavit Petrum, non Petram; quia non ex Syriaco, sed ex Graeco vertit, et commodius illi videbatur, homini nomen masculinum, quam foemininum tribuere.

CCCIX. Hactenus dicta sufficerent pro praesenti controversia. Verum ne Pontificiae infallibilitatis hostes validissimum telum nobis e manibus excutiant, ajo, expositionem illam B. Augustini, quae Petrae nomine non B. Petrum, sed Christum ipsum intelligendum esse docet, siquidem pro litterali venditetur, Scripturae vim inferre, et Patribus omnibus, qui ante Augustinum floruere, omnino contrariam esse, ideoque vera ac solida probabilitate destitui. Prob. I. pars assertionis. Si

verba illa. *Et super hanc Petram etc.* ad Petrum non essent referenda, ut quid illi dictum est, *Tu es Petrus?* An magnificum illud dicendi initium, *Beatus es Simon Bariona*, huc demum recidet, ut Petro denuncietur; eum esse Petrum, et statim alio divertatur? Praeterea valde implicata esset ac perturbata series verborum Christi, nisi eodem tenore orationem ad unum Petrum flexisset. Hinc enim esset illorum sensus: *Tu Simon Barionas es Petrus, et super hanc petram, id est, supra me aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi Petro dabo claves regni coelorum.* Atqui hic sensus aperte vim infert Scripturae, ejusque sensum mire perturbat, quin solida ratio hujus expositionis ostendi queat. Ergo. Prob. II. pars authoritate Patrum Graecorum, et Latinorum. Origenes apud Eusebium Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. XIX. *Petrus*, inquit, *super quem Christi Ecclesia, contra quam Inferorum portae non praevalebunt, aedificata est, unam Epistolam omnium asseveratione approbatam reliquit.* S. Basilius Lib. II. contra Eunomium: *Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiae aedificationem in se ipsum suscepit.* S. Gregor. Nazianzenus Orat XXVI. *Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus, et excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocatur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat.* S. Epiphanius Haer. LIX. *Princeps Apostolorum Petrus, qui quidem solidae petrae instar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur; supra quam Ecclesiae modis omnibus exstructa est.* S. Chrysost. Hom. LI. in Matth. *Dominus ait: Tu es Petrus, et super te aedificabo Ecclesiam meam.* S. Cyrillus Alexandr. Lib II. in Joan. Cap. XII. *In Petro, tanquam in pe-*

tra, lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ecclesiam. E Latinis Tertull. Lib. at de Praescript. Cap. XXI. *Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum; claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem.* S. Cyprianus Epist. XL. *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata.* S. Hilarius Can. XVI. in Matth. *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret! o Beatus coeli Janitor!* S. Ambrosius Serm. XLVII. *Petrus Petra dicitur, eo quod primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, et saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat.* S. Hieronymus Comment. in Cap. XVI. Matth. *Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen ac secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.*

CCCX. *Objicitur III.* Authoritas aliorum Patrum. *Origenes* Tract. I. in Matth. exponens illa Christi verba, *Et super hanc petram*, scribit: *Petra est quisquis Christi discipulus. -- In unoquoque enim perfecto a Deo aedificatur Ecclesia.* II. S. Hilarius Lib. VI. de Trinitate, S. Chrysostomus Hom. LV. in Matth. S. Cyrillus Alexandr. Lib. IV. de Trinit. S. Ambrosius Lib. VI. in Lucam, aliique Patres per Petram intelligunt ipsam confessionem fidei: quam B. Petrus emisit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ergo ex illo textu, quem varie Patres interpretantur, decretorium formari nequit argumentum pro adstruendo B. Petri Pri-

matu. III. S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiae, ait: *Hoc erant utique caeteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.* Ergo B. Petrus primus dumtaxat erat inter pares. IV. S. Ambrosius Lib. II. de Spiritu Sancto Cap. ult. *Nec Paulus inferior Petro.* Et Lib. de Incarnat. Cap. IV. *Hic* (S. Petrus) *ubi audivit, vos autem qaid me dicitis? Statim loci non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis utique, non honoris: primatum fidei, non ordinis.* V. Idem Comment. in Cap. II. Epistolae ad Galatas ait, *Primatus gratiam Paulo concessam fuisse, sicut et Petro.* R. ad I. Origenes locum illum non litteraliter ibi exponit, sed allegorice. Alibi eadem verba litteraliter interpretatus est, nempe Hom.V. in Exodum: *Vide magno illi Ecclesiae fundamento, et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicae fidei, quare dubitasti?* Ad II. N. C. Patres illi referunt verba Christi ad fidem et confessionem Petri, non quidem solam, et seorsim spectatam, sed prout edita est ab ipso Petro, suumque meritum in illum refudit. Sive asserunt, Petrum recte credentem et intrepide profitentem, Christum Filium esse Dei vivi, factum esse petram, super quam aedificanda foret Ecclesia: et causam meritoriam assignant, quia Petrus palam Divinitatem Christi professus est. Occasionem locum illum ita interpretandi Patribus IV. et V. saeculi dederunt Ariani, quos ut veluti fundamenti Ecclesiae destructores liberius insectarentur Patres, qui firmissimum Catholicae causae praesidium in illis verbis: *Tu es Christus*

Filius Dei vivi, positum animadvertebant, ipsammet confessionem B. Petri fundamentum Ecclesiae nuncuparunt, translato nomine effectus ad causam. Ad III. N. C. Omnes Apostoli juxta S. Cyprianum pares fuerunt quoad intrinsecam et essentialem potestatem Apostolatus, cum omnes a Deo immediate vocati ac missi fuerint; sed non quoad extrinsecam et accidentariam, quae in ordine ac dispositione regiminis est posita, qua inferiores fuisse S. Petro reliquos Apostolos, Patres omnes cum Sancto Cypriano constantissime docent. Vide dicta Num. CCXCVI. Ad IV. Juxta B. Ambrosium Paulus inferior non fuit Petro in authoritate Apostolatus intrinseca et essentiali, sed in extrinseca et accidentaria, ut paulo ante diximus. Ad alterum locum Resp. haec ab Ambrosio de B. Petro asseri, quando designatione solum, non vero actuali professione primus erat. Christo nimirum adhuc in terris agente, nullum sibi honoris primatum vindicare debuit S. Petrus, qui a Christo, non secus ac reliqui, penderet; sed exspectandum illi erat tempus, quo remeaturus in coelum, eum in regenda Ecclesia sua Vicarium constitueret. Ad V. R. Librum illum non esse B. Ambrosii, sed vel Hilarii Luciferiani Diaconi, vel alterius ignoti nominis Scriptoris, qui Ambrosiaster ab eruditis dicitur; eumque loqui de primatu praedicationis, non de primatu authoritatis.

CCCXI. *Objicitur IV.* Ratio. Christus Spiritum sanctum constituit Vicarium suum. Ergo B. Petrus non fuit Vicarius Christi. P. A. Joannis Cap. XVI. ait Christus: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo. II. Si Christus Petrum constituisset suum Vicarium, Ec-

clesia foret biceps. III. Quilibet Apostolus erat membrum Ecclesiae. Ergo nulli Apostolorum Christus concessit primatum. Ergo solus Spiritus Sanctus est Christi Vicarius. R. N. A. Ad *probat.* N. C. Spiritus Sanctus verus est Deus, Patri et Filio aequalis, ejusdemque cum illis substantiae. Ergo Christi Vicarius esse non potest; quia Vicarius, proprie loquendo, inferior est eo, cujus est Vicarius. Missus autem fuit a Patre et Filio, non ut Vicarius Christi, sed ut Magister esset Ecclesiae et Apostolorum. Ad II. R. Ecclesia unum habet caput visibile, subordinatum tamen Capiti invisibili, quod est Christus. Ad III. N. C. Qui Primatum in Ecclesia habet, est Caput visibile Ecclesiae, adeoque membrum illius praecipuum ac nobilissimum.

CCCXII. *Dices I.* Potiori jure Primatum sibi vindicare poterat B. Jacobus Apostolus, Episcopus Jerosolymitanus, quam Petrus. Ergo. P. A. B. Jacobus Episcopus erat Jerosolymitanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matris, et Successor Christi, qui in Cathedra Jerosolymitana sedit. Ergo. R. I. Praescindendo ab institutione et voluntate Christi, nullus Apostolorum vindicare sibi potuit Primatum; potuisset enim Christus quemcumque ex Apostolis, aut etiam extra Collegium Apostolicum sibi substituere. R. II. N. A. cum addita probatione. Jerosolymitana Ecclesia Mater caeterarum dici potest antiquitate, non autem dignitate et magisterio; haec enim sola est Romana, Mater et Magistra omnium Ecclesiarum a Christo Domino constituta. Christus Dominus nullius Ecclesiae particularis, sed Universalis fuit, atque etiamnum est Pontifex, semper vivens, et interpellans pro nobis. Accedit, quod multi Viri eruditi Apostolatum Jacobi Alphaei

Jerosolymorum Episcopi in dubium trahant, putentque eum distinctum fuisse a duobus Jacobis, in Apostolorum Collegium a Christo adoptatis.

CCCXIII. *Dices II.* Saltem Jure divino Petrus Primatum non habuit, sed consensu tantum Fidelium et Collegii Apostolici. Ergo. P. A. Petrus fuit aetate senior, vocatione prior, charitate ferventior. Ergo fideles congruam habuere rationem Petro Primatum concedendi. R. N. A. Verba Christi Matth. XVI. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam – – – et tibi dabo claves regni coelorum.* Joan. XXI. *Pasce oves meas*, clarissime demonstrant, Petrum institutione Christi, adeoque jure divino obtinuisse Primatum. Ad *probat.* R. I. omisso antecedente, fideles non potuerunt Petro dare, quod jam antecedenter jure divino habebat. R. II. Incertum est, an Petrus fuerit aetate senior quam alii; multi enim cum *S. Epiphanio* Haer. LI. *Baronio* Tom. I. Annal. ad Annum XXXI. *Lorino* in Cap. I. Act. *Serario* in Tract. de Apostolis, putant Andream fuisse seniorem, quem etiam, ante Petrum, tanquam familiarem auditorem, cum Petro vero eodem tempore ut Apostolum admisit Christus, ut patet ex Evangelio. Utrum vero Petrus majore charitate Christum dilexerit quam Joannes, *praesumptuosum videtur* S. Thomae in Summa, Parte I. Quaest. XX. Artic. IV. ad III. *hoc dijudicare quia ut dicitur Proverb. XVI. Spirituum ponderator est Dominus, et non alius.*

CONTROVERSIA III.

AN ROMANUS PONTIFEX JURE DIVINO SUCCEDAT B. PETRO IN CATHEDRA, ET PRIMATU?

Contra Graecos Schismaticos, Wickleffum, Protestantes.

CCCXIV.

Sede Orientalis Imperii CPoli constituta, jam inde a IV. et V. saeculo Episcoporum Urbis illius ambitio super alios se efferre gestiebat. In CPolitano I. A. 381. et Chalcedonensi A. 451. CPolitanis Praesulibus primus locus honoris post Romanum Pontificem adscribi coepit, Sede Apostolica reclamante. A. 587. crevit horum ambitio; Joannes enim, Jejunator dictus, Patriarcha CPolitanus Episcopi Oecumenici, seu Universalis nomen assumpsit, idque pertinacissime retinuit Cyriacus ejus Successor, qui moerore contabuit, quod Phocas Imperator edita lege cavisset, ne alteri, praeterquam Romano Pontifici, Episcopi Oecumenici nomen tribueretur. Saeculo IX. temporibus Photiani Schismatis Graeci ulterius progressi, Romanae Sedis privilegia impugnare coeperunt, contendentes, ut scribit S. Nicolaus I. in Epist. ad Hincmarum Rhemensem, *quando de Romana Urbe Imperatores CPolim sunt translati, tunc et primatum Romanae Sedis ad CPolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse; ita*

ut ejusdem Ecclesiae invasor Photius etiam ipse in scriptis suis Archiepiscopum se atque universalem Patriarcham appellet. A. 1054. Michael Cerularius Patriarcha CPolitanus Photianum Schisma jamdiu extinctum instauravit, docuitque, Romanum Pontificem, ob additam CPolitano Symbolo particulam *Filioque*, anathema ab Ephesina Synodo latum incurrisse, de suo gradu ac dignitate excidisse, ac jam summum ac primum Episcoporum omnium esse Patriarcham CPolitanum, Catholicae Ecclesiae Caput. Insaniam hanc dedocti sunt Graeci saepius, praecipue in Lugdunensi II. et Florentina Synodo, erroresque suos saepius ejurarunt; sed paulo post iterum ad vomitum redierunt. Porro tanta est nostris etiam temporibus Graeculorum superbia, ut CPolitanus Patriarcha in hanc usque diem, quamvis Turcico jugo opprimatur, titulum tamen Episcopi Oecumenici usurpet, deposita omni reverentia et obsequio Romano Pontifici debito.

CCCXV. E Latinis, Graecorum vestigiis in rejiciendo Romani Pontificis Primatu institerunt Pauperes de Lugduno, sive Waldenses, Fraticelli, Marsilius Patavinus, Joannes de Janduno, Joannes Wickleffus, et Hussus, ut patet ex Articulo Wickleffi IX. a Constantiensi Synodo proscripto: *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.* XXXVII. *Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.* Atque ex Joannis Hus Artic. IX. *Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.* XIII. *Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si*

vivit moribus contrariis Petri; et si quaerat avaritiam, tunc est Vicarius Judae Jscarioth. XXVII. *Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum Caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur, et conservetur.* Praedecessores suos strenue imitati sunt nostrorum temporum Sectarii, Martinus Lutherus Artic. XXV. inter damnatos a Leone X. *Romanus Pontifex Petri Successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus.* Melanchton, Brentius, Illyricus, Calvinus, Marcus Ant. de Dominis, eorumque nepotes, Protestantes, quibus utinam sociam operam non adjungerent tepidi quidam atque improvidi Catholici, qui Romani Pontificis Primatum omni contentione ita attenuare conantur, ut vix umbra veri Primatus dignoscatur. Quid vero per Primatum Jurisdictionis intelligendum sit, diximus Num. CCXC.

CCCXVI. *Conclusio I.* Romanus Pontifex est successor B. Petri in Episcopatu Romano. Prob. B. Petrus, ut Controversia I. ostendimus, fuit verus Episcopus Romanus, vitamque Romae glorioso martyrio consumavit sub Nerone Principe. Ergo Romanus Pontifex eamdem Cathedram tenet, in qua olim B. Petrus sedit. Ergo est verus Successor B. Petri in Episcopatu Romano.

CCCXVII. *Conclusio II.* Romanus Pontifex succedit B. Petro etiam in Primatu Jurisdictionis, ita ut vere sit Vicarius Christi, et Caput visibile totius Ecclesiae universalis. Prob. haec Conclusio dogmatica I. Authoritate Patrum, qui testes ac depositarii sunt divinarum Traditionum. S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer.

Cap. III. ait: *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles*. Ergo juxta S. Irenaeum Ecclesia Romana potestatem habet in alias Ecclesias, ejusque decretis debetur obedientia; alias utile tantum foret, non autem necesse, ad illam omnem convenire Ecclesiam. S. Cyprianus Epist. LV ad Cornelium. *Navigare audent ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* S. Hieronymus Epist. XIV ad Damasum. *Beatitudine, id est, Cathedrae Petri communione consocior. Super illampetram aedificatam Ecclesiam scio.* S. Augustinus Epist. XLIII. alias CLXII. ad Glorium. *In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus.* Idem Epist. CXC. alias CLVII. Ad Optatum. *Me apud Caesaream presente venerunt, quo nos injuncta nobis a Venerabili Papa Zosimo Apostolicae Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat.* At, nisi S. Augustinus agnovisset universalem Romani Pontificis Jurisdictionem, non existimasset necessario obtemperandum esse. S. Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem: *In omnibus autem Frater honorabilis hortamur te, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Theodoretus Epist. CXVI. ad Renatum Presbyt. Romanum: *Habet enim Sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, Principatum multis nominibus.* S. Leo M. Serm. I. de Natali Apostolorum Cap. I. *Ut Gens sancta, populus electus, Civitas Sacerdotalis, et regia, per Sacram B. Petri Sedem Ca-*

put orbis effecta, latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena. S. Prosper in carmine de ingratis. *Sedes Roma Petri - - - quidquid non possidet armis, religione tenet.* Author Libror. de Vocatione Gentium Lib. II. Cap. XVI. de Urbe Romana ait: *Quae tamen per Apostolici Sacerdotii Principatum amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.* At vero falsissima haec forent, si Romanus Pontifex Jurisdictionem non haberet in omnes totius orbis Ecclesias. Agmen claudat S. Bernardus; quem nemo dixerit Pontificum adulatorem fuisse. Hic Epist. CXXXI. ad Mediolanenses scribit: *Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est.* Et Lib. II. de Consideratione ad Eugenium Cap. VIII. *Age, indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum; tu haeres Apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores, et gregum Pastores: sed tu tanto gloriosus, quanto et differentius prae illis nomen haereditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et Pastorum omnium tu unus Pastor.* Nihil his verbis disertius, nihil luculentum magis.

CCCXVIII. Prob. II. Authoritate Conciliorum. *Nicaenum. I.* Can. VI. ut eum nemine contradicente legit in Chalcedonensi Act. XVI. Paschasinus S. Leo-

nis M. Legatus, ita statuit: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Patres Sardicensis Concilii in Epistola Synodica ad Julium Pont. Rom. scribunt: *Hoc optimum, et valde congruentissimum esse videbatur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes*. In Ephesino Act. III. Philippus Coelestini Legatus ad Concilii Patres dixit, nemine omnium reclamante: *Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus, beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et Caput, fideique columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis Successoribus vivit, et judicium exercet*. In Chalcedonensi Act. XVI. gloriosissimi Judices dixerunt: *Ex his, quae gesta sunt, et ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem Primatum, et honorem praecipuum, secundum Canones antiquae Romae Dei amantissimo Archiepiscopo conservari*. Nicaenum II. Act. II. recepit et probavit Epistolam Hadriani I. Pontificis, in qua ille scripserat: *Cujus Sedes* (B. Petri) *per totum orbem terrarum Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit; unde et ipse B. Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino praetermisit, sed ubique Principatum obtinuit, et obtinet*. Lateranense IV. ait: *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet Principatum, utpote Mater universorum Christifidelium, et Magistra*. Florentinum consentientibus Graecis et Latinis, sic in Definitione Fidei pronuntiat: *Defi-*

nimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

CCCXIX. Prob. III. Ex antiquissima et nunquam interrupta praxi, qua Romani Pontifices, nemine contradicente, Primatum suum exercuerunt. Nam I. Concilia Oecumenica non nisi imperante, vel saltem consentiente Romano Pontifice, indicta sunt et celebrata; ideoque Dioscorus Alexandrinus in Chalcedonensi Synodo damnatus fuit, quod ut Lucentius Leonis Legatus ait, *Synodum* (Ephesinam II.) *ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* II. Romani Pontifices per se, vel Legatos suos Conciliis Oecumenicis semper praesederunt, praeterquam CPolitano I., quod se solo spectatum, ratione convocationis non erat Oecumenicum, et CPolitano II., cui interesse noluit justis de causis Vigilius tunc CPoli praesens quamvis perhumaniter invitatus fuerit a Graecis Patriarchis, et Metropolitis. Vide dicenda Controversia V. III. Majores causae semper delatae fuerunt ad Sedem Apostolicam. Assertionis veritas patet ex eo, quia Arius, Macedonius, Eutyches, Nestorius, Pelagius, Monothelitae etc. jam ante ad Romanos Pontifices delati, ab iisque damnati erant, quam in Conciliis Oecumenicis illorum causa agitaretur. Hinc

Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Milevitani scribit: *Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio.* Et Epist. IV. ad Felicem Nucerinum: *Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum; omniaque quae possunt recipere aliquam dubitationem, ad nos quasi ad Caput, atque ad apicem Episcopatus, referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet.* Ipse Socrates, quamvis secta Novatianus, Lib. II. Hist. Eccles. Cap. V. de Concilio Antiocheno, in quo S. Athanasius damnatus fuit Arianorum Episcoporum opera, scribit: *Nec Julius Romae Episcopus adfuit, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo misit: cum utique Ecclesiasticus Canon jubeat, non oportere absque Romani Episcopi sententia decreta Ecclesiis sancire.*

CCCXX. IV. Pontifices Romani admiserunt appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, causaque de novo cognita sententiam tulere, suisque sedibus restituerunt, quos Orientales expulerant Episcopi. Saeculo IV. S. Athanasius Alexandrinus, Paulus CPolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus sedibus suis ab Arianis Episcopis expulsi, ad Julium Rom. Pontificem appellarunt, quos cum ille Nicaenae fidei consentientes reperisset, atque a criminibus, quorum accusabantur, liberos, in communionem suam receptos pristinae restituit dignitati, datisque ad Orientales Episcopos litteris, eos incusavit, quod inconsulto ac temere de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent. Ita testantur *Socrates* Lib.

II. Hist. Cap. XI. et *Sozomenus* Lib. III. Hist. Eccl. Cap. VII. Liberius Papa Eustathium Sebastenum a Cappadociae Episcopis in Melitinensi Synodo damnatum, Sedemque Apostolicam appellantem, restituit: neque huic restitutioni obsistere ausa est Tyanensis Synodus, quamvis qua ratione Liberius illum sedi suae restituisset, eidem Synodo clam esset, ut scribit S. Basilius Epist. LXXIV. *Quae vero sint illi a beatissimo Episcopo Liberio proposita, et ad quae consenserit, nobis clam est; nisi quod Epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam ubi Tyanae Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.* Saeculo V. S. Chrysostomus ad Innocentium I. appellavit, petiitque ab illo, ut rescinderet depositionis sententiam in se latam a Theophilo Alexandrino, aliisque Episcopis, in Synodo ad Quercum congregatis. Hinc S. Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniae de hac causa scribit: *Sed nec illud praeterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, more majorum, etiam sine ulla Synodo praecedente, et absolvendi quos Synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. - - Sanctae memoriae nihilominus Joannem CPolitanum* (Chrysostomum) *Synodus etiam Catholicorum Praesulum certe damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Et Theodoretus Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXXIV. *Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Aegypti, et Orientis, et Bosphori, atque Thraciae communicare voluerunt, quam nomen illius Sanctissimi Viri* (Chrysostomi) *in tabulas, in quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent; atque Arsacium ejus Successorem ne salutare qui-*

dem dignati sunt. Theodoretus Cyri Episcopus a Dioscoro Alexandrino Episcopatu suo spoliatus ad Leonem appellavit. Hujus appelationes Theodoretus ipse est testis in Epistola ad Leonem data: *Oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. – – Vestram sententiam expecto: quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium expectabo.* Pari modo S. Flavianus a Dioscoro, et praedatoria Synodo Ephesina, Joannes Alexandrinus a Petro Moggo, S. Ignatius CPolitanus a Photio invasore, ejusque Episcopali factione ad Sedem Apostolicam appellarunt. Quin *S. Gregorius Magnus* Lib. II. Epist. XLV. Joannem Episcopum primae Justinianae communione sua ad tempus privavit, quod Hadrianum Thebanum Episcopum damnasset, postquam is ad Sedem Apostolicam appellaverat. Ipsa *Sardicensis* Synodus Oecumenica, ad quam CCC. facile Episcopi ex XXXVI. provinciis orbis Christiani confluxerunt, Canone VII. statuit, summam de appellationibus judicandi potestatem recte competere Romano Pontifici: *Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu eum dejecerint: si appellaverit, qui dejectus est, et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae, et voluerit se audiri: si justum putaverit, ut renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam*

iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi (Romani) *quid velit, et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio judicaverit.* Atque ita hunc Canonem legit saeculo VI. Dionysius Exiguus, qui in Epistola ad Stephanum Salonitanum Sardicenses Canones a Patribus primum Latine editos fuisse docet. Merito itaque S. Gelasius in Epist. ad Episcopos Dardaniae scripsit: *Ad illam* (Sedem Apostolicam) *de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo est appellare permissus.*

CCCXXI. V. Romani Pontifices condemnarunt pravas quasdam consuetudines aliarum Ecclesiarum, Patriarchis etiam vel Exarchis Orientalibus subditarum: celebrationem Conciliorum praeceperunt; exortas lites pro authoritate sua composuerunt: refractariis non tantum in materia fidei, sed etiam disciplinae anathema quandoque minati sunt, quandoque etiam dixere. Saeculo I. *S. Clemens* I. Epist. I. Ad Corinthios, qui Episcopum suum cum Presbyteris deposuerant, declaravit Episcopos et Presbyteros semel legitime institutos, non posse a populo deponi aut abdicari, praesertim ex caussa frivola qualis tunc a Corinthiis obtendebatur: jussitque sub comminatione aeternae damnationis, et anathematis, Episcopum et Presbyteros iterum recipi. Saeculo II. *S. Victor* Pont. Romanus Theophilo Caesariensi Episcopo praecepit, ut Concilium Episcoporum Palaestinae cogeret in causa Paschatis celebrandi. Polycratem

Ephesinum, aliosque Asiae minoris Episcopos, Judaico more decima quarta Luna Pascha pertinaciter celebrantes, ab Ecclesiae communione removit, aut saltem anathema illis minatus est. Saeculo III. *S. Stephanus* I. Cypriano et Firmiliano, qui baptizatos ab haereticis rebaptizabant, a sententia sua recedere nolentibus anathema minatus est, eorumque Legatos ad alloquium non admisit, immo recipi illos vetuit a Fidelibus Romae. *S. Dionysius Papa*, datis ad Dionysium Alexandrinum litteris, quem Clerici Alexandrini haeresis accusarant, jussit eum explicare, quae contra Sabellium scripserat, ut testatur *S. Athanasius* Lib. de Synodis. Alexandrinus Pontificis Romani jussis obtemperans, quatuor libros Romam transmisit, quibus Catholice mentem suam explicabat, ideoque a Romano Pontifice absolutus est. Saeculo IV. *S. Julius* Athanasium Alexandrinum, Paulum CPolitanum, aliosque Episcopos ab Arianis sedibus suis ejectos: Liberius Eustathium Sebastenum, cognita causa, authoritate sua pristinae dignitati restituerunt. Saeculo V. In Ephesino Concilio *S. Coelestinus* Nestorium privari jussit Episcopatu: in Chalcedonensi *S. Leo M.* Dioscorum: quin etiam ex codicibus Ecclesiasticis expungi et eradi imperavit Canonem XXVIII. Chalcedonensem, quo primus locus post Romanum Pontificem tribuebatur Episcopo CPolitano. *S. Simplicius* Papa rogatus a Zenone Imperatore permisit, ut Stephanus Antiochenus Patriarcha pacis gratia ordinaretur CPoli ab Acacio Patriarcha CPolitano, quod Nicaenis Canonibus adversabatur, decernentibus, ut Antiochenus Patriarcha ab Orientali Synodo ordinetur. Anno 484. *S. Felix* III. Acacium CPolitanum Ecclesiastica communione privatum deposuit; neque prius Romana Ecclesia pacem iniit cum CPolitana,

quam Anno 519. Acacii nomen e sacris tabulis expunctum atque erasum fuisset. Saeculo VI. Anno 536. *Agapetus* Papa Anthimum CPolitanum, Euthychianis faventem, Sacerdotio et Christiana communione privavit, ejusque loco Mennam Patriarcham constituit, suisque manibus CPoli in Basilica S. Mariae consecravit, frendente nequidquam Theodora Augusta, Justiniani uxore. Verum infinitus forem, si ea omnia recensere constituissem, quibus Romani Pontifices Primatum suum comprobarunt.

CCCXXII. Quae paulo ante fusius dicta sunt, in pugnum contrahimus. Ille Primatum exercet in Ecclesia Dei, qui Generalia Concilia indicit, iisque praesidet: qui causa de novo cognita, Episcoporum sententias vel approbat vel rescindit: qui justa de causa consuetudines Ecclesiarum totius orbis abrogare potest. Qui lites in Ecclesia Dei exortas pro authoritate sua componit: qui Canonum observantiam ubique locorum urget, et quandoque legitimis de causis eorum obligationem relaxat: qui refractarios quoscunque a communione Ecclesiae separat: ad quem referri debent majores causae: ad quem denique fideles, dum se Episcoporum sententia oppressos existimant, appellare possunt. Sed talis est Romanus Pontifex. Ergo Romanus Pontifex exercet, ac semper exercuit Primatum in Ecclesia.

CCCXXIII. *Conclusio III.* Romanus Pontifex non jure humano, sed divino succedit B. Petro in Primatu. Prob. I. authoritate Patrum et Conciliorum, praecipue Lateranensis IV. et Florentini superius adducta. II. ratione in Scripturis et Traditione fundata. Eodem jure Successor Petri habet Primatum in Ecclesia Dei, quo illum habuit B. Petrus. Atqui B. Petrus illum habuit

jure divino, et successor B. Petri est Romanus Pontifex. Ergo. P. M. Christus contulit B. Petro Primatum, non in illius commodum, sed in bonum Ecclesiae; cum Pontifex sit propter Ecclesiam, non vero Ecclesia propter Pontificem. Ergo cum sciret Christus, B. Petrum non esse immortalem, atque Ecclesiae necessarium esse post mortem B. Petri Pastorem universalem, officium ordinarium Supremi Capitis et Pastoris suarum ovium voluit ut perduraret in Successoribus Petri, quibus, juxta interpretationem Patrum et Conciliorum, officium hoc implicite demandavit, quando Petro dixit, *Pasce oves meas. Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: et tibi dabo claves regni coelorum.* Prob. etiam minor. Nullus unquam habitus fuit pro Successore B. Petri quam Episcopus Romanus, et Antiochenus; cum B. Petrus nullius alterius Ecclesiae Episcopus fuerit particularis. Atqui Antiochenus non successit B. Petro in Pontificatu, sive Episcopatu Universalis Ecclesiae; Petrus enim adhuc vivens Episcopatum particularem Ecclesiae Antiochenae transtulit in Evodium discipulum suum: neque unquam Antiochenus aliquis Praesul Supremum Pontificatum sibi vindicare conatus est. Ergo Romanus Episcopus successit B. Petro in praefectura Universalis Ecclesiae; cum B. Petrus ad mortem usque constanter retinuerit Episcopatum universalem, et particularem Ecclesiae Romanae.

CCCXXIV. Itaque jure divino, et ex institutione Christi factum est, ut aliquis semper succedat B. Petro in Primatu, quia Christus Principatum in Ecclesiam universam, usque ad consummationem saeculi duraturum instituit. Atque hoc fide divina credendum est. Similiter eadem fide tenendum est, Romanum Pontificem

esse supremum Ecclesiae universalis Caput, et B. Petri in Primatu Successorem: Succedere enim jure divino aliquem B. Petro in Primatu, evidenter et clare deducitur ex Scripturis; illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex Traditione Apostolico-divina B. Petri, quam Concilia generalia, Pontificum Decreta, et unanimis Patrum consensus declarant; quamvis daremus adversariis, Romanum Pontificem determinate prae aliis Episcopis non succedere jure divino et ex voluntate expressa Christi in Primatu, sed ex facto B. Petri, qui alium sibi succedere noluerit in Episcopatu universali, quam successorem in Episcopatu Romano.

CCCXXV. Quod si ulterius quaeras, an Pontificatus universalis Ecclesiae ita sit jure divino Episcopatui Romano adnexus, ut ab illo separari non potuerit a B. Petro: sive si quaeras, an v. g. Princeps Apostolorum Mediolani erigere Cathedram non potuerit, ita ut successorem suum in Episcopatu v. g. Mediolanensi haberet etiam successorem in Episcopatu universali, et Primatu. Resp. Cum Ecclesia circa rem istam nihil definierit, salva fide liberum esse cuicunque, ut placuerit, sentire. Quia tamen *S. Ambrosius* in Orat. contra Auxentium, et *S. Athanasius* in Apologia pro fuga sua scribunt, Petrum Christi jussu Romae Martyrium pertulisse: ac praecipue quia Christus post resurrectionem suam saepius Apostolis suis apparuit, loquens de regno Dei, multo mihi probabilius ac verisimilius videtur, id non ex mero facto ac beneplacito Petri contigisse, sed jussum fuisse a Christo vel tunc jam, vel per revelationem posteriori tempore factam, Romam stato tempore proficisci, Cathedram ibi erigere, atque Episcopatum illum particularem usque ad mortem ge-

rere, et Episcopatum universalem Episcopatui Romano adnectere.

OBJECTIONES.

CCCXXVI. *Objicitur I.* contra II. Conclusionem authoritas *S. Irenaei*. S. Irenaeus Lugdunensis datis ad Victorem Papam litteris, quas exhibet *Eusebius* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV, eum graviter increpuit, quod Polycratem Ephesinum, aliosque minoris Asiae Episcopos, Pascha decima quarta Luna celebrantes, ab Ecclesia separare decrevisset. Ergo sentiebat Romanum Pontificem non habere potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam. R. S. Irenaeus tota illa Epistola debita semper cum reverentia ac submissione Victorem alloqnitur: neque eum objurgat, quod potestatem, quam a Christo non acceperit, sibi arrogaret; sed insinuat eum hac ratione Ecclesiae commodis non satis consulere, putans, tot Episcopos ab Ecclesiae unitate abscindendos non esse, ob rem quae ad Ecclesiae disciplinam tantummodo pertinebat. Caeterum Victorem intra minas haesisse asserunt *Henricus Valesius* in notis ad Eusebium, *Maimbourgius*, *Natalis Alexander*, *Sandinus*, *Halloixius etc.* Eundem refractarios Asiae Episcopos anathemate perculisse contendunt *Petrus de Marca*, *Bellarminus*, *Baronius*, *Pagius*, *Schelstrate etc.* quibuscum stare videntur veteres Historiae Ecclesiasticae Scriptores.

CCCXXVII. *Objicitur II.* Authoritas S. Cypriani. In Actis Concilii Carthaginensis ait S. Doctor. *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi nec es-*

sitatem Collegas suos adigit; *quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare*: *sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de actu nostro judicandi.* II. Idem Lib. de Unitate Ecclesiae scribit: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ergo non sensit Episcopos Romano Pontifici subesse, adeoque Primatum Jurisdictionis in illo non agnovit. R. I. generaliter ad authoritatem S. Cypriani cum S. Augustino Lib. II. contra Cresconium Cap. XXXII. *Litteras Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero*; *et quod in eis Scripturarum divinarum authoritati congruit*; *cum laude ejus accipio*: *quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* R. II. N. C. Quidam cum Baronio putant, humanum quid pati ibi Cyprianum, et verbis illis occulte vellicare Stephanum Papam, qui intentata excommunicationis poena Episcopos rebaptizantes ab errore revocare conabatur. De Primatu quidem Stephani minime dubitabat Cyprianus; putabat tamen, quamvis falso ac temere, eum potestate sua abuti, quod ob res ad disciplinam pertinentes, obscuras, ac nondum satis eliquatas, praestantissimis Episcopis anathema intentaret. Certe ipse *S. Cyprianus* cum suis Coepiscopis multas causas dijudicavit, ut constat ex ejus Epistolis, rogavitque Stephanum Epist. LXVII. ut Marcianum Arelatensem Episcopum, Novatianis faventem, sede sua dejiceret: *Dirigantur a te litterae in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem*; *quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substitua-*

tur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, et vulneratus contemnitur, colligatur. - - - - Significabis plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus. Alii cum *Natale Alexandro* Dissert. IV. in Hist. Eccles. Saeculi I., et *Laurentio Alticotio* in Summa Augustiniana Parte III. Quaest. II. Art. V. totam eam praefationem eo spectare dicunt, ut admoneret Episcopos congregatos libertatis suae in proferenda sententia circa valorem baptismi ab haereticis collati, quam sartam tectamque servatum iri pollicebatur: suamque obligabat fidem, atque in se recipiebat, neminem se a communione sua praecisurum, qui contra id quod ipse sentiebat, pronuntiaret. Neque enim objecto metu per vim extorquere; sed proposi ta libertate dicendi, ab Episcopis in Concilio libero considentibus, audire volebat sententiam. Atque in Cypriani verba exponere videtur *S. Augustinus* Lib. III. de Baptismo contra Donatistas Cap. III. Quod etiam confirmatur ex Epistola LXXI. quam S. Cyprianus ad Quintum Mauritaniae Episcopum dedit, antequam ob Rescriptum illud simultatis aliquid nasceretur Ciprianum inter et Stephanum. In ea enim idem ferme dicitur, quod in Praefatione Concilii Carthaginensis habetur. Ad II. N. C. Episcopatus unus dicitur a B. Cypriano ratione originis et radicis, quatenus omnes Episcopatus particulares ab Episcopatu Romano, velut ab origine, exordium sumentes, eique adhaerentes velut radici, cum eo unum corpus Pastorale conflant, unumque faciunt Episcopatum universalem, cujus principatum tenet Romanus Pontifex. Pars autem unius illius Episcopatus in solidum tenetur a singulis Episcopis, non quod eadem sit Jurisdictio et di-

gnitas omnium Episcoporum, quae est Romani Pontificis: sed ratione Ordinis et characteris Episcopalis, qui de se indivisibilis est, totusque inest, quibus infigitur,

CCCXXVIII. *Dices I.* S. Cyprianus censuit Basilidem et Martialem Hispaniae Episcopos, propter idololatriae libellum sententia comprovincialium Episcoporum depositos, non potuisse a Stephano Papa in integrum restitui: Epistola enim LXVIII. ad Clerum et Plebem Hispaniarum scribit: *Rescindere ordinationem* (qua alius in locum Basilidis suffectus erat) *recte factam non potuit* (Stephanus). II. In causa Marciani Episcopi Arelatensis Novatiani contendit, sibi et Coepiscopis suis parem esse cum Stephano authoritatem in eà dijudicanda; Epistola enim LXVII. ad Stephanum scribit: *Nostrum est consulere et subvenire, qui divinam clementiam cogitantes, et gubernandae Ecclesiae libram tenentes, sic censuram rigoris peccatoribus exhibemus.* Ergo S. Cyprianus non agnovit Primatum Jurisdictionis Romani Pontificis. R. ad I. S. Cyprianus censuit Basilidem non potuisse in integrum restitui, non ob defectum potestatis in Stephano, sed quia restitutionem subreptitie ac per fraudes obtinuit; ait enim in cit. Epistola: *Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit, Deus non deridetur.* R. ad II. N. A. S. Cyprianus suum esse putavit consulere et subvenire, non authoritative, atque ex plenitudine potestatis, quo modo solus Romanus Pontifex subvenire poterat; sed consilio tantum, charitate, et hortationibus.

CCCXXIX. *Objicitur III.* Authoritas *S. Siricii* Papae. Saeculo IV. circa A. 391. Siricius Papa fassus est potestatem Romani Pontificis inferiorem esse Concilio Capuano provinciali. Ergo Romanus Pontifex non habet Primatum Jurisdictionis. P. A. In Epistola ad Anysium Thessalonicensem, et caeteros Illyrici Episcopos, a Concilio Capuensi ad cognoscendum de errore Bonosi haeretici deputatos, scribit: *Cum hujusmodi fuerint Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, et praecipue Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel scriptis cognoscerent: advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, recte de iis, quae comprehendit scriptorum vestrorum series decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus.* Ergo. R. N. A. Ad *probat.* R. I. Authorem illius Epistolae incertum esse. Multi ex eruditis eam Ambrosio tribuunt. R. II. N. C. Quamvis daremus, Epistolam illam ab ipso Siricio exaratam fuisse, nihil tamen ex illa contra Primatum evincitur. Etenim Siricius Papa non scripsit, potestatem ferendi in Bonosi causa judicii sibi non convenire; sed conveniens non esse dignitati suae Sedis, ut causae illius cognitionem susciperet, postquam delegati essent a Concilio Judices; quia videretur non suprema authoritate et a Christo immediate accepta, sed mutuatitia, et a Synodo demandata, judicare. Caeterum se judicaturum asserit, si causa adhuc integra esset, id est, si ejus cognitionem non suscepisset, aliisque commisisset Synodus. Siricii mens ex posterioribus ejusdem Epistolae verbis clare dignoscitur: *Ideo primum est, ut ii judi-*

sent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.

CCCXXX. *Objicitur. IV.* Authoritas *S. Gregorii M.* S. Gregorius Magnus Oecumenici seu Universalis Episcopi nomen semper rejecit, neque se ita appellari, aut ab aliis id nomen assumi permisit. Ergo fassus est nullam se jurisdictionem in alios Episcopos habere. P. A. I. Ad Eulogium Antiochenum scribens, a quo appellatus fuerat Universalis Papa, Lib. IV. Epist. XXXVI. ait: *Si Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc; recedant verba, quae vanitatem inflant, et charitatem vulnerant.* II. Lib. IV. Epist. XXXVIII. ad Joannem Jejunatorem CPolitanum, qui Oecumenici, seu Universalis Episcopi nomen assumpserat, scribit: *Vestra autem Sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quae illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus praesumpsit, qui veraciter Sanctus fuit. Numquid non, sicut vestra Fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicae Sedis Antistites, Universales, oblato honore, vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegasse videretur.* III. In eadem Epistola ipsi B. Petro Primatum videtur denegare; ait enim: *Certe Petrus Apostolus primum membrum Sanctae Universalis Ecclesiae est; Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quam singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiae.* Ergo. R. N. C. S. Gregorius M. Pri-

matum suum et agnovit, et saepius exercuit, ut testantur ejus Epistolae. Oecumenici Papae seu Episcopi nomen constanter repudiavit, non quod jurisdictionem se in omnes Episcopos habere non putaret; sed quia nomen hoc pravo sensui erat obnoxium, ac si solus Romanus Pontifex vere ac proprie foret Episcopus, reliqui autem in orbe Christiano Antistites forent Romani Pontificis Vicarii tantum ac delegati; utque insigni hoc Christianae demissionis exemplo superbiam Joannis CPolitani argueret, qui Oecumenici Episcopi titulum ambitiose captabat, et coacto CPoli Concilio, de causa Gregorii Patriarchae Antiocheni, in quem tamen nullum jus juxta Canones habebat, judicium sibi sumpsit: ideoque hoc nomine videbatur ille universalem in alios Patriarchas sibi nullo jure obnoxios potestatem arrogare, sicque supra caeteros se evehere. B. Petrum agnovit S. Gregorius tanquam membrum primarium, id est Caput visibile Ecclesiae Catholicae, subordinatum tamen invisiblli Capiti, quod est Chsistus; ideoque B. Petrum vocat membrum sub uno Capite Christo.

CCCXXXI. *Dices*. Non est verisimile, quod Joannes Jejunator hoc sensu sibi usurpaverit nomen Episcopi Oecumenici, quasi ipse solus esset Episcopus. Ergo Gregorius non hac de causa reprobavit titulum Episcopi Oecumenici. P. A. Anastasius Bibliothecarius: qui CC. annis post Gregorium floruit, in Praefatione versionis Nicaeni II. Concilii ad Joannem VIII. ait: *Asserebant Graeci, quod non ideo Oecumenicum, quod multi Universalem inrtepretati sunt, dicerent Patriarcham, quod universi orbis teneat praesulatum; sed quod cuidam orbis parti praesit, quae a Christianis inhabitatur*. II. Ipse Joannes Jejunator agnovit se Gre-

gorio subditum esse, cum ipse Sanctus Pontifex Lib. VII. Epist. XII. ad Joannem Syracusanum scribat: *De Ecclesia CPolitana, quod dicunt, quis dubitet eam Apostolicae Sedi esse subiectam? quod et Dominus piissimus Imperator, et frater noster ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitentur.* Ergo. R. C. A. N. C. Quamvis Joannes Jejunator in tam pravo sensu non arrogaverit sibi nomen Oecumenici Episcopi, recte tamen ac prudenter insectatus est illud nomen S. Gregorius M. I. Quia saltem obnoxium erat pravo sensui. II. Quia perspecta illi erat Graeculorum arrogantia et perfidia; merito enim timendum erat, ne Successores Joannis, tam grandi nomine obtento, litem de Primatu Romanae Ecclesiae intentarent. III. Quia hoc nomine, in quocunque demum sensu acciperetur, CPolitani praeferri videbantur Patriarchis Alexandrino et Antiocheno: quam praeeminentiam, licet a CPolitano I. et Chalcedonensi sancitam, constanter reprobavit Romana Ecclesia usque ad tempora Lateranensis IV. Concilii sub Innocentio III.

CCCXXXII. *Objicitur V.* Auctoritas aliorum Patrum. S. Hieronymus Epist. ad Evagrium scribit: *Si Auctoritas quaeritur, orbis major est Urbe: quid mihi profers unius Urbis consuetudinem? Quia paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiae vindicas? Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive CPoli, sive Rhegii, sive Alexandriae ejusdem meriti est, et ejusdem Sacerdotii.* Ergo juxta S. Hieronymum Pontifex Romanus majorem potestatem non habet, quam Eugubinus, aut alii Antistites. II. *S. Gaudentius* Brixiensis Serm. I. in die suae Ordinationis, S. Ambrosium vocat *Petri Successorem.*

III. *S. Bernardus* Epist. XLII. Episcopos vocat *Vicarios Christi.* IV. Episcopi saepissime vocabantur *Papae*, ut constat ex Epistolis SS. Hieronymi et Augustini. V. Ipsi denique Romani Pontifices Episcopos vocant *Venerabiles Fratres.* R. ad I. N. C. S. Hieronymus Epist. cit. carpit Diaconos Romanos, qui contra morem totius Ecclesiae adversus Presbyteros supercilium erigebant, eoquod Summo Pontifici assisterent. Id nullo modo ferendum esse ait S. Doctor, cum repugnet Universalis Ecclesiae disciplinae, docetque omnes Episcopos pares esse potestate Ordinis, atque ideo omni veneratione dignos, quamvis pares non sint potestate jurisdictionis. Ad II. R. B. Ambrosium Petri successorem vocari, quia unus Petrus Ecclesiastici ordinis quodam modo fons est et origo, nec non potestatis in omnes Episcopos derivatae. Ad III. Episcopi dicuntur Vicarii Christi, eo quod quilibet eorum in sua particulari, non vero Universali Ecclesia vices Christi agat. Ad IV. Papa idem dicit ac Pater; hicque honoris titulus priscis temporibus non Episcopis tantum, sed saepe etiam Presbyteris concedebatur: sicut nostro aevo Patris titulus datur Presbyteris Regularibus, qui tamen olim praecipue Episcopo tribuebatur. Ad V. Episcopi vocantur a Romanis Pontificibus *Fratres venerabiles*, quia in partem sollicitudinis Pastoralis vocati sunt, et potestate Ordinis sunt aequales.

CCCXXXIII. *Objicitur VI.* Auctoritas Concilii *Nicaeni I.* Nicaenum I. Canone VI. juxta versionem *Dionysii Exigui* ita statuit: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libiam, et Pentapolim; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est.*

Similiter autem et apud Antiochiam, caeterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Vel juxta Ruffini versionem: *Et ut apud Alexandriam, et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ergo Nicaenum restrinxit potestatem Pontificis Romani intra limites Occidentis. Ergo illius jurisdictio non se extendit ad omnes totius orbis Ecclesias. R. Pontificis Romani Primatus Canone illo nullis limitibus circumscriptus est; idque ostenditur I. Quia Paschasinus, Leonis M. Legatus, in Chalcedonensi ex suo codice Canonem illum ita recitavit: *Trecentorum decem et octo Patrum Canon sextus. Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* II. Auctoritate S. Bonifacii I. Epist. ad Episcopos Thessaliae, S. Nicolai I. Epist. ad Michaelem Imp. ac praecipue S. Gelasii, qui in Epist. ad Orientales scribit: *Qua enim ratione vel consequentia aliis Sedibus deferendum est, si primae B. Petri Sedi antiqua et vetusta reverentia non deferetur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorumque decem et octo Patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor.* III. Post sancitum illum Canonem, Romanus Episcopus et de personis aliorum Patriarcharum, et de sententiis ab ipsis latis judicium tulit: nec ipsum eam ob rem usurpatae authoritatis, violatique Nicaeni Canonis VI. coarguit aliquis. Quare Canon ille non loquitur de Romano Pontifice, ut Vicario Christi, et Successore B. Petri in Primatu, qui ex officio universam Ecclesiam Dei gubernat; sed de eodem tanquam Patriarcha Occidentis, qui praeter generalem illam omnium Ecclesiarum, specialem habet curam Ecclesiarum Oc-

cidentis. Itaque Nicaenum Concilium Alexandrini Patriarchae potestatem et jurisdictionem non mensuravit ad normam Pontificiae potestatis, quae Romano Episcopo in orbem competit universum; sed ad normam Patriarchici juris, quo ille fruitur, in solum Occidentem. Expositio Ruffini verius Nicaeni Canonis interpolatio est, quam versio fidelis, ideoque nulla illius ratio habenda est: cui enim non sit merito suspectus auctor, cui odium in Romanam Ecclesiam, a qua damnatus fuerat, et interpolandis auctoribus projecta audacia ac temeritas fidem omnem derogant? Vide plura apud *Natalem Alexandrum* Dissertat. XX. Hist. Eccles. Saeculi IV.

CCCXXXIV. *Objicitur VII.* Auctoritas aliorum Conciliorum. Concilia Generalia, CPolitanum I. Can. II. *Chalcedonense* Can. XXVIII. *Quini-Sextum* Can. XXXVI. tribuunt parem authoritatem CPolitano Patriarchae cum Romano Pontifice. Ergo Romanus Pontifex Primatum non habuit in Ecclesiam Orientalem. II. In Concilio *Africano* statutum est, *ne primae sedis Episcopus appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, sed tantum primae Sedis Episcopus: universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, ut legitur apud *Gratianum* in Decreto Dist. XCIX. Cap. *Primae Sedis.* R. I. N. A. Mens horum Conciliorum nunquam fuit CPolitanos Episcopos aequare Romano Pontifici ut Capiti universalis Ecclesiae, sed tantum ut Patriarchae Occidentis; ideoque CPolitanum I. Can. II. ait: *CPolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* R. II. nego etiam Conseq. quia Canones illos constantissime rejecit Romana

Ecclesia, usque ad tempora Lateranensis IV. Canones Quini-sexti non a Generali Concilio sanciti sunt, sed a Trullana Graecorum Synodo, CPoli habita in palatio Imperatoris Justiniani II. ad finem saeculi VII, eosque S. Sergius I. Papa reprobavit, praeter illos, quibus antiqua disciplina, in Romana Ecclesia jamdiu antea observata continebatur. Ad II. R. Canonem illum loqui de Africanis Metropolitis, qui se Principes Sacerdotum vocabant. Posteriora verba: *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, non sunt Concilii Africani, sed compilatoris Gratiani, qui multa alia supposititia Canonum collectioni immiscuit.

CCCXXXV. *Objicitur VIII.* Ratio. Episcopi sunt Successores Apostolorum. II. Jurisdictio in universam Ecclesiam est praerogativa Apostolica. III. Episcopi jurisdictionem suam immediate a Deo accipiunt. Ergo non pendent a Papa. IV. Primatus jurisdictionis fuit Privilegium B. Petri personale. Ergo cum illo extinctus fuit Primatus ille. R. ad I. Episcopi sunt Successores Apostolorum quoad potestatem Episcopalem, non vero quoad jurisdictionem universalem, quae tamen ipsa dependebat a B. Petro, eique erat subordinata. Ad II. Jurisdictio in universam Ecclesiam, ipsi tamen B. Petro subordinata, erat praerogativa Apostolica, minime transfundenda in Successores, sed cum ipsis Apostolis interitura, quia erat extraordinaria. Ad III. Transmisso antecedente, de quo alibi disputabimus, N. C. Quia quamvis Episcopi potestatem suam immediate a Christo acciperent, certum tamen foret, eam ab ipsis exerceri non posse absque subordinatione et dependentia a Romano Pontifice, idque ex ipsius Christi institutione. Ad IV. Dist. Erat privilegium Petri personale, sed ta-

men publicum, id est, a Christo datum, ut ob bonum Ecclesiae transiret ad Successores Petri, C. A. Privilegium Petri personale privatum, sive datum B. Petro pro se tantum, N. A. et C.

CCCXXXVI. *Objicitur IX.* Infirmitas argumenti, quod ex appellationibus ad Romanum Pontificem ducitur. Falsum est, quod Controversiae Ecclesiasticae majores et difficiliores tam ex Oriente quam Occidente ad Romanum Pontificem, tanquam supremum Judicem, deferri debuerint; quodque primis saeculis per viam appellationis delatae fuerint causae majores tam personales quam Religionis ad Sedem Apostolicam. Ergo ex hoc capite probari non potest Primatus Romani Pontificis. I. pars antecedentis probatur negative. II. vero positive. Sardicensis Synodus non asseruit Romano Pontifici jus ac potestatem judicandi appellationes ab Episcopis depositis factam ad Sedem Apostolicam, sed solum asseruit illi jus concedendi revisionem Ergo. P. A. Appellatio integram causae cognitionem transfert ad judicem superiorem, qui quaestionem excutit, et definit in suo tribunali: revisio autem definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus Judicibus novi etiam adjungantur. Atqui Canones Sardicenses integram causae cognitionem ad Romanum Episcopum non transferunt, ut eam in suo tribunali definiat, sed ad Judices, quos ipse prioribus Judicibus adjunxerit. Ergo Sardicenses Canones Romano Pontifici asserunt tantum jus revisionis. Ita illustrissimus *Petrus de Marca* Lib. VII. de Concordia Sacerdotii et Imperii Cap. III. R. N. A. Causas majores ex universo orbe semper delatas fuisse ad Romanum Pontificem, tanquam supremum Judicem, ostendit antiquissima Ec-

clesiae praxis, testanturque id fieri debere Pontifices, in quos ob eximiam sanctitatem et doctrinam nulla potest suspicio cadere erroris in re tam gravi, fraudis, aut temere arrogatae potestatis. S. Julius Papa, teste Sozomeno Lib. III. Hist. Eccles. Cap. IX. ad Concilii Antiocheni Patres scripsit, *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quae pronuntiat acta illa irrita esse, quae praeter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Et Epist. I. ad Orientales Episcopos Num. XXII. editionis Petri Coustant. *Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur? Sane si qua hujusmodi suspicio in illius Urbis Episcopum* (Athanasium) *cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuit.* S. Innocentius I. Epist. ad Victricium Rothomagensem: *Si autem majores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale judicium referantur.* Id ipsum diserte professi sunt LXXXV. Galliarum Episcopi Anno 1651. ad Innocentium X. scribentes. *Majores causas ad sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.*

CCCXXXVII. Neque minus falsum est alterum Antecedentis membrum. Ad *probat.* N. A. Ad hujus *probat.* N. m. Sardicensis Synodus potestatem Romano Pontifici asseruit judicia lata in Synodo provinciali confirmandi: item potestatem dandi judices, nominandique Episcopos ex viciniis provinciis, qui causam discutiant, et sententiam priorem confirment, rescindant, aut temperent; nec non mittendi Legatos, qui auctoritate Se-

dis Apostolicae cum illis Episcopis judicent: immo non solum dandi novos judices, nempe Episcopos ex viciniori provincia, sed etiam discutiendi eorum sententiam, si ab ea Episcopus provocaverit, quin Episcopi provinciales, qui judicium tulerunt, interesse debeant secundo judicio. Ergo Sardicense non tantum Romano Pontifici asserit jus decernendae revisionis sed etiam judicandi appellationes, ab Episcopis depositis factas ad Romanam Sedem. P. A. ex Canone III. Sardicensi. *Quod si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur; si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo: et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt; quae decreverit, confirmata erunt.* Et Ex Canone IV. *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma: alter Episcopus in ejus Cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur; nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Vide Natalem Alexandrum Dissert. XXVIII. Hist. Eccles. Saec. IV.

CCCXXXVIII. *Dices I.* Concilium *Milevitanum*, seu potius *Carthaginense* plenarium, Anno 418. celebratum Can. XXII. ita statuit: *Quod si ab eis* (Episcopis vicinis) *provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, a nullo intra Africam recipiantur.* Ergo

Milevitanum censuit, Romanum Pontificem jus non habere judicandi, et admittendi appellationes ab Episcopis factas ad Sedem Apostolicam. R. N. C. et dico, Canone illo appellationes ad Romanum Pontificem non prohiberi Episcopis, sed Presbyteris tantum et inferioribus Clericis, ut patet ex integro Canone, cujus initium est: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel caeteri inferiores Clerici in causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, et inter eos quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si et ab eis provocandum putaverint etc.* ut supra. Presbyteris autem et inferioribus Clericis prohibitae fuerunt appellationes ad Sedem Apostolicam, non quod potestas eas recipiendi Romano Pontifici non competat; sed quia ejusmodi appellationes communiter non expediebant in tanta locorum distantia, ac praesertim, quia ex permissione appellationis, etiam inferioribus Clericis facta, facile contingere poterat, ut multi effugerent legitima judicia, ut immerito vexarentur Episcopi qui primo judicarant, ut causae alioquin faciles et perspicuae in longum tempus protraherentur etc.

CCCXXXIX. *Dices II.* In *Carthaginensi* Synodo, Anno 419. cum Episcopi Africani in causa Apiarii Presbyteri Siccensis, ab Urbano Episcopo suo depositi, congregati essent, Faustinus Episcopus, Philippus et Asellus Presbyteri, Legati Zosimi Papae, urgebant, ut Decretum Concilii Nicaeni de appellationibus Episcoporum ad Sedem Apostolicam, et inferiorum Clericorum a proprii Episcopi judicio ad finitimos Episcopos provocantium, in Africa reciperetur. Episcopi Africani responderunt, se non reperire ejusmodi Canonem Nicaenum de appellationibus; permissuros se tamen illas,

donec authenticum Nicaenorum Canonum exemplar obtinerent ab Episcopis CPolitano et Alexandrino. Paulo post ad Bonifacium, qui Zosimo successerat, scripserunt, praetensum Canonem Nicaenum neque in Latinis neque in Graecis exemplaribus, quae ipsis miserant Atticus CPolitanus, et Cyrillus Alexandrinus, se invenisse; rogaruntque Pontificem, nisi pleniore facta perquisitione certo constaret, hoc ipsum a Nicaenis Patribus fuisse decretum, ne Africanas Ecclesias velit ad hanc observantiam adigere. Ergo saeculo V. nulli extabant Canones, quibus appellatio ad Romanam Sedem permittebatur: aut saltem Zosimus fraudulenter egit, obtendendo authoritatem Concilii Nicaeni, quod tamen hac de re nihil statuerat. R. N. C. S. Zosimus per Nicaenos Canones intelligebat Sardicenses, quia Sardicensis Synodus appendix dicebatur Nicaenae, parisque cum ea erat authoritatis. Praeterea in collectione Canonum, qua Romana utebatur Ecclesia, permixti erant Canones Nicaeni et Sardicenses sub eadem Nicaeni Concilii inscriptione, ut manifeste patet ex Justellianis et Quesnellianis Nicaenorum Canonum editionibus. Porro Africanis nihil de legitima Sardicensi Synodo constabat, sed tantum de Arianorum conciliabulo, qui relicta Sardica Philippopolim secesserant, ut aperte colligitur ex *S. Augustino* Lib. III. contra Cresconium Cap. XXXIV. Ariani enim illi, Philippopoli coeuntes, sub ementito Concilii Sardicensis nomine Canones conflarunt, quos Donatistarum Episcopi, inita cum Arianis societate, tota Africa sparserunt, legitimamque Sardicae Synodum occultari ac supprimi curaverunt.

CCCXL. *Dices III.* Gratus Carthaginensis Episcopus, quinque supra triginta stipatus Afris Episcopis,

Sardicensi Concilio interfuit A. 347. Quin immo Anno 348. Synodum habuit Carthagine, in qua Sardicensis Concilii, cui interfuerat, mentionem fecit, et XV. Sardicensem Canonem recitavit. Ergo credibile non est, temporibus S. Zosimi ignotos fuisse Africanis Episcopis Sardicenses Canones. R. C. A. N. C. Si Sardicenses Canones noti tunc fuissent Africanis, S. Augustinus Lib. III. contra Cresconium Cap. XXXIV. minime scripsisset: *Disce ergo, quod nescis. Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod totum diu est quod habemus in manibus, contractum maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum.* Neque profecto Africani Patres in Concilio Carthaginensi VI. sub Aurelio A. 419. congregato, quando Faustinus Zosimi Legatus Canones VII. et XVII. sub nomine Nicaenorum ipsis praelegit, Innocentium Presbyterum Alexandriam ad Cyrillum, et Marcellum Subdiaconum CPolim ad Atticum misissent, ut exemplaria Nicaenorum Canonum ex antiquioribus codicibus Ecclesiae Alexandrinae et CPolitanae descripta in Africam deferrent; siquidem perinde erat, an Canones illi in Nicaena, vel Sardicensi fuerint sanciti, cum utraque Synodus fuerit Oecumenica, atque a Romanis Pontificibus approbata. Qua vero ratione contigerit, ut legitimae Sardicensis Synodi, ejusque Canonum memoria in Africa interierit, certum omnino atque exploratum non est. Credibile est, in immanissima illa Circumcellionum direptione, et universae Africae vastatione, spatio annorum septuaginta, quot a Grato ad Aurelium ferme effluxerunt, exemplaria omnia Sardicensis Synodi fortuito, vel potius meditato, Donatistarum opera, intercepta ac deleta fuisse.

CCCXLI. *Dices IV.* Episcopi Africani etiam post

tempora Zosimi rejecerunt appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam. Ergo. R. N. A. Putabant equidem Africani Patres, Transmarinas ad Sedem Apostolicam appellationes periculosas esse, nec sine multis cautionibus a Pontifice admittendas esse; attamen praecipue re melius perspecta, et Sardicensis Synodi authoritate cognita, eas de jure irritas esse, ut potestatem hanc Romano Pontifici non competere nunquam senserunt. Nam I. In causa Antonii Fussalensis Episcopi, qui ob enormia crimina Synodali sententia ab omni Fussalensis Ecclesiae administratione interdictus, ad Bonifacium Papam appellaverat, *S. Augustinus* Epist. CCIX, quam ad S. Coelestinum Bonifacii Successorem A. 423. scripsit; orat illum effusissimis precibus, ne Fussalensis Ecclesiae administrationem Antonio, ad Apostolicam Sedem provocanti, restituat, sed latam adversus eum in judicio Africano sententiam omnino vigere sinat. II. In eadem Epistola S. Augustinus testatur, recentissime tres Episcopos Provinciae Caesariensis, Priscum, Victorem, et Laurentium a simili Synodali sententia ad Apostolicam Sedem appellasse, quae ratam habuit, confirmavitque latam ab Episcopis Afris sententiam. III. *Carthaginensis* Synodus Anno 425. in Epistola ad S. Coelestinum, hanc potestatem appellationes admittendi ac judicandi diserte agnoscit; rogat tamen, ne a se excommunicatos praepropere communioni ipse restituat, utque Presbyterorum inferiorisque Cleri appellationes, atque perfugia improba a se repellat, tum propter statuta Ecclesiae Africanae, tum propter Decreta Nicaena, tum propter difficultatem transmarini judicii ex perdifficili necessariorum testium accessu. *Impendio deprecamur*, ait Synodus, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admit-*

tatis; nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere. – – – Ne in sua provincia a communione suspensi, a tua Sanctitate praepropere, vel indebite videantur communioni restitui. – – – – Presbyterorum quoque, et sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua. IV. Temporibus *S. Gregorii M.* non Episcopi modo, sed etiam inferiores Clerici ad Sedem Apostolicam saepius appellarunt. Unde Sanctus hic Pontifex Lib. I. Epist. LXXXII. ad Hilarium Monachum, meminit appellationis ad suum tribunal Felicissimi, atque Vincentii Diaconorum Ecclesiae Lamighensis in Africa, et Lib. II. Epist. XXXIII. ad Columbum Episcopum appellationis Constantii et Mustellae Diaconorum. In alis Ecclesiis tum Orientis, tum Occidentis id frequentissime contigisse, testantur Epistolae *S. Zosimi*, *S. Coelestini*, *S. Leonis M.* et *S. Gregorii M.*

CCCXLII. *Dices V.* Saltem jus appellationum ad Sedem Romanam a Synodo Sardicensi institutum fuit. Ergo Romanus Pontifex jus illud non habet ex institutione Christi, et ratione sui Primatus. P. A. Osius in Sardicensi ait ad Patres Concilii Can. III. *Si vestrae dilectioni videtur, S. Petri Apostoli memoriam honoremus etc.* Ergo per illa verba indicavit, se inusitatum quidpiam, et novum proponere. R. N. A. Jus illud a Sardicensi non institutum fuit, sed confirmatum, laudatum, ac declaratum. Nam I. Romanus Pontifex jure divino est Caput Ecclesiae, jurisdictione Episcopis superior, et Vicarius Christi. Ergo cum aequitas naturalis persuadeat ab inferiorum judicum sententiis ad supremum judicem appellari posse, consequens est, jus appellationum natura sua pertinere ad Primatum Romani Pontificis. II. Hoc jus, nemine reclamante,

jam diu ante Sardicensem Synodum ab Apostolica Sede fuit exercitum. Marcion Synopensis Episcopi filius, a Patre excommunicatus circa A. 138. Romam venit, petiitque rescindi Patris sui sententiam, et ad communionem Ecclesiae Romanae admitti, Sede per mortem Telesphori vacante, atque ante electionem Hygini Pontificis. Saeculo III. Fortunatus Pseudo-Episcopus Carthaginensis, a S. Cypriano excommunicatus, ad Cornelium Papam appellavit, Romamque se contulit, ut constat ex Epistola S. Cypriani LV. ad Cornelium. Basilides Hispanus, Episcopus libellaticus, a Synodo depositus, ad Stephanum Papam appellavit. Saeculo IV. S. Athanasius Alexandrinus, Asclepas Gazensis, Paulus CPolitanus, Marcellus Ancyranus etc. ad S. Julium I. ante tempora Sardicensis Concilii appellaverunt. Ad *probat*. C. A. N. C. Nam I. mos est solemnis veteribus Conciliis, cum antiquas Ecclesiae consuetudines legesque non scriptas renovant, illas proponere quasi de novo instituerent, et re in deliberationem vocata, ipsas communibus Patrum suffragiis firmare, observandasque decernere verbis futuri temporis. Hoc modo prohibitiones Episcopis factae in Sardicensi Concilio, ne ex uno Episcopatu ad alium migrarent, et ne Clericum ab alio Antistite excommunicatum in communionem susciperent, Patribus propositae sunt, ab iisque decretae, quamvis tunc primum institutae non sint, sed usu diuturno ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia stabilitae sacrae illae leges, et in Nicaena Synodo confirmatae. II. Idem est asserere, appellationes Episcoporum ad Summum Pontificem esse deferendas, ut honoretur memoria S. Petri, ac dicere, ipsum esse S. Petri in totius Ecclesiae regimine Successorem, et ratione istius successionis ac Primatus

jus appellationum Episcopalium judicandarum ipsi convenire, ut Ecclesiae universae Capiti. Vide *Natalem Alexandrum* Dissert. XXVIII. in Hist. Eccles. Saeculi IV. *Laurentium Alticotium* in Summa Augustiniana Parte III. Quaest. II. Artic. V. *Cabassutium* in Notitia Ecclesiastica. *Gerardum Casteel* in Controversiis Ecclesiastico-Historicis, Controversia XXXI.

CONTROVERSIA IV.

AN ELECTIO, VEL CONFIRMATIO ROMANI PONTIFICIS JURE PROPRIO AD IMPERATORES SPECTET?

Contra Protestantes.

CCCXLIII.

Protestantes Scriptores; quos inter Goldastus, Conringius, Puffendorffius, Pfeffingerus, Boehmerus, aliique, pertinaciter contendunt, jus eligendi, nominandi, ac confirmandi Romanum Pontificem jure proprio ad Imperatores spectare, eorumque Coronae adnexum esse. Eundem errorem ante Protestantes docuerant Marsilius Patavinus, notus Romanorum Pontificum hostis, et Guilielmus Ockamus, qui calamum Ludovico V. Imperatori adversus Pontifices vendiderant, ajebantque praetenso huic juri ab Imperatoribus, qui Ludovicum praecesserant, renuntiari non potuisse; quia potestas ordinandi Apostolicam Sedem ad jus publicum pertinet, cui derogari non potest per quamcunque Caesarum cessionem.

CCCXLIV. *Conclusio.* Jus nominandi, eligendi,

aut confirmandi Pontificem Romanum jure proprio non competit Imperatoribus. *Prob.* Si hoc jus Coronae Caesareae jure proprio adnexum esset, potestas haec nitetur jure divino naturali, vel positivo, aut jure humano Ecclesiastico, vel politico. Atqui nihil horum dici potest. Ergo. Major propositio est certa, quia titulus alius excogitari nequit, vi cujus haec potestas Imperatoribus competat. P. m. Non competit I. jure divino naturali, quia potestas politica toto coelo differt a potestate Sacerdotii, tam fine quam mediis: tam effectu quam causa. II. Neque jure divino positivo; id enim ex nullo Scripturae loco, aut ex Verbo Dei tradito evinci potest; alias sequeretur, Ecclesiam per plura saecula legitimis caruisse Pastoribus, praecipue primis V. saeculis, quibus nullus Imperatorum tam Ethnicorum quam Christianorum hanc potestatem sibi arrogavit. III. Non jure humano Ecclesiastico; praeterquam enim, quod ex eo sequeretur, hanc potestatem Imperatoribus non competere jure proprio, ut volunt Protestantes, sed alieno, nempe Ecclesiae; potuit hoc indultum ab Ecclesia Imperatoribus datum ad aedificationem, nimirum ob seditionum pericula, Tusculanorum Comitum violentiam, ac temporum acerbitatem, cessante causa, ab Ecclesia iterum revocari; praecipue cum illa animadverteret, indulto hoc abuti Imperatores, non ad aedificationem, sed ad destructionem Ecclesiae. IV. Non jure humano politico, per viam legitimae praescriptionis; quia usurpatio ex vi et injuria orta, nullum jus legitimum efficit: neque consuetudo valorem tribuit, quae gravissimus est abusus, repugnans priscis Ecclesiae moribus, et sanctionibus.

OBJECTIONES.

CCCXLV. *Objicitur I.* Jus Imperatorum Occidentis. Imperatores, et Reges Italiae a Constantino M. ad Justinianum usque usi sunt hoc jure. Ergo. P. A. I. Valentinianus I. Anno 366. Ursicinum Antipapam Roma expulit, et Damasum constituit. II. Honorius Imp. Anno 418. Bonifacium et Eulalium, contendentes de Papatu, Ravennam accersivit, et Pontificatum Bonifacio detulit. III. Theodoricus Italiae Rex sententiam tulit in causa Symmachi et Laurentii: jus eligendi ac confirmandi Romanum Pontificem sibi attribuit, et post obitum Joannis I. Felicem IV. Pontificem constituit Anno 526. Ergo. R. I. Violentia et injuria nullum jus constituunt. R. II. N. A. Ad I. Patres in Synodo Romana congregati, Valentiniani et Gratiani Caesarum opem implorarunt adversus Ursicinum Schismatis authorem, quem Valentinianus, nequaquam jus electionis sibi arrogans, sed rogatus a Patribus, et seditionis impediendae causa, Roma expulit, Gratianus vero postea in Gallias relegavit. Ad II. Cum Symmachus Urbis Praefectus Honorio Imperatori scripsisset, Eulalium Archidiaconum legitime fuisse electum, Bonifacium vero in Sedem Romanam se intrusisse; Honorius hac mendaci relatione deceptus rescripsit, Ordinationem Eulalii esse legitimam, Bonifacium aut coercendum, aut si acquiescere nollet, ex Urbe pellendum. Verum postea a Clero Romano rei seriem edoctus, utrumque electum Ravennam accersivit, atque hanc controversiam in Synodo Episcoporum jussit dijudicari. Eulalius interea morae impatiens, Urbem ingressus, seditionem ma-

gis accendit: unde jussu Imperatoris Roma exire jussus est, et causa Bonifacio adjudicata, decretumque ab Honorio, postulante id Bonifacio, ut si duo deinceps per ambitum electi fuissent, *ille solus in Sede Apostolica permaneret, quem ex numero Clericorum, nova ordinatione divinum judicium, et universitatis consensus elegisset.* Ad III. Theodoricus Rex, quamvis Arianus, in causa Symmachi et Laurentii sententiam non tulit, sed Romae jussit convocari Synodum, cui significavit, *in Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se, praeter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere*: *seque tantum velle, ut provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur.* His litteris acceptis, Laurentius Antipapa a Patribus Concilii damnatus est, Symmachus vero innocens declaratus est. Theodoricus proposuit quidem post obitum Joannis, Felicem IV. Clero, Senatui, populoque Romano; sed diu illi restitere, donec ea tandem lege res composita est, ut more pristino Clerus Pontificem eligeret, quem tamen Rex assensu suo confirmaret, certa pecuniae summa pro confirmatione imperata, non Romano Pontifici tantum, sed etiam omnibus Episcopis qui sub Gothorum ditione in Italia gemebant, ut constat ex Edicto Athalarici, qui Theodorico successit: qua in re Theodoricus, ejusque successores, justitiae et potestatis suae limites transgressi sunt. Quod si Constantium Imperatorem objicias, qui Liberium Papam Roma expulit, substituto ei Felice II. R. Constantium hac re injuste omnino ac perfide egisse, neo ipsi Protestantes inficiabuntur, qui Nicaenam Synodum venerantur, ob cujus defensionem exulare jussus fuit Liberius.

CCCXLVI. *Objicitur II.* Jus Imperatorum Orientalium. Idem jus, quod Reges Gothorum in Italia, exactis per Belisarium et Narsetem Gothis, exercuerunt etiam Imperatores Orientales a Justiniano usque ad Carolum Magnum. Praeterquam enim, quod a quolibet Pontifice pecunia numeranda fuerit pro confirmatione, nimirum XX. librae auri, Electus consecrari non poterat, antequam consensus Imperatoris CPolitani accederet. R. a Justiniano ejusque Successoribus haec perperam, et cum violentia atque injuria acta fuisse, Ecclesia id, cum impedire non posset, ad evitanda tamen majora mala dissimulante. Certe de hoc penso pecuniario questus est S. Gregorius M., aut quicunque demum fuerit Commentarii illius author in Psalm. V. scribens: *Domina Gentium, et Regina provinciarum* (Ecclesia) *facta est sub tributo.* Constantinus Pogonatus Imperator Anno 685. servitutem illam sustulit, dum abrogato Enthronistico praecepit etiam, ut absque mora post electionem consecraretur Pontifex. Justinianus II. Pogonati Filius, ad existimatum jus respectans, voluit ut Electionis Pontificiae approbatio saltem ab Exarchis Ravennatensibus peteretur. Quare Anno 686. Cononis Papae electionem ad Theodoricum Exarchum missam fuisse legimus. Saeculo tamen VIII. post mortem Gregorii III., cum tunc, praevalentibus ubique Longobardis, Exarchi Eutychii penitus eviluisset auctoritas, Zacharias Anno 741. statim electus, et consecratus fuit, absque ullo ad Exarchum recursu; idemque postea in electionibus Successorum Zachariae observatum fuit.

CCCXLVII. *Objicitur III.* Privilegium *Hadriani.* Hadrianus I. concessit Carolo Magno privilegium eli-

gendi Pontificem, ut constat ex Sigeberto Gemblacensi in suo Chronico ad Annum 773. ubi de Carolo M. ita scribit: *Synodum constituit cum Hadriano Papa, aliisque CLIII. religiosis Episcopis, et Abbatibus, in qua Hadrianus Papa cum universali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatem quoque Patritiatus: insuper Archiepiscopos et Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, et ut nisi a Rege laudetur et investiatur Episcopus, a nemine consecretur: omnesque huic Decreto rebelles anathematizavit, et nisi resipiscerent, eorum bona publicari jussit.* Hoc ipsum privilegium exhibet Gratianus in Decreto Cap. Hadrianus Dist. LXIII. Ergo. R. I. Ergo Carolus Magnus non jure proprio hanc potestatem habuit, sed jure delegato, atque ex indulto Pontificis. R. II. N. A. Sigebertum Gemblacensem Anno 1112. haec scripsisse mirandum non foret, cum Enrico V. Imperatori Schismatico faverit, qui Episcoporum investituras sibi adversus Paschalem II. deposcebat: quamquam non desint, qui ab interpolatore Schismatico haec Sigeberto addita fuisse contendunt. Privilegium hoc supposititium esse invictis rationibus ostendunt *Baronius, Bellarminus, Pagius, Gretserus, Thomassinus, Natalis Alexander, Papebrochius, Sigismundus Calles, Sfondratus, Sandinus*, etc. I. Quia apud *Eginhardum*, alios que synchronos Scriptores altum est hac de re silentium. II. In illa universali Synodo perperam dicitur Hadrianus dedisse Carolo dignitatem Patritiatus, quam tamen jure haereditario acceperat ab avo suo Carolo Martello, cui Patritiatum contulerat Gregorius III. eumque Stephanus II. confirmaverat Pipino, et Filiis ejus Carolomanno et Carolo. Quare Paulus I. et Stephanus III.

Hadriani praedecessores, litteras Carolo Romanorum Patritio inscripserunt. III. *Florus Magister* Lib. de Electione Episcoporum Cap. VI. scripsit circa Annum 820. *In Romana Ecclesia usque in praesentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis* (divinae) *judicio, et fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari. Lupus Ferrariensis*, qui in aula Ludovici Pii Imperatoris versabatur, Epist. LXXXI. disserens de jure Regum in electionibus Epsicoporum, se unice fundat in concessione Zachariae Pipino facta, non omissurus utique privilegium ab Hadriano in Romana Synodo Carolo M. collatum, si quod exstitisset. IV. Carolo M. desideranti, ut Episcopi Ravennatis electio non fieret absque Missorum suorum interventu, Hadrianus A. 787. respondit, id nunquam factum; sed morem istum observatum fuisse etiam temporibus Pipini Regis, ut decreto Cleri et plebis ad Sedem Apostolicam perlato, proprium sibi Antistitem consecrandum Ravennates peterent. Multo minus ergo concessisset Carolo jus eligendi Romanum Pontificem. V. Carolus M. post mortem Hadriani usus non fuit hoc privilegio: siquidem, teste Anastasio Bibliothecario Leo III. eadem die qua obiit Hadrianus, electus est a Clero, Senatu, et Populo Romano unanimi suffragio, et sequenti die consecratus. VI. Henricus uterque, IV. et V. tot annis cum Pontificibus de Episcoporum invest ituris digladiantes, se suumque hoc jus nunquam privilegio Hadriani tutati sunt.

CCCXLVIII. *Dices*. Paschalis I. statim post electionem suam per Legatos apud Ludovicum Pium Imperatorem se excusavit, quod sine Imperatoris authoritate Pontificatum iniisset, ut satis indicare videtur Egi-

nahrdus in Annalibus scribens : *Stephano Paschalis successor datus est, qui post completam solemniter Ordinationem suam, et munera et excusatoriam ad Imperatorem misit epistolam, in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem velut impactum asseverat.* Ergo. R. N. A. Paschalis Legatos misit ad Ludovicum, ut purgaret se de ambitione sibi impacta, non autem de eo, quod absque praesentia Legatorum Imperatoris ordinatus fuerit. De hoc certe nullum adhuc extabat decretum, et Eugenius etiam, Paschalis successor, nullo Caesareo Legato praesente ordinatus fuit. Caeterum Eugenius II. A. 825. ad praecavendas turbas decrevit, ut consecrationi Romani Pontificis Legati Imperiales interessent. Cumque nihilominus Romani A. 844. Sergium II. inconsulto Lothario Imperatore, ordinassent is Ludovicum Filium suum, magno ut scribit *Anastasius Bibliothecarius*, cum Francorum exercitu Romam direxit, ad defensionem juris sui, et electionem Sergii confimandam. Sergio defuncto, cum propter Mauros et Saracenos Italiam propulantes, Legati Imperatoris Romam proficisci tuto non possent, sine eorum praesentia ordinatus quidem est Leo IV., sub hac tamen protestatione, quod ea in re nequaquam Romani laesam velint fidem, et honorem Imperatori debitum. Hoc decretum Eugenii in reliquis deinceps electionibus observatum, tandem ab Hadriano III. A. 884. abrogatum fuit, ut refert *Sigonius* Lib. V. de Regno Italiae. Hinc Stephanum V. Hadriani III. Successorem, ordinatum fuisse legimus, antequam Imperator Carolus Crassus Legatos suos mitteret, qui ejus Ordinationi interessent. Vide *Leonardum Grebnerum* Tractatu de sta-

ta Ecclesiae sub Imperio Regum et Imperatorum Stirpis Carolingicae Parte III. Observatione VI.

CCCXLIX. *Objicitur IV.* Privilegium *Leonis* VIII. Apud *Gratianum* Distinct. LXIII. Cap. *in Synodo* legitur, Leonem VIII. Ottoni Imperatori Anno 964. concessisse jus eligendi Romanum Pontificem, ordinandi Apostolicam Sedem, et Episcopos investiendi. Ergo. R. I. Leonem VIII. non fuisse legitimum Pontificem, quia viventibus adhuc Joanni XII. ejusque Successori Benedicto V. legitimis verisque Pontificibus suppositus est: ob quam causam *Dithamarus* Episcopus Merseburgensis, illorum temporum Scriptor celebris, Lib. II. Chron. testatur, exercitum Ottonis saevissima peste, cum ingenti Procerum et Antistitum clade, deletum fuisse. R. II. etiam praetensum illud Leoninum Decretum ac privilegium esse suppositium, atque ex mendacii officina prodiisse. Nam I. citatur in eo privilegium Carolo M. concessum ab Hadriano. II. Dicitur in illo; quod Leo det Ottoni, *ut ipse esset Patricius et Rex.* Atqui Otto jam antea ab ipso Joanne XII. consecratus fuerat Imperator, quod nomen augustius erat nomine Regis: neque Imperatores amplius vocari solebant Patricii, cum dignitati Patriciatus subrogata fuerit dignitas Imperii Occidentalis. Hinc *Eginhardus* in Annalibus ad Annum 801. scribit de Carolo Magno, quem Leo III. Imperatorem creaverat: *Omisso Patricii nomine, Imperator et Augustus appellatus est.* III. In eo Privilegio ac Decreto legitur, si quis ejus Constitutionis inveniretur esse transgressor, eum ultimo supplicio afficiendum esse. Sed quam istud abhorret a Romanorum Pontificum Constitutionibus, ut violatoribus poena mortis irrogetur! IV. Constitutio illa data fuisse

dicitur III. Calendas Maji seu XXIX. Aprilis, cum tamen ex Rheginone illius temporis scriptore constet, Ottonem expugnata Roma IX. Calend. Julii, sive die XXIII. Junii Urbem ingressum esse, et Synodo Lateranensi interfuisse. V. Episcopi, qui subscripserunt, alii omnino sunt ab iis omnibus, qui anno superiori Ecclesias regebant, et in Synodo Romana Joannem XII. exauctorarant: incredibile est autem omnes illos Episcopos intra annum vel morbo, vel repentina morte fuisse sublatos, praecipue cum Joannes Narniensis, retento nomine Joannis XIII. sequenti anno Leoni VIII. seu potius Benedicto V. successerit, et Leoninae Constitutioni subscripsisse legatur Martinus Episcopus Narniensis.

CCCL. *Dices.* Successores Ottonis, Henricus III. niger, Henricus IV. et V. hoc jus exercuere. Ergo. R. Henricus III. ut advocatus Ecclesiae et defensor, ad tollendum schisma, sedentibus Romae eodem tempore tribus Pontificibus, Concilium Romae indixit, in quo omnium tam Romanorum quam aliorum consensu, ut scribit *Hermannus Contractus*, Clemens II. electus est. Mortuo Clemente, cum Benedictus IX. rursus se intruderet, Romani Pontificem postularunt a Caesare. Idem factum est post mortem Damasi II., cum in conventu Vormatiensi, praesentibus Legatis Romanis, nominatus est a Caesare S. Leo IX. qui sub conditione dignitatem hanc admisit, si audiret, totius Cleri ac Romani populi communem fore sine dissidio consensum. Mortuo Leone, Hildebrandus Cardinalis ad Caesarem missus, Romanorum consilio petiit Gebhardum Episcopum Eustadianum, huncque, tergiversante Imperatore, Romam abduxit, Victorem II. appellatum. Victori succes-

sit Stephanus, a Romanis absque praescitu Caesaris electus: quo defuncto, cum se intruderet Benedictus X, Romani Henrico IV. Nigri filio, nominationem deferunt, a quo designatus est Nicolaus II. Hic Imperatori Henrico IV. in praemium extincti Schismatis jus confirmandi Pontificem a Cardinalibus electum, dedit. Privilegium tamen hoc mere personale fuisse patet ex verbis Concilii Romani Anno 1059. a Nicolao celebrati, ubi posteaquam dictum esset, a Cardinalibus et Clero eligendum esse Pontificem, mox subjungitur: *Salvo debito honore et reverentia dilecti Filii nostri Henrici, quia in praesentiarum Rex habetur, et futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam ipsi concessum, et Successorum illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint.* Nicolao demortuo Anno 1061. totius Cleri, populique Romani consensu suffectus est Alexander II, quia periculosum erat moras nectere, ob factionem Tusculanam et Longobardicam, ne schisma fieret. Aegre id tulit Henricus, et Cadaloum Parmensem in Basileensi Synodo Alexandro opposuit: sequenti tamen anno in Synodo Osboriensi, probabilius Augustana, (Itali enim scriptores vocem hanc vitiarant, Osburg pro Augspurg enuntiando) rejecto Cadaloo, Alexandrum II. agnovit ut legitimum Pontificem. Anno 1073. electus est, consentiente Henrico, S. Gregorius VII, antea Cardinalis Hildebrandus, invictissimus ille Ecclesiasticae libertatis propugnator, qui Imperatores ab electione Romani Pontificis justissimis de causis exclusit, vetuitque investituras Ecclesiasticorum per manus laicas fieri. Hinc simultates ortae quinquaginta annorum Imperatores inter Henricum IV. et V. ac Pontificem S. Gregorium VII. ejusque successores, Victorem III,

Urbanum II. Paschalem II. Gelasium II. Callistum II, donec tandem Anno 1123. in Lateranensi I. Concilio Generali, quod Callistus II. convocaverat, pax Sacerdotium inter et Imperium coaluit. Henricus V. discordiarum tandem ac malorum satur, ad officium rediit, absolutusque a censuris fuit, posteaquam jure jurando interposito investituras per annulum et baculum dimisit, et electiones Episcoporum, ac praesertim Pontificis Romani, canonicae libertati restituit. Sicque electio Romani Pontificis ab omni Principum assensu exempta fuit, praetenso huic juri renuntiantibus, non modo Henrico V, sed omnibus etiam Imperii Statibus in Conventu Vormatiensi, priori anno, nempe 1122. congregatis. Vide *Ignatium Schwarz* in Collegiis Historicis Parte VI. et IX.

CONTROVERSIA V.

AN SOLIUS ROMANI PONTIFICIS SIT CONCILIA OECUMENICA CONVOCARE, ILLISQUE VEL PER SE, VEL PER LEGATOS SUOS PRAESIDERE?

Contra Protestantes.

CCCLI.

Pervulgata est Protestantium doctrina, Lutheri, Calvini, Magdeburgensium, Molinaei, Amesii etc. jus convocandi Oecumenica Concilia, illisque praesidendi, non Romano Pontifici, sed Imperatoribus competere; ut sic justam habuisse causam viderentur rejiciendi Canones et Decreta Oecumenici Concilii Tridentini, quod non

a Carolo V. Imperatore, sed a Paulo III. Romano Pontifice, juxta praxim Ecclesiae, contra nostrorum temporum Sectarios indictum est, praesidentibus Sedis Apostolicae Legatis. Contra Catholicorum unanimis est sententia, jus hoc ad solum Romanum Pontificem pertinere; ita tamen, ut possit etiam alius, de Pontificis mandato vel consensu, Concilium indicere: immo sufficiat, si indictionem factam ab alio ipse postea approbet vel confirmet.

CCCLII. *Conclusio I.* Solius Romani Pontificis est munus convocandi Concilia Oecumenica. Prob. I. Authoritate Conciliorum. In *Chalcedonensi* Act. I. Dioscorus Alexandrinus locum inter Episcopos occupare prohibitus est, petente id Lucentio Leonis M. Legato, *Quia praesumpsit, et ausus est Synodum Generalem facere* (Ephesinam II.) *sine authoritate Sedis Apostolicae: quod nunquam licuit, nunquam factum est.* In *Nicaeno* Act. VI. irritum pronuntiatur CPolitanum Concilium sub Copronymo Imperatore habitum, quia sine consensu Romani Pontificis celebratum est. In Synodo Romana III. in causa Symmachi Anno 501. Episcopi Italiae congregati dixerunt, Synodum ab ipso Symmacho congregari debuisse propter Petri principatum, in quem Romani Pontifices succedunt. Cumque Theodoricus Italiae Rex respondisset, *ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse*, Episcopi Symmachi litteras sibi ostendi petierunt: quibus prolatis tandem acquievere.

CCCLIII. Prob. II. Authoritate veterum Pontificum. *S. Julius I.* Epist. ad Orientales, apud *S. Athanasium* Apologia II. diserte asserit, fuisse a Sanctis

Apostolis traditum, dein a magna (Nicaena nempe) Synodo declaratum, non posse ullam convocari Synodum, inconsulto, aut invito Romano Episcopo. *Pelagius II.* Epist. VIII. ad Episcopos Orientis, quos Joannes Jejunator Patriarcha CPolitanus ad Synodum Generalem vocaverat, scribit: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem CPolitanum Episcopum Universalem se scribere, vosque ex hac sua praesumptione ad Synodum convocare Generalem: Cum Generalem Synodorum convocandarum authoritas Apostolicae Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, et nulla unquam Synodus rata legatur, quae Apostolica authoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in praedicto vestro conventiculo – – statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorum Principis – – praecipio omnia, quae ibi statuistis, et vana, et cassata esse.* Porro cum haec scripsit Pelagius II. saeculo VI., nemo Episcoporum reclamavit. Reclamassent autem, si Sedi Apostolicae authoritatem convocandi Concilia Generalia immerito, et praeter jus asseruisset.

CCCLIV. Prob. III. Ratione Theologica. Ad illum proprie et per se pertinet convocare Concilia Oecumenica, qui supremam habet in Ecclesia authoritatem ab ipso Christo sibi collatam, quique jussus est pascere universam Ecclesiam. Atqui solus Romanus Pontifex habet hanc authoritatem, ut ostendimus Controversia III. Ergo ad solum Romanum Pontificem proprie et per se pertinet convocare Concilia Oecumenica. P. M. Concilia Oecumenica non convocantur ob saecularia negotia, sed ad commune et spirituale bonum totius Ecclesiae: nimirum vel ad controversias fidei dirimendas, vel ad instaurandam disciplinam. Ergo ea

E 4

convocari non possunt, nisi ab habente supremam authoritatem in Ecclesia Dei: sicut comitia Regni Monarchici a nemine alio quam a Rege convocari possunt.

CCCLV. Quod vero haec potestas convocandi Concilia Oecumenica soli Romano Pontifici, non vero Imperatori aut Principibus laicis conveniat, ulterius ostenditur I. Haec potestas ex una parte non est profana, sed sacra, et a profana distincta: ex altera parte Imperatores, ac Principes laici neque jure naturali, neque positivo, divino aut humano habent hanc potestatem. Ergo convocatio Conciliorum non pertinet ad Imperatores vel Principes laicos. II. Vel illa potestas pertineret ad Principes, quia Principes sunt, aut quia Christiani, aut quia Principes et simul Christiani. Si quia Principes; ea igitur praediti erant etiam Pagani, Nero, Diocletianus, et alii Ecclesiae hostes; ac sine illorum auctoritate nefas erat congregare Concilium, quod nemo sanus senserit. Non quia Christiani sunt: nam eo nomine Ecclesiae Ministris, praesertim Episcopis, subesse ac obtemperare debent in rebus spiritualibus ac Ecclesiasticis; non vero praeesse aut imperare possunt. Conjunctio autem dignitatis Regiae aut Caesareae cum professione Christiana id unum efficit, ut qua tamquam Principes authoritate pollent, eam tamquam Christiani in exequendis Ecclesiae, communis omnium Fidelium Matris, Decretis insumant; non autem ut potestatem temporalem ad Spiritualia officia extendant.

CCCLVI. *Conclusio II.* Ad solum Romanum Pontificem pertinet praesidere Conciliis Oecumenicis vel per se, vel per Legatos suos. Prob. I. ratione Theologica. Ipsa sana ratio dictat, quod Conciliis Oecumenicis prae-

sidere debeat pars nobilior Ecclesiae, nimirum Caput, sicut comitiis Regni Rex praesidet. Atqui Caput Ecclesiae est Romanus Pontifex, ut ostendimus Controversia III. Ergo. *Confirm.* Patres praesunt filiis, Pastores ovibus. Ergo cum Romanus Pontifex sit jure divino Pastor omnium ovium, Pastor Pastorum, Episcopus Episcoporum, ac Pater omnium Christianorum, ipsius est Conciliis Oecumenicis praesidere vel per se, vel per Legatos suos, a quibus repraesentatur. Quod vero Imperatores, aut alii Principes laici praesidere non possint Conciliis, facile contra Protestantes evincitur ex eo, quia Praeses Concilii debet sententiam ferre: atqui Imperatores et Principes laici non possunt sententiam ferre in materia fidei et morum, ut ostendimus Num. CXXXIX.

CCCLVII. Prob. II. Ex antiquissima, et nunquam interrupta praxi Ecclesiae. Concilio Apostolico Jerosolymitano, pro determinanda legalium abrogatione celebrato, praesedit B. Petrus. Primus enim surrexit, primus definivit, et omnes ejus sententiam secuti sunt. Ut ad Oecumenica veniamus Concilia, quae a saeculo IV. ad nostra usque tempora celebrata sunt, certo constat Romanum Pontificem per se ipsum Occidentalibus Conciliis omnibus, *Tridentino* autem per Legatos praesedisse. Hi autem fuere, nomine Pauli III. Joannes Card. de Monte, Marcellus Card. Cervinus, et Reginaldus Card. Polus. Nomine Julii III. Marcellus Card. Crescentius, Sebastianus Pighius Archiepiscopus Sipontinus, et Aloysius Lippomanus Veronensis Episcopus. Nomine Pii IV. Cardinales Hercules Gonzaga, Hieronymus Seripandus, Joannes Moronus, Stanislaus Hosius, Ludovicus Simonetta, Marcus Sitticus, Bernardus Navagerius.

CCCLVIII. Orientalibus Conciliis, *Nicaeno I.* nomine Sylvestri praesederunt Osius Cordubensis, Vitus et Vincentius Presbyteri. *CPolitano I*, quia Oecumenicum non erat, nisi consideretur ut unitum Romano Occidentalium Episcoporum Concilio, quod Anno 382. celebratum est, Damasus nec per se, nec per Legatos praesedit, *Ephesino* nomine Coelestini, S. Cyrillus Alexandrinus, Arcadius et Projectus Episcopi, et Philippus Presbyter. *Chalcedonensi* nomine Leonis M., Paschasinus et Lucentius Episcopi, Bonifacius et Basilius Presbyteri. *CPolitano II.* Vigilius Papa, quamvis tunc CPoli versaretur, atque a Graecis Patriarchis et Metropolitis invitatus fuisset, ut Concilio praesideret, justis tamen de causis noluit Concilio per se aut Legatos suos interesse ac praesidere. *CPolitano III.* nomine Agathonis, Theodorus et Gregorius Presbyteri, Joannes Diaconus, et Constantius Subdiaconus. *Nicaeno II.* nomine Hadriani I, Petrus Abbas S. Sabae, et Petrus Archipresbyter. *CPolitano IV.* nomine Hadriani II, Donatus ac Stephanus Episcopi, ac Marinus Diaconus. Hos nomine Romanorum Pontificum praesedisse Conciliis Orientalibus certo constat, tum ex probatissimis Historiae Ecclesiasticae Scriptoribus, tum ex genuinis Conciliorum Actis, in quibus primi sententiam ferunt, definiunt ac subscribunt ante omnes Patriarchas, quamquam aliqui Legati Episcopi non fuerint, sed tantum Presbyteri, immo inferiores Clerici, Diaconi aut Subdiaconi.

OBJECTIONES.

CCCLIX. *Objiciuntur I.* contra I. Conclusionem facta quaedam Imperatorum. Prima Concilia Generalia in

Oriente, Nicaenum utrumque, Ephesinum, Chalcedonense, et quatuor CPolitana, indicta et convocata fuere a piissimis Imperatoribus, Constantino, Theodosio utroque, Marciano, Constantino Pogonato, Irene, ac Basilio. Ergo potestas convocandi Concilia Generalia pertinet ad Imperatores. R. D. A. Indicta et convocata fuere ab Imperatoribus, Pontifice Romano eorum convocationi consentiente, et convocationem illam ratam habente, C. A. Aliter N. A. et C. Omnia Concilia Oecumenica, quaecunque sunt habita in Occidente, solius Romani Pontificis auctoritate indicta et convocata fuerunt. Atque haec convocatio Summi Pontificis jus validius confirmat, quam impugnari possit ex Orientalium convocatione. Cum enim non minoris sint dignitatis posteriora quam prima; siquidem omnia Ecclesiam repraesentant universam, clarius elucet Pontificis in Occidentalium, quam Imperatoris in Orientalium convocatione authoritas. Illa enim solus Pontifex congregavit; ista Imperator, non solus tamen; sed consentiente, immo gratulante sibi Pontifice Romano, quod facile probari potest. Synodus Oecumenica *CPolitana III.* Act. XVIII. in Sermone Prosphonetico, seu Acclamatorio, Sylvestrum cum Constantino Synodum Nicaenam congregasse, diserte asserit. *Arius divisor Trinitatis, et partitor insurgebat, et continuo Constantinus semper Augustus, et Sylvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicaea Synodum congregabant.* Ephesinae Synodi convocationem a Theodosio Juniore factam, ratam se habere testatur ipse S. Coelestinus Epist. ad Theodosium. *Huic Synodo, quam esse jussistis, nostram praesentiam in his, quos misimus exhibemus.* Convocationem Chalcedonensis a Marciano Imp. factam approbavit S.

Leo M. Epist. L. ad Marcianum Aug. *Sanctum Clementiae vestrae studium, quod ad reparationem pacis Ecclesiasticae Synodum haberi voluistis, adeo libenter accepi, ut etc.* Immo non consentiente tantum, sed jubente etiam Leone M. convocatam esse Calcedonensem Synodum scribunt Episcopi secundae Moesiae in Epist. ad Leonem Imperatorem, Marciani successorem. *In Chalcedonensi civitate multi Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere Caput est Episcoporum.* Et S. Gelasius in Epistolā ad Episcopos Dardaniae: *Apostolica Sedes pro veritate ut Sȳnodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.* Ubi haec vox *Sola* aliorum Patriarcharum, non vero Imperatoris interventum excludit. *CPolitanam IV.* Synodum convocatam quidem a Basilio Imp. sed ab Hadriano II. celebrari jussam fuisse, manifestum est ex Epistola *Hadriani II.* ad Basilium, quae actioni I. CPolitani IV. Concilii inserta est: *Volumus autem per vestrae Pietatis industriam CPoli numerosum celebrari Concilium; cui nostri quoque Legati praesidentes, delictorum, hominumque discrimine perspecto, statim cuncta impii Conciliabuli* (Photiani) *exemplaria, ab iis, qui illa retinent, ablata, ignibus cremanda tradant.* Verum multis opus non est. Quod Romani Pontifices convocationi Conciliorum Oecumenicorum saltem consenserint, vel ex eo manifestum est, quod Legatos suos ad ea miserint, et per illos Synodis praesederint.

CCCLX. *Dices* I. Ipsi Pontifices saepius rogarunt Imperatores, ut Concilia Oecumenica convocarent. Ergo ipsi Pontifices agnoverunt hoc jus Imperatorum. II. Primis tribus saeculis nulla fuerunt celebrata Concilia Oecumenica, antequam Imperatores Christi fidem su-

scepissent: et hoc ideo factum est, quia Romani Pontifices sine Imperatore Christiano nullam habebant authoritatem illa indicendi. Ergo. R. ad I. C. A. N. C. Pontifices Romani variis gravibusque de causis petierunt ab Imperatoribus, ut ipsi Oecumenicam Synodum convocarent, vel saltem convocari paterentur. I. Quia tunc vigebat Imperialis lex antiqua, qua frequentes hominum conventus, absque Imperatoris authoritate, metu seditionum aut conspirationis prohibebantur. II. Concilia commode fieri non poterant, nisi in urbe aliqua Imperiali. Igitur sana ratio dictabat, conventum hunc fieri non debere absque consensu Domini illius Urbis. III. Haeretici et Schismatici, legitimae Praefectorum Ecclesiasticorum auctoritati non satis subjecti, Imperatorum erant compescendi authoritate, quam ipsi vix adhibuissent, nisi negotia in Synodis a se indictis fuissent tractata. IV. Propter Ecclesiarum paupertatem non potuissent Episcopi longa itinera conficere, praesertim ut ex universo orbe in unum locum ad celebrandum Concilium Generale concurrerent, nisi vehicula publica, et sumptus necessarios pia Augustorum liberalitas subministrasset. Atqui hae rationes a pluribus jam saeculis cessarunt. A I II. N. A. Primis saeculis id factum non est defectu authoritatis, et juris in Pontifice, sed defectu opportunitatis; quia ob continuas Christianorum insectationes tutum non erat Episcoporum multitudinem in aliquo loco convenire.

CCCLXI. *Objicitur II.* Contra II. Conclusionem, Infirmitas argumenti. Osius non praesedit Concilio ut Legatus Sylvestri; sed quia vel ab ipsa Synodo Nicaena, vel ab Imperatore Constantino constitutus fuit Praeses. Ergo ex eo facto nihil probatur. P. A. Osius his

verbis subscripsit: *Osius Episcopus Civitatis Cordubensis provinciae Hispaniae dixit, ita credo, sicut superius scriptum est*, nulla facta Legationis mentione, cujus tamen meminerunt Vitus et Vincentius. *Confirm.* Theodoretus Lib. I. Hist. Eccles. Cap. VII. Socrates Lib. I. Cap. V. Sozomenus Lib. I. Cap. XVI. scribunt duos tantum Legatos, Vitum et Vincentium a B. Sylvestro Nicaeam missos fuisse. Ergo Osius Legatus non erat Sylvestri. R. N. A. Osius mediocris civitatis Hispaniarum Episcopus, nec a Synodo, nec ab Imperatore contra Ecclesiasticas regulas praehabitus fuisset Episcopis Alexandrino, et Antiocheno, caeterisque Graecorum Exarchis ac Metropolitis, nisi Sylvestri Legatum ea in Synodo egisset. Ad *probat.* N. C. Hoc ipso, quod primo loco subscripserit ante omnes Orientales, satis ostendit Legatum se fuisse Romani Pontificis: Vitus et Vincentius, cum Episcopi non essent, et per se suffragii jure carerent, mentionem Legationis suae pro Sylvestro faciunt. Ad *Confirmat.* N. C. Duo tantum Roma missi sunt ad Concilium, Vitus et Vincentius; quibus tamen mandatum fuit, ut Legationis socium assumerent Osium, doctrinae et rerum gestarum fama celeberrimum, qui tunc apud Constantinum Imperatorem versabatur.

CCCLXII. *Objicitur III.* Aliorum praesidentia in Synodis. *Photius* Lib. de Synodis testatur, Chalcedonensi praesedisse Anatolium CPolitanum Patriarcham. II. CPolitano II. praesedit Eutychius CPolitanus. III. Ephesino II. Dioscorus Alexandrinus, ex mandato Theodosii junioris. R. Ad I. Photium Schismaticum hac in re, contra omnium Historicorum fidem, splendidissime mentiri, ut vel ex subscriptionibus Chalcedonen-

sis patet: *Paschasinus Episcopus*, *Vicarius Domini mei Beatissimi*, *atque Apostolici Universalis Ecclesiae Episcopi Papae Urbis Romae Leonis*, *Synodo praesidens*, *statui et subscripsi*. Ad II. R. Eutychium CPolitano II. praesedisse, quia Vigilius interesse ac praesidere Concilio, aut vices suas alteri demandare noluit. Ad III. R. Ephesinum II. non fuisse Concilium, sed latrocinium, ab universa Ecclesia Dei reprobatum; ideoque in Chalcedonensi Dioscorum Episcopatu suo Alexandrino privatum fuisse, substituto in locum ejus S. Proterio.

CCCLXIII. *Dices I.* Aquilejensi Concilio praesedit Valerianus Aquilejensis Episcopus: Carthaginensi VI. Aurelius Carthaginensis, quamvis praesentes essent Legati Romani Pontificis. Ergo multo minus Legati Pontificis praesederunt Conciliis Oecumenicis. R. N. C. Concilia Provincialia, aut etiam Nationalia, non repraesentant universam Ecclesiam, ideoque illis Archiepiscopi Primates praesident. Praeterea Legati a Zosimo missi non fuerunt, ut praesiderent Concilio Africano; sed ut observationem urgerent Nicaenorum, aut potius Sardicensium Canonum. Contra vero Oecumenica Concilia universam Ecclesiam repraesentant, atque ad illa mittuntur Roma Legati, ut vices Pontificis agant, ejusque nomine praesint.

CCCLXIV. *Dices II.* Ipsi Imperatores Orientales praesederunt Conciliis in Oriente celebratis, et subscripserunt. Ergo falsum est Legatos Pontificios praesedisse. R. N. A. Sederunt illi primo loco, honoris causa, ut Caesares; non tamen praesederunt ut Judices, testante Marciano in Chalcedonensi, se venisse ad confirmandam, non ad explicandam fidem. Subscri-

pserunt illi, non more Episcoporum *definientes*, sed *consentientes*: et quidem Constantinus Magnus, Marcianus, Constantinus Pogonatus, post omnes Patriarchas et Episcopos: Basilius vero post Legatos Romani Pontificis et Patriarchas, ante Episcopos tamen; quia, ut ipse ait, tali eum honore Episcopi afficere voluerunt.

CONTROVERSIA VI.

AN ROMANUS PONTIFEX SIT SUPRA CONCILIA, ETIAM OECUMENICA?

CCCLXV.

Quaeritur hic an Romanus Pontifex indubitatus cujus electio certo legitima fuit initio, aut qui saltem postea ob universali Ecclesia, absque notabili aut probabili contradictione, acceptatus fuit, supremum habeat in Ecclesia Dei authoritatem, ita ut a Conciliis etiam Oecumenicis judicari non possit, deponi aut suspendi ob quamcumque causam, praeterquam ob haeresin, in qua tanquam persona privata animum obfirmaret? Omnes enim admittunt in his duobus casibus Romanum Pontificem Concilio Oecumenico subijci. I. Stante rationabili dubio de valore Electionis, aut subsequente acceptatione Ecclesiae, v. g. si duo electi essent Pontifices in discordia Cardinalium, ita ut prudenter dubitari posset de electione utriusque. Etenim si in tali casu Concilium Oecumenicum dubio Pontifice superius non esset, Ecclesiae non fuisset bene provisum a Christo, quae nullum haberet medium tollendi Schisma ignoraretque cujus potissimum sententiam

in rebus fidei ac morum sequi debeat. II. Si Pontifex ut persona privata, exterius et palam cum pertinacia tueretur errorem in fide; quia hoc ipso desineret esse membrum, multoque magis Caput Ecclesiae; sicque Conciliorum authoritati, non secus ac alii haeretici subjicieretur. Dixi, ut *persona privata*; ut publica enim persona, atque ex Cathedra loquens, ob promissiones Christi Petro ejusque successoribus factas, haeresin docere non potest, negamusque casum esse possibilem. An vero ut persona privata errorem fidei adversum cum pertinacia tueri possit, multi controvertunt. Certum est id nunquam hactenus contigisse, certoque confidimus id nunquam eventurum.

CCCLXVI. Extra geminum hunc casum, omnes Catholici Doctores supremam supra omnia Concilia, atque infallibilem Romani Pontificis authoritatem propugnarunt usque ad tempora magni Schismatis, tribus eodem tempore, nempe initio saeculi XV, Gregorio XII, Joanne XXIII, et Benedicto XIII. de Papatu contendentibus. Tum demum inventi fuerunt Theologi quidam, caeteris tamen et numero, et dignitate, et doctrina longe inferiores, qui novam, et toti retro antiquitati ignotam opinionem in Orbem Catholicum, Ecclesiamque Latinam inveherent, docerentque, Romanum Pontificem, quamvis legitimum, se solo fallibilem esse et Concilio Oecumenico inferiorem. Ante deploranda illa tempora nullus Patrum, nullus Theologorum (Graecos Schismaticos post tempora Photii et Cerularii, aliosque haereticos excipio, quorum authoritas hac in re omnino nulla est) ab adversariis in medium proferri potest, qui docuerit, publicas, et ex Cathedra loquentium Summorum Pontificum de fide

definitiones errori esse obnoxias, ipsosque Pontifices quibuscunque Conciliis etiam Oecumenicis esse subjectos: verum quotquot de Pontificum Romanorum auctoritate tractaverunt, eam et supremam esse et infallibilem semper testati sunt. Immo usque ad A. 1682, quo nempe authoritati Pontificiae infesta illa Conventus Cleri Gallicani declaratio lucem aspexit, nullibi hac de re fortiora et apertiora testimonia edita fuere, quam in Ecclesia Gallicana; adeo ut mirum cuilibet videri debeat, quod Conventus illius Antistites antiquam suae Ecclesiae, et Majorum suorum doctrinam deserere voluerint, ut Joannis Gersonii novitiam opinionem amplecterentur.

CCCLXVII. Jacobus Benignus *Bossuetus*, Episcopus Meldensis, vir caeteroquin doctissimus, in sua defensione Declarationis Cleri Gallicani, Parte II. Lib. X. Cap. XIX. scribere non est veritus, *nihil obstare, quominus illa sententia, quae adstruit supremam et infallibilem Romani Pontificis authoritatem, sit haeretica; et quod qui eam propugnant, an ab haeresi se satis purgatos putent, ipsorum sit videre: a nota gravi certe immunes esse non posse*. Enimvero totius ferme orbis Catholici Antistites, Universitates, Theologi et Doctores, si Gallos quosdam excipias, inter haereticos numerandi forent. At longe aequius hac de re judicium tulisse videtur nobis Melchior Canus Canariensis Episcopus, Lib. VI. de locis Theolog. Cap. VII. *Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiae ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinaeque authoritate succedere, aut certe adstruunt, Summum Ecclesiae Pastorem, quicunque tandem ille sit, er-*

rare in fidei judicio posse -- Quam ob rem non quidem intelligo, quonam consilio fideles quidam haereticorum, quam Catholicorum opinionibus favere malint. -- Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur: tuto enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Praeterquam quod ea sentiunt, quae Sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, Pontificum Decreta finiunt, Veterum Sanctorum Chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiae usus observat.

CCCLXVIII. Caeterum ne cui mira videatur crisis Bossueti, viri alias doctissimi et perquam modesti, sciendum est complures litteratos viros vehementer dubitare, an Defensio illa declarationis Gallicanae genuinus sit Meldensis foetus. I. Quia XXVI. annis post mortem Meldensis primum edita est, nimirum A. 1730. Luxemburgi. II. Quia antilogiae satis frequentes eo in libro occurrunt, testimonia Patrum et Conciliorum mala fide et oscitanter prolata, detruncata, a nativo et proprio sensu in alienum et improbum detorta: item injuriae et convicia in quosvis pietate et doctrina conspicuos viros jacta. III. Quia plures libri sub ementito Meldensis nomine editi sunt a Bossueto juniore, Episcopo Trecensi, Meldensis Nepote, Jansenianis partibus perquam addicto, qui quod Jansenianum pus olerent, a compluribus Galliarum Episcopis damnati sunt. Certum est autem Defensionem illam vulgatam fuisse, curante Bossueto Trecensi. Ergo merito dubitatur, an illa Meldensem habuerit authorem, vel an non saltem Jansenianorum perfidia, ac solitis artibus fuerit interpolata.

CCCLXIX. *Conclusio.* Romanus Pontifex supremam habet in Ecclesia Dei authoritatem, omnibusque Conciliis, etiam Oecumenicis, superior est. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Matth XVI. ait Christus ad Petrum *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ergo Petrus est fundamentum omnium Ecclesiarum, seu totius universalis Ecclesiae Christi. Ergo multo magis est fundamentum Concilii Oecumenici, quod solummodo repraesentat universalem Ecclesiam. Ergo idem dicendum est de Romano Pontifice qui fatentibus Gallis, B. Petro succedit in Primatu. Atqui si Papa est fundamentum, est etiam superior Conciliis Oecumenicis, quia fundamentum in domo idem est, quod caput in corpore, Princeps in Republica. *Confir.* Illa verba, *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, vel dicta fuerunt Petro, ut ab Ecclesia distincto, vel ut Ecclesiam rapraesentanti, ita ut promissio tota ad Ecclesiam dirigatur. Si primum; ergo Petrus independenter ab Ecclesia est fundamentum, et Concilium a Papa separatum tantum valebit, quantum domus a fundamento divisa: si secundum; ridiculus et nugatorius esset sensus: idem enim est, ac si Christus dixisset: *Fundabo Ecclesiam meam super Ecclesiam*, nam Petrus repraesentans Ecclesiam nil aliud est, quam Ecclesia in Petro repraesentata. Quod si dicas, Petrae nomine non intelligi B. Petrum sed ipsum Christum: respondimus Num. CCCVIII. et CCCIX.

CCCLXX. Alterum argumentum petitur ex eodem Cap. XVI. S. Matthaei ubi Christus dixit ad Petrum: *Tibi dabo claves regni coelorum.* Quamvis Christus claves regni coelorum tradiderit reliquis etiam Apostolis,

eas tamen peculiari modo promisit et tradidit B. Petro quo eas Apostolis non concessit, nimirum absque omni subordinatione et dependentia ab homine. Ergo etiam Romani Pontifices, B. Petri successores, habent aperiendi et claudendi potestatem supremam, atque a solo Deo dependentem, quam nec Apostoli habebant, neo Concilium Generale a Deo accepit. Ergo Papa est superior Concilio. Denique *Joannis* Cap. XXI. Christus ait Petro: *Pasce oves meas.* Quibus verbis, ut ipsi Galli fateri coguntur, qui Primatum Romani Pontificis adversus Novatores defendunt, Successores etiam B. Petri constituit Pastores universae Ecclesiae, totiusque ovilis sui curam illis commisit. Ergo quemadmodum Pastor superior est ovibus, easque pascit, non pascitur; ita etiam Romanus Pontifex superior est ovibus suis. Neque dicas, Petro fuisse omnes oves distributive sumptas a Christo commissas, non vero collective: et Romanum Pontificem esse super omnes Episcopos singillatim ac distributive, non vero collective sumptos. Praeterquam enim, quod haec responsio sit prorsus nova, et ante tempora magni Schismatis in Ecclesia Dei inaudita, authoritati Scripturarum ac Patrum, et sanae rationi adversatur. Certe Pastor omnibus ovibus tam collective quam distributive sumptis est superior: alioquin dicendum etiam foret, Episcopum singulis quidem suae Dioecesis Presbyteris superiorem esse, non tamen omnibus collectim sumptis, ideoque illum Synodo Dioecesanae subjacere: Imperatorem quolibet duce, aut milite superiorem esse, non tamen toto Exercitu simul sumpto.

CCCLXXI. Prob. II. Ille est Superior Conciliis, qui convocatis a se, vel saltem de consensu suo Conci-

liis Oecumenicis praesidet, eaque vel confirmat, vel rejicit: qui Conciliis imperat; quem ipsa Oecumenica Concilia dicunt supremam habere in Ecclesia Dei potestatem, et a nemine posse judicari. Atqui talis est Romanus Pontifex. Ergo. Major propositio est evidens, nisi in re tanti momenti turpis fiat vocabulorum abusus. Minor invicte probatur enumerando res gestas in plerisque Conciliis Oecumenicis. Patres *Nicaeni Concilii* ad Sylvestrum Papam Acta Concilii transmiserunt, ejus assensu confirmanda et roboranda, ut testatur saeculo V. S. Felix III. A. 485. Epist. IV. scribens: *Eam vocem sequentes* (Tu es Petrus, et super hanc petram etc.) *Trecenti decem et octo SS. Patres, apud Nicaeam congregati, confirmationem rerum, atque authoritatem Sacrae Romanae Ecclesiae detulerunt.* Porro neutiquam dubitandum est, Nicaenam Synodum a Sylvestro confirmatam fuisse, quamvis injuria temporum haec confirmatio a Sylvestro facta non amplius exstet; ac disertum hoc S. Felicis III. testimonium praeferendum esse silentio Scriptorum Saeculi IV. et V.

CCCLXXII. Ad *Ephesinum* Concilium Legatos misit *S. Coelestinus*, ut sententiam a se contra Nestorium latam in pleno Concilio exequerentur, et Concilii Decretis pondus Apostolicae authoritatis adderent; utque varie fortasse sentientium Episcoporum suffragia per suum judicium ad unitatem redigerent: ita enim ad Legatos suos loquitur in Commonitorio: *Ad disceptationem si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen.* Ipsi Ephesini Patres, latam a Coelestino Nestorii depositionis sententiam exequentes, Actione I. dixerunt: *Edocti itaque partim ex litteris ipsius, partim ex sermonibus, illum*

(Nestorium) *impie sentire et praedicare: coacti per Sacros Canones, et litteras Sanctissimi Patris Romani Episcopi Coelestini, lacrymis suffusi, et pene inviti ad lugubrem hanc sententiam urgemur.*

CCCLXXIII. *Chalcedonensis* Concilii Patribus scribens *S. Leo M.* prohibet, ne ullam disputationem instituant circa fidem a se jam expositam; verum ut simpliciter suam ad Flavianum Epistolam sequantur jubet: *Unde, Fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cum secundum Evangelicas authoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicam doctrinam plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis D. N. J. C. pia et sincera confesssio.* Haec Epistola in publico Patrum consessu lecta est, nullusque contradixit. Actione I. Paschasinus Episcopus, Leonis Legatus, ad Synodum dixit: *Beatissimi atque Apostolici viri Papae Urbis Romae praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Si ergo praecipit Vestra Magnificentia* (Judices, vel Conservatores Concilii alloquitur, qui nomine Imperatoris Synodo intererant.) *aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Statimque exposita a Lucentio, altero Leonis Legato, causa, Dioscorus a Concilii Patribus, proprio relicto loco, in medium prodire jussus est, rei personam deinceps acturus. Actione XVI. Patres a Leone petunt Synodum confirmari: *Rogamus igitur et tuis Decretis no-*

strum honora judicium, et sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam: sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. Passim vero in Actis Patres Chalcedonenses vocant S. Leonem *Ecclesiae Universalis Pontificem*, *Caput Universalis Ecclesiae*, *universae vineae custodem.* Canonem XXVIII., quamvis omnium Orientalium, adeoque totius Synodi consensu roboratum, irritum pronuntiavit S. Leo: neque ullis Marciani et aliorum Episcoporum precibus permoveri potuit, ut assensum illi praestaret. Qua in re majorem esse suam potestatem ostendit, quam totius Synodi Oecumenicae.

CCCLXXIV. Synodus Oecumenica V. seu *CPolitana II.* in causa trium Capitulorum, cum pene ab omnibus Occidentalibus rejecta esset, tandem curantibus Pelagio I., Pelagio II., et S. Gregorio Magno, ea tantum ratione Oecumenicae dignitatem obtinuit, quod a Vigilio Papa confirmata fuisset. S. Agatho Papa Patribus CPolitani III. Concilii certam praescripsit regulam fidei, suam nimirum confessionem; ait enim Epistola ad Synodum. *Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum suggestionem, in qua et Apostolicae fidei nostrae confessionem praelibavimus, offerre debeant; non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre, simpliciter obsecrantes, ut haec eadem omnibus praedicari, atque apud omnes obtinere jubeatis -- Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos Catholicae atque Apostolicae confessioni perpetuae condemnationis reos esse censemus.* Synodum hanc ad instantiam Patrum, et Constantini Pogonati Imperatoris ratam habuit *S. Leo II.*

CCCLXXV. *CPolitanum IV.* Can. XIII. statuit: *Si quis tanta efferata audacia, quemadmodum Photius et Dioscorus, sive scripto, sive non scripto, insanias quasdam contra Cathedram Coriphaei Apostolorum Petri audeat jactare, eamdem atque illi damnationis sententiam accipiat. Si qua vero, Oecumenica Synodo collecta, de Romana etiam Ecclesia controversia extiterit, licebit eam decenti reverentia de proposita quaestione percunctari, responsumque admittere, vel utilitatem admittere, vel dare: non tamen audacter contra Senioris Romae Pontifices sententiam dicere.* Eadem Synodus Epistola ad Hadrianum II. confirmationem petiit his verbis: *Ergo libenter oppido, et gratanter, imitatrice Dei Sanctitate vestra, omnium nostrum conventum et Universalis hujus atque Catholicae Synodi consensum et consonantiam recipiente; praedica eam magis, ac veluti propriam, et sollicitius confirma coangelicis praeceptionibus, et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, ut suscipiatur veritatis verbum, et justitiae decretum.*

CCCLXXVI. *Lateranense III.* Can. X. statuit, ne ille sibi Romani Pontificis assumat honorem, qui a paucioribus quam a duabus partibus Cardinalium fuerit electus. *Ex hoc tamen*, addit Synodus, *nullum Canonicis constitutionibus, et aliis Ecclesiasticis praejudicium generetur, in quibus majoris et sanioris partis debet sententiam praevalere: quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit judicio definiri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.* Posset autem recursus ad Superiorem haberi, si Concilium Oecumenicum foret Ro-

mano Pontifice superius. In Lugdunensi II. a Legatis Michaelis Palaeologi CPolitani Imperatoris inter alia fidei capita, quae publice professi sunt, Act. IV. lecta fuere, et a Concilio probata etiam ista: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum, ac principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum pertinentibus, ad ipsius potest judicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae sunt subjectae, ipsarumque Praelati obedientiam, et reverentiam sibi dant. Apud hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit.*

CCCLXXVII. Quoniam apud Gallos maxima est Pisani et Constantiensis authoritas, in *Pisano* cum Patres deponere vellent Gregorium XII, et Benedictum XIII, eos prius notorios esse haereticos et schismaticos declararunt: quod etiam a Constantiensibus factum est, quando Joannem XXIII., et Benedictum XIII. in ordinem redegerunt, non alia certe de causa, nisi quia censebant, Pontificem deponi non posse, nisi in casu haeresis. Ipsum Constantiense, ut testatur Joannes Card. Turrecremata, testis de visu, Lib. II. Summae de Ecclesia Cap. CXCIX. *Postquam Papa Martinus fuit creatus, morem observando antiquorum Conciliorum, humiliter petivit ab*

eo confirmationem, et roborationem omnium, quae fecerat. At confirmare et roborare, ad Superiorem pertinet. In eodem Constantiensi Martinus V., Sacro approbante Concilio, in Constitutione, cujus initium. *Inter cunctos*, postquam damnavit XLV. Articulos Wickleffi, et XXX. Joannis Hus, praescribit interrogatoria per Episcopos et Inquisitores a suspectis exigenda. Interrogatorium XXIII. non ita formatum est: *Utrum credat, quodlibet Concilium Oecumenicum supremam authoritatem habeat in Ecclesia Dei?* sed, *Utrum credat, teneat, et asserat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei?* In hoc Interrogatorio poni non poterat, *Supra Ecclesiam Dei*; alias Papa deberet authoritatem habere supra se ipsum, cum ipse sit pars Ecclesiae nobilior, nimirum Caput.

CCCLXXVIII. In *Florentino*, ut diximus Num. CCCXVIII. definitum est, Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quomodo autem Pontifici plena potestas tradita est, siquidem Concilio Oecumenico subjicitur? An Rex, qui Statibus sui regni subjicitur, plenam dici potest habere potestatem regnum gubernandi? Porro notandum est, per verba illa Florentini, *Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur*, Authoritati Pontificiae non figi certos limites, ut Galli contendunt, neque modum praescribi, quo Papa Ecclesiam regere, et Canonibus subjectus esse debeat: sed quod posita sint a Patribus, ut Florentini definitio circa plenam Pontificis potestatem in universam Ecclesiam magis confirmaretur, utque designarentur fon-

tes, ex quibus exemplum hujus Pontificiae potestatis petebatur.

CCCLXXIX. In *Lateranensi V.* Leo X. Sess. XI. Constitutionem edidit, Sacro approbante Concilio, in qua dicitur : *Cum solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum, indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Petrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Praedecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria eorumdem etiam Conciliorum confessione manifeste constet.* Praelecta fuit Concilii Patribus haec Constitutio, quaesitumque num Patribus haec placerent? *Et omnibus placuerunt simpliciter* (inquiunt Acta) *excepto Reverendo Domino Episcopo Terdonensi, qui dixit, quod non placebat sibi revocatio illorum, quae habuerint originem a Basileensi, et Bituricensi Conciliis, seu Conventiculis.* Ergo in Lateranensi V. si non definitum, saltem sancitum et declaratum est, quod Papa authoritatem supra omnia Concilia etiam Oecumenica habeat. Atque hoc decretorium esse mihi videtur argumentum, quod nulla solida responsione enervari potest. Hoc emin-Concilium fuit vere Oecumenicum, convocatum ab habente legitimam potestatem, nimirum Julio II.: praesederunt ipsi Pontifices Julius II., eoque demortuo, Leo X: invitati sunt omnes Episcopi totius Orbis: sufficiens Patrum numerus huic Concilio subscripsit, praeter Abbates et Generales Ordinum, Cardinales et Episcopi CXIV. qui Basileensium Episcoporum numerum longe excedebant: acceptatum fuit ab universa Ecclesia, atque etiam a Ludovico XII. Galliarum Rege, tamquam ve-

rum, unicum, legitimum et Oecumenicum, abjecto Pisano conciliabulo schismatico; ut manifestum est ex Sessione VIII. in qua publice lectum, et in Concilii commentaria relatum est mandatum Ludovici XII. Francorum Regis, per ipsius Legatos Cardinalem Sanseverinum, Claudium Seisellum Episcopum Massiliensem, ac Ludovicum Fourbinum, Synodo exhibitum. Ipsi Galli renuntiarunt in hoc Concilio appellationi factae tempore Julii II. ab hoc ad aliud Concilium, tamquam omnino illegitimae.

CCCLXXX. Probatur III. Testimoniis *Romanorum Pontificum*, quorum eximia vitae sanctimonia, ac praestans doctrina suspicari non sinit, illos in jura et privilegia involasse, quae sibi nullo pacto competere agnovissent. Praeter testimonia illa, quae Num. CCCXXXVI. adduximus, S. Innocentius Epist. ad Patres Concilii Carthaginensis, quae inter Augustinianas est CLXXXI. scribit: *Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis in disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent caeterae Ecclesiae, velut de natali fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri latices Capitis incorrupti manarent, quid praeciperent, quos abluerent, quos velut coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.* S. Zosimus in Epist. ad Carthaginenses Patres: *Quamvis Patrum traditio Apostolicae Sedi authoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper regulasque servaverit; et currens adhuc suis le-*

gibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo Canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui Sedis haereditatem ipso annuente meruissent. Habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum, tum hujus maxime, ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii, aut aliqua titubare aura sententiae, cui ipsa sui nominis firma, et nullius hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine periculo temere nullus incesset. S. Bonifacius I. Epist. XIII. ad Rufum Thessalonicensem: *Talia scripta direximus; quibus universi Fratres intelligant, de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.* Et in Epist. XV. ad Illyrici Orientalis Episcopos: *Nemo umquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari.* S. Gelasius I. Epist. ad Episcopos Dardaniae: *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo appellare sit permissus --- Sed nec illa praeterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more Majorem, etiam sine ulla Synodo praecedente, et absolvendi quos Synodus inique damna-*

verat, et damnandi nulla Synodo existente, quos oportuerit, habuerit facultatem. Luculentissimum de suprema Romani Pontificis supra omnia Concilia authoritate extat testimonium in Epistola VIII. *S. Nicolai I.* ad ad Michaelem Imperatorem, quae lecta fuit, summeque dilaudata Patribus CPolitanae IV. Synodi Oecumenicae, ita ut S. Nicolaum vocaverit *Organum Spiritus Sancti.* In ea Pontifex Imperatorem ita alloquitur. *Non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis Romanae Ecclesiae, quae collecta Concilia sua auctoritate firmat; sua moderatione custodit. Unde quaedam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. – – Quoniam cum secundum Canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto Sedis Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam licere de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod et Bonifacius, atque Gelasius Sanctissimi Praesules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiae Romanae consuetudinem non ignorantes dicunt etc.* Atqui certo falsa forent, quae hic S. Nicolaus memorat, siquidem Romanus Pontifex Oecumenicis Conciliis esset inferior.

CCCLXXXI. Prob. IV. Testimoniis Conciliorum particularium. Initio saeculi VI. Ennodius Diaconus in sua Apologia pro Symmacho scribit: *Aliorum forte hominum causas Deus voluit homines terminare; sed Sedis istius Praesulis, suo sine quaestione servavit arbitrio. Voluit B. Petri Successores coelo tantum de-*

bere innocentiam, *et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Hic vero Liber, Ennodii auctoritate Synodi Romanae CCXVIII. Episcoporum conscriptus, ac publice in Concilio lectus est: *Quo recitato* (inquiunt Acta) *et ab omnibus consona voce roborato Sancta Synodus dixit*: *Haec futuris temporibus conserventur*, *atque ab omnibus teneantur*, *et in omnibus serventur. Hic libellus integerrime Synodaliter ab omnibus teneatur*, *atque inter Quartae et Quintae Synodorum nostrarum actiones interponatur*, *et ita sicut harum Synodorum Decreta habeatur*: *quia Synodali auctoritate conscriptus est*, *et roboratus.* Anno DCCCVIII. *Carolus Magnus* Romam profectus, Synodum in causa Leonis III., quorundam criminum falso accusati, congregavit. Archiepiscopi vero, Episcopi et Abbates uno ore contestati sunt; se judices illius esse non posse. *Nos* inquiebant, *Sedem Apostolicam*, *quae est Caput omnium Dei Ecclesiarum*, *judicare non audemus*; *nam ab ipsa nos omnes*, *et Vicario suo judicamur*, *ipsa autem a nemine judicatur*, *quemadmodum antiquitus mos fuit*; *sed sicut ipse Summus Pontifex consuevit*, *jubeat*, *canonice obediemus.* Leo vero Sacra Evangelia amplexus, ambonem conscendit in Basilica S. Petri, et coram omnibus Ordinibus palam juramento se purgavit, ut refert *Anastasius Bibliothecarius.* Saeculo XII. *Anselmus* Havelbergensis Episcopus a Lothario II. Imperatore Legatus CPolim missus, cum a Graecis doctioribus Episcopis provocaretur, celebrem conventum institui curavit, in quo de Controversiis Graecos inter et Latinos ultro citroque disputatum est. In eo conventu nomine totius Ecclesiae Latinae publice Graecis omnibus, ac praecipuo adversa-

rio suo Nechiti Nicomediensi Archiepiscopo dixit : *Constat Romanam Ecclesiam divinitus habere duo privilegia, videlicet prae omnibus incorruptam puritatem fidei, et super omnes potestatem judicandi.*

CCCLXXXII. Prob. V. Authoritate *Ecclesiae Gallicanae. Alcimus Avitus* Viennensis in Galliis Episcopus, posteaquam intellexit, Symmachi Papae causam in Synodo Romana fuisse discussam, nomine Episcoporum Galliae ad Episcopos Italiae ita scripsit: *Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur -- quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens causam, quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, divino potius servarit examini -- Quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor. -- Ut in conspectu vestro non sit Ecclesiae minor, quam Reipublicae status -- Non minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in Civitate apicem mundi. -- Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo, quae Romae geritur, causa cogitanda est. In Sacerdotibus caeteris potest, si quid forte nutaverit, reformari; at si Papa vobis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. Nostis bene, intér quas Haeresum tempestates velut ventis circumstantibus fidei puppim ducamus. Si nobiscum hujusmodi pericula formidatis, expedit, ut Gubernatorem vestrum participato labore tueamini. -- Reddet rationem, qui ovili Dominico praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset; caeterum non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis.* Turonense II. Anno 570. de Romanorum Pontificum Decretis

ita loquitur Can. XX. *Quis Sacerdotem contra Decreta talia, quae a Sede Apostolica processerunt, agere praesumat? - - et quorum Authorum valere possit praedicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum praecepit auctoritas.* Ratramnus Corbejensis saec. IX. in Opere adversus Graecos scribit: *Ex antiquis monumentis cernimus omnino, Romani Pontificis authoritatem super cunctas Ecclesias Christi praeeminere, ut omnes Episcopi illum habeant Caput, et ad ejus judicium pendeat, quidquid in Ecclesiasticis negotiis disponitur, ut ex ejus arbitrio vel maneat constitutum, vel corrigatur erratum, vel sanciatur, quodcunque fuerit innovandum. - - Quaecunque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt; quae vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec aucturitatem ullam habere potuerunt.* Saeculo XII. Ivo Carnotensis Episcopus a Joanne Archiepiscopo Lugdunensi ad Concilium apud Ansam cum reliquis Senonensis Provinciae Episcopis invitatus, ad examinandam investiturarum concessionem a Paschale II. Papa Imperatori Henrico V. factam, adesse recusavit, et ex Coepiscoporum suorum consensu Synodicam ad eum scripsit Epistolam, qua se et illos excusat: *Ad haec*, inquit, *non videtur nobis utile consilium ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare; quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subesse judicio, - - Excusamus innocentiam nostram, qua et principales Ecclesiae claves nolumus sua potestate privare, quaecunque persona vices Christi habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.* Eadem fuit

doctrina SS. Thomae, et Bonaventurae Parisiensium Doctorum. S. Thomas de Potent. Quaest. X. Art. IV. ad XIII. scribit: *Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem; ut ex praedictis patet: ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola Synodus congregari potest; et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur, quae omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quod ad ejus expositionem faciendam Universale Concilium congregetur.* S. Bonaventura in Opusculo de Ecclesiastica Hierarchia Parte II. Cap. I. *Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris residet authoritas, non a Rege, non a Principe saeculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur.* Anno 1396. cum Universitas Parisiensis in causa Benedicti XIII. seu Petri de Luna, ad futurum, verum ac legitimum Papam appellavit; haec subjunxit: *Certum est, Episcopum Romanum, tamquam Vicarium Christi, non habere Superiorem, cum Christus non habuerit, et Ecclesiam Catholicam a se et per se fundatam Petro tamquam Capiti tradiderit gubernandam.*

CCCLXXXIII. Prob. VI. Ratione Theologica. I. Romanus Pontifex est Caput Universalis Ecclesiae, est immediatus et proximus Vicarius Christi, habetque plenam potestatem pascendi et regendi universam Ecclesiam, ut definitum est in *Florentino*. Immo in *Constantiensi* Sess. XLV. in Bulla Martini V, qua Concilium illud confirmatur, suspecti de haeresi Wickleffi et Hussi inter alia interrogari jubentur, an cre-

dant, quod *Papa supremam habeat authoritatem in Ecclesia Dei*? Ergo, nisi turpis fiat in re tanti momenti vocabulorum abusus, Papa est Caput omnium Episcoporum, etiam collective sumptorum, secus non esset Caput totius Ecclesiae universalis, sed tantum particularium Ecclesiarum. Ergo illis est Superior jure divino. Ergo cum Papa sit immediatus Christi Vicarius, idem est tribunal Romani Pontificis et Christi. Atqui tribunal Christi est certo superius Concilio Oecumenico. Ergo etiam tribunal Romani Pontificis. Profecto percipi illud nequit, Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiae universalis, si a membris vel collective, vel distributive sumptis regitur: Eumdem plenam habere potestatem pascendi et gubernandi Ecclesiam Dei, si ipse Ecclesiae subjicitur, et ab ea pascitur: Eumdem esse immediatum Vicarium Christi, siquidem ab Ecclesia judicari posset. Tali enim modo Pontifex non Christi, sed Ecclesiae foret Vicarius, ut olim asseruit Thomas de Courcellis in Basileensi conciliabulo: Neque amplius Romanus Pontifex, sed Concilium Oecumenicum plenam haberet potestatem regendi et gubernandi Ecclesiam Dei, ejusque Caput dicendum foret.

CCCLXXXIV. *II.* Concilia Generalia, etiam illa quae ab ipsis Pontificibus, vel de eorum consensu sunt celebrata, et quibus Legati Pontificii interfuerunt, errare possunt, et turpiter errarunt. Ergo alteri subjecta sunt qui errores emendet. Atqui hic non est alius quam Romanus Pontifex, a quo Concilia petunt confirmationem. Ergo is est Superior Conciliis etiam Generalibus. P. A. Ut enim nihil dicam de Conciliis, quae praeter Romani Pontificis consensum congregata sunt, ut Trullanum, CPolitanum sub Copronymo A.

754. quibus Legati Apostolici non interfuerunt, errarunt Ariminense, Ephesinum II, Francofordiense sub Carolo M. circa cultum Imaginum, ac Basileense sub Eugenio IV, quamvis Romani Pontifices ad ea Legatos suos miserint. Praeterea Concilia Generalia majorem non habent anthoritatem in Ecclesia Dei, quam illis tribuerint Romani Pontifices. Sic Canon II. CPolitani I. et XXVIII. Chalcedonensis Concilii Oecumenici nullam habuere roboris firmitatem, quia a Romanis Pontificibus reprobata fuere. Hinc jam saeculo IX. scripsit S. Nicolaus I. Epist. VII. *Denique in universalibus Synodis, quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut ipsi scitis, habetur? Sicut e contrario, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum.* Et S. Thomas in Opusc. contra impugnat. Relig. Cap. IV. *Sancti Patres in Conciliis congregati, nihil statuere possunt, nisi authoritate Romani Pontificis interveniente.*

CCCLXXXV. III. In quaestionibus Theologicis, praesertim iis, quae ad jus divinum spectare videntur, adhaerendum est communissimae et antiquissimae sententiae, pro qua solida pugnant authoritatis sacrae, et rationum momenta. Atqui talis est sententia illa, quae docet Romanum Pontificem esse Conciliis etiam Oecumenicis superiorem. Ergo. P. m. Sententia illa est communissima, quia, exceptis Gallis Theologis, iisque non omnibus, Catholici orbis Praesules, Academiae, Religiosi Ordines, Doctores ac Theologi ferme omnes illam tuentur, quamvis nulla peculiari Ecclesiastica aut Politica Lege adigantur, liberrimumque sit illorum judicium. Nemo autem sibi facile persuadebit, Nationes omnes caecutire. II. Est antiquissima; oppo-

sita enim opinio ante tempora magni Schismatis atque ante initium saeculi XV. aut finem XIV, incognita erat in Ecclesia Latina, ut pote quam Theologorum nullus ante ea tempora tradiderat. Ipse *Gersonius*, novae hujus opinionis aut fabricator, aut saltem strenuus promotor, Lib. de Potestate Ecclesiae Consider. XII. scribit : *Ante celebrationem Sacrosanctae hujus Constantiensis Synodi, sic occupaverat mentes plurimorum litterarum magis quam litteratorum ista traditio* (nempe quod Papa sit infallibilis, et supra Concilia) *ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus, vel damnatus*. III. Pro communissima et antiquissima hac sententia solida pugnare authoritatis sacrae et rationum momenta ostendunt probationes nostrae, quae nulla solida responsione umquam fuere enervatae. At vero nova haec Gallorum opinio nulla fulcitur Scripturarum, Patrum, et Conciliorum authoritate; eaque tantum ab ejus defensoribus proferuntur, quae ad rem non faciunt, et quae facillime elui possunt, ut patebit ex solutione objectionum. Praeterea, ut testatur Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus Lib. de Rom. Pontificis potestate. Parte I. Quaest. VII. *Etsi opinio, quae stat a partibus Conciliorum, in ratione opinionis a temeritate vacet propter rationem quam adduximus; a temeritate tamen inobedientiae vix potest excusari: fovet enim ut plurimum inobedientiam, et dissidia multa, magnosque tumultus semper in Ecclesia excitavit*. Ita hic Doctor Sorbonicus. Vide plura apud *Antonium Charlas* in Tractatu de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae Tomo II. et III. *Coelestinum Sfondrati* in Regali Sacerdotio Lib. II. *Gallum Cartier* de Infallibili et suprema authoritate Sum-

morum Pontificum. *Constantinum Roncaglia* in Animadversionibus ad Dissertat. IV. Historiae Eccles. Saeculi XV. et XVI. *Natalis Alexandri etc.*

OBJECTIONES.

CCCXCIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Matth. XVIII. Christus generatim praecipit: *Si Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo etiam Romanus Pontifex judicari potest a tota Ecclesia. II. Apostolus II. ad Corint. XIII. ait: *Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.* Ergo Papalis potestas data est propter Ecclesiam. Ecclesia est Papa superior, quia est finis, potestas vero Papalis est medium. III. Act. XV. in Epistola Synodali ad Antiochenos scripta mentio fit tantum Collegii Apostolici, non autem B. Petri: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris.* IV. Act. XX. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo non soli Pontifici Romano, sed etiam Concilio Episcoporum commissa est Ecclesiae cura et gubernatio. R. ad I. N. C. Fratris nomine non intelligitur ibi Romanus Pontifex, qui quamvis natura frater noster sit, potestate tamen et dignitate communis est omnium Fidelium Pater: neque Ecclesiae nomine Ecclesia universalis intelligitur; secus Generalia deberent Concilia indici, quoties Christianus quicumque, fraterna correctione contempta, in scelere perseverat: sed Pastor illius Ecclesiae, nimirum Episcopus, vel Parochus, qui fratri accusato praesunt, jusque habent in illum, ut exponunt *S. Chrysost.* Hom. LXI. in Matthaeum, *S. Thomas,*

Theophilactus, *Euthymius etc.* Quare ex eo textu nihil evincitur, donec ostenderint adversarii, Romanum Pontificem subjici Ecclesiae, in quem illa proin possit animadvertere. Ad II. Nego ultimam consequentiam, quam non probat allata ratio; alias sequeretur, omnes Reges et Principes esse inferiores suis subditis. Cum enim omnes Reges sint propter bonum atque utilitatem Reipublicae, sicut Papa ob bonum Ecclesiae; utilitas Reipublicae est finis propter quem Regia potestas est instituta, ipsa vero Regia potestas est medium ad obtinendum hunc finem. Potestas Papalis est quidem medium conservandae Ecclesiae datum; non ideo tamen sequitur Papam judicari posse a subditis, si potestate illa abutatur, multoque minus eum deponi posse; quia hoc multo magis in detrimentum Ecclesiae cederet, ejusque unitatem et pacem turbaret, nunquam aut veris aut fictis criminibus defuturis, ob quae Pontifices throno moveri oporteret, aliosque supponi, data inquietis animis rerumque novarum cupidis occasione, obtentu criminum et reformationis inducendae, Pontifices impugnandi, et conflandi schismata. Ad III. N. C. Etiam in posterioribus Conciliis Decreta nomine Concilii expedita et promulgata sunt, quin propterea authoritas Pontificis exclusa fuerit, qui primas in Conciliis partes agebat. Caeterum quomodo B. Petrus in Concilio illo Apostolico primatum suum ostenderit, diximus Num. CCXCIV. Ad IV. R. Ecclesiarum particularium Episcopis, Universalis vero Ecclesiae curam soli Romani Pontifici commissam fuisse. Quamquam in aliquo sensu dici possit, quemlibet Episcopum prospicere etiam utilitati universae Ecclesiae, qui Ecclesiam suam particularem bene administrat, et cu-

ram exercet Romano Pontifici, omnium Episcoporum Capiti, subordinatam.

CCCXCIV. *Objicitur II.* Authoritas Concilii *Pisani.* In Pisano Concilio Oecumenico Anno 1409. depositi fuere Gregorius XII, et Benedictus XIII. Ergo Concilium ipso facto ostendit suam Superioritatem supra Pontificem. R. I. Pisanum non fuisse Concilium Oecumenicum, sed conciliabulum illegitimum, ac schismaticum. Probatur assertio I. Quia non a *Gregorio* XII, vero ac legitimo Pontifice, Urbani VI. Successore, sed a rebellibus Cardinalibus et Episcopis, contra mentem Gregorii, celebratum est. II. Quia a nullo Pontifice legitimo confirmatum est. Nam Alexander V, ac post illum Joannes XXIII. illegitime suffecti sunt Gregorio XII. adhuc viventi, et invito. III. Concilium Pisanum, praeterquam quod acephalum fuerit, repraesentare non potuit sufficienter universam Ecclesiam: rejectum enim fuit a Ruperto Imperatore, Neapoli, Sicilia, Romandiola, Palatinatu, Bavaria, immo a tota Germania, multisque Hungariae ac Italiae Episcopis, qui Gregorio XII. tunc temporis adhaerebant: Item ab Arragonia, Navarra, Castella, Scotia, Corsica, Sardinia, quae Benedictum XIII. Antipapam tuebantur. IV. Illi ipsi, qui Pisano interfuerant, vehementer dubitarunt, an Concilium illud fuerit Oecumenicum, ut patet ex *Petro Alliacensi* qui tempore Concilii Constantiensis, octo circiter annis post Pisanum, librum conscripsit de Ecclesiae et Cardinalium potestate, in cujus prima Conclusione ita scribit: *Licet Concilium Pisanum fuerit legitime ac Canonice celebratum, et duo olim contendentes de Papatu juste et Canonice condemnati, et electio Alexandri V. fuerit rite ac Canoni-*

ce facta, prout haec omnia tenet Obedientia Domini nostri Papae Joannis XXIII, tamen duae Obedientiae duorum contendentium probabiliter tenent contrarium. In qua opinionum diversa et adversa varietate non sunt minores difficultates juris et facti, quam ante Concilium Pisanum erant de justitia duorum contendentium. Praeterea in Constantiensi admissa fuit et dilaudata spontanea renuntiatio Papatus, facta a Gregorio XII. per Legatos: Cardinalibus Gregorii permissum fuit comparere in Concilio cum purpura et insignibus Cardinalium. Ergo ipsi Constantienses, quorum plurimi Pisano interfuerant, merito dubitarunt, an depositio Gregorii XII. facta in Pisano, adeoque ipsum Pisanum legitimum fuerit Concilium.

CCCXCV. R. II. Admisso etiam, quod Pisanum legitimum fuerit Concilium, ex eo tamen probari non potest, extra casum schismatis, vel haeresis, Concilium superius esse Romano Pontifice indubitato ac legitimo. Nam. I. Temporibus Pisani vehementer dubitabatur, utri Pontifici parendum esset, Gregorio XII. an Benedicto XIII. toto Christiano orbe in duas factiones diviso; ita ut hanc incertitudinem Academiae Parisina, et Bononiensis *inextricabilem* vocaverint. Sic enim in Conclusionibus Pisano oblatis loquuntur Conclusione V. *Stante dubio inextricabili Papatus propter dubium facti et juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic maneat perpetuo divisa cum tanto scandalo; et animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a Papatu ejicere.* Quibus verbis Superioritatem Concilii ad solum casum dubii Pontificis restringunt. II. Pisanum deposuit utrumque tanquam Schismaticum et Haereticum; Ses-

sione enim XV. recitata est sententia in Benedictum et Gregorium a Concilio dicta: *Christi nomine invocato, Sancta et Universalis Synodus declarat etc. utrumque fuisse et esse notorios Schismaticos, et antiqui Schismatis nutritores, nec non notorios haereticos, a fide devios etc.* Ergo ex Pisano non probatur, exceptis duobus casibus, schismatis et haeresis, Pontificem subjici Concilio.

CCCXCVI. *Objicitur III.* Authoritas Constantiensis Concilii, quod Sess. IV. Decretum edidit: *Et primo declarat, quod ipsa Sancta Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, Concilium Generale faciens, et Ecclesiam Catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habeat, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti Schismatis, et reformationem dictae Ecclesiae in Capite et in membris.* Sessione V. *Item declarat, quod quicunque, cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis aut praeceptis hujus Sacrae Synodi, et cujuscunque alterius Synodi Generalis legitime congregatae, super praemissis, seu ad ea spectantibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit nisi resipuerit, condignae poenitentiae subjiciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.* Ergo a Constantiensi Oecumenico Concilio definitum fuit, Concilium Oecumenicum esse superius Pontifice.

CCCXCVII. R. I. Cum Illmo *Petitdidier* in Dissert. de mente Concilii Constantiensis Cap. IV. Mens Constantiensium Patrum nunquam fuit, sensum hujus Decreti ultra Schismatis, quo tunc Ecclesia premebatur

circumstantias extendere. Probatur assertio I. ex verbis hoc Decretum immediate praecedentibus: *Haec Sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione praesentis schismatis, et unione ac reformatione Ecclesiae Dei in Capite et membris facienda, etc.* II. Ex voto Nationis Germanicae in Concilio hac de re ab ipsa lato: *Hoc Sacrum Constantiense Concilium, in materia hujus Schismatis supremam in terris habet authoritatem, et judiciariam potestatem.* Aliarum Nationum suffragia injuria temporum deperdita sunt. III. Ante Sessionem VII. ex XL. Theologis, XXVIII. contendebant contra Alliacensem, Wicleffi errores non Concilii, sed Pontificis nomine damnandos esse, asserentes, Concilium nullam, nisi quam a Papa velut capite suo acciperet, authoritatem habere. Ergo Concilium Sessione IV. et V. non definiverat, pro omni casu Concilia esse supra Papam. IV. Post Sessionem VI. Joannes Patriarcha Antiochenus scriptum opposuit Petro Alliacensi, quo pluribus argumentis ostendit Papam esse supra Concilium, quin Alliacensis, aut alii opposuerint ei Decretum Sessionis IV. aut V. V. ipse Alliacensis in Tractatu suo de Potestate Ecclesiae, quem Constantiae conscripsit duobus annis post V. Sessionem, docet Concilium esse supra Papam in aliquo tantum, non vero in omni casu: item regulariter et in pluribus Papam Concilio non subjacere. VI. Theologi, qui Constantiensi interfuerant, etiam absoluto jam Concilio, libros conscripserunt, quibus probant authoritate Romani Pontificis nihil majus toto orbe Christiano inveniri. VII. Martinus V. statim post electionem suam omnem authoritatem in se transtulit, solusque, addita clausula, *Sacro approbante Concilio*, quaestiones

propositas definivit. Ipse solus pro qualibet natione eam Ecclesiae Romanae reformationem edidit, quam voluit: Bullam promulgavit in pleno Consistorio, qua prohibuit in causis fidei appellationes a Papa ad Concilium, nemine contradicente. Articulum, ob quam causam, et quomodo Papa corrigi et deponi possit, a reformationis negotio abesse jussit, declaravitque nihil de eo novi esse statuendum: denique Concilium pro libito suo dissolvit. VIII. Eo etiam tempore, quo Basileenses turbae exortae sunt, plerique Theologi, qui a partibus Basileensium stabant, superioritatem Conciliorum defendebant tantum ut opinionem, quam libere quilibet amplecti, vel rejicere posset. Quod si Constantienses Decretum suum de superiori Concilii authoritate ad certos etiam et indubitatos Pontifices extendissent, illudque a Martino V. confirmatum fuisset, sententia quae superiorem Conciliis authoritatem tribuit, tanquam fidei articulus, non vero tanquam opinio fuisset habita.

CCCXCVIII. R. II. Quando Decretum illud Sessione IV. et V. formatum est, Synodus Constantiensis non erat Oecumenica. Prob. Assertio. I. Quia coaluit ea Synodus nec jubente, nec consentiente Gregorio XII. qui solus legitimus erat Pontifex. II. Quia ad illam convenerant tantum illi Episcopi, qui Joanni XXIII. adhaerebant; ideoque non poterat ab illis Universalis Ecclesia repraesentari, cum multa regna et provinciae adhuc Gregorium XII. et Benedictum XIII. tuerentur, quarum Episcopi Constantiam nondum venerant. III. Quia Decretum illud factum et promulgatum fuit, reclamante Cardinalium Collegio, et Galliarum Oratoribus. Hinc in Camera paramentorum Palatii Constantiensis ante Sessionem V. protestati sunt Cardinales, quod

propter scandalum vitandum ad Sessionem irent, non vero animo consentiendi iis quae audiverant in ipsa statui debere. Atque idcirco Decretum Sessionis V. ab Episcopo Posnaniensi lectum fuit, cum illud promulgare detrectaret Cardinalis Zabarella Florentinus. IV. Quia ipsa Constantiensis Synodus Sess. XIV. ipso facto ostendit se dubitare, an initio fuerit Oecumenica, ante cessionem Gregorii.

CCCXCIX. Ultima haec assertio solide probatur. Deposito Joanne XXIII, Gregorius XII, Legatum suum plenipotentiarium Carolum de Malatestis Arimini Dominum, Costantiam misit, ut suo nomine Papatui renuntiaret; prius tamen a Concilio, vel potius Sigismundo Imperatore petiit I. Ut per actum publicum demonstretur utramque partem agnoscere, quod qui hactenus Constantiae convenerant, non constituerint Concilium sacrum Canonice congregatum, sed Congregationem civilem, a Sigismundo Caesare Laico convocatam. II. Ut Sigismundus Imperator in Sess. XIV. praesideret, primum locum in ea tenendo, quo demonstraretur sic, Congregationem esse civilem, cui ipse praesideat. III. Ut Carolus de Malatestis tanquam Gregorii XII. Plenipotentiarius, et Cardinalis Ragusinus, tanquam ejusdem Gregorii Legatus, prope Caesarem sedeant in fronte altaris, facie ad alios versa. IV. Ut dein Carolus de Malatestis proferat litteras Gregorii, quibus declarat se praesentem congressum reputare tanquam Congregationem a Caesare vocatam. V. Ut in iisdem Gregorii litteris exprimatur, quod nunquam mutaverit suum propositum; sed semper paratus fuerit Papatui, tamquam legitime in Urbani VI. successorem electus, renuntiare, quando quod jam sperat fieri pos-

se, judicaret quod unio et pax Ecclesiae ex sua renuntiatione sequeretur. VI. Ut in iisdem litteris distinctis verbis exprimatur, quod Gregorius XII. praesentem Congregationem convocet, ut ipse legitimum Concilium faciat. VII. Ut in iisdem litteris Gregorius XII. declaret, se rejicere omnem convocationem praetense a Balthassare Cossa sub nomine Joannis XXIII. factam, et excludere ejusdem Balthassaris non praesidentiam modo, sed etiam praesentiam. VIII. Ut in iisdem litteris Gregorius XII. declaret, ea tantum Acta approbanda esse, quae post hanc convocationem a Concilio sic convocato disponentur. IX. Ut quando Legatus juxta praefatas Gregorii XII. litteras Constantiensem Congregationem civilem convocabit in Concilium Ecclesiasticum, non declaret, quod Acta per Concilium ipsum agenda authorizet aut confirmet, nisi juxta modum et formam in ipsis litteris contentam. X. Ut nemo ex nationibus contradicat, sed per deputatum suum dicat, *Placet*, exprimendo, quod praefatam Gregorii XII. convocationem et authorizationem acceptent eo modo, quo facta est. XI. Ut quoniam antea exclusi fuerant Cardinales, nunc primum unus ex ipsis, aliorum tamquam vocem habentium nomine, pariter dicat, *Placet*. XII. Ut his peractis Caesar redeat ad suum thronum, et Carolus de Malatestis coram Concilio jam legitime convocato, et congregato, Gregorii XII. nomine Papatui renuntiet. Haec omnia, nemine contradicente, in Constantiensi executioni mandata fuisse ante renuntiationem Gregori XII. ex Actis Concilii invicte ostendit *Bernardus Desirant* in Consilio pietatis Tomo II. Ex quibus legitime infertur, ipsos Constantienses aut tacite agnovisse, priores Sessiones firmitatis robore carere, aut

saltem dubitasse, num ante cessionem Gregorii Concilium fuerit Oecumenicum. Galli reponunt haec ex indulgentia tantum et simulatione a Synodo permissa fuisse, ut Gregoriana factio cum honore sepeliretur. At si Constantienses Gregorium pro dubio saltem Pontifice non agnovissent, timuissentque, ne novam a Gregorio factam Concilii convocationem rejicendo, Synodi auctoritas penitus in discrimen adduceretur, qua ratione, immo qua conscientia permisissent, ut Concilium indiceret, confirmaret, novos Praesides deligeret, et denique abdicaret se potestate, quam non habebat? Numquid hac sua indulgentia propriam certamque authoritatem suam velut dubiam mentiti fuissent?

CD. R. III. Quamvis Concilium Constantiense fuisset tunc Oecumenicum, sensumque Decreti sui etiam ad indubitatos Pontifices extendisset, nihil tamen ex eo conficeretur, quia Decretum illud a Martino V. minime fuit approbatum. Prob. assertio Martinus V. approbavit tantum ea, quae conciliariter gesta sunt ac determinata in causa fidei. Nam Sess. XLV. dicitur: *Sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad praedicta, quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per praesens Concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic Conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter, nec alio modo.* Atqui Decretum Sessionis IV. et V. non fuit Conciliariter formatum et sancitum, more nempe in aliis Conciliis recepto, praemissa matura deliberatione, auditis rationum momentis, ac collatis libere suffragiis plena omnium Episcoporum, quibus solis competit in Concilio sententiam ferre, consensione

concordique judicio definiendo. Ergo Martinus V. illud non approbavit. Prob. minor I. Praeterquam enim quod tunc Synodus non fuerit Oecumenica sed Congregatio mere civilis, ut paulo ante diximus, in Constantiensi non omnes et singuli publice sententiam suam dicebant, sed adnitentibus Alliacensi et Gersonio, quaelibet natio unam solummodo vocem, seu unicum suffragium habuit, nimirum Italica, Germanica, Gallica, et Anglicana; atque unicus cujusque nationis Episcopus, a sua natione deputatus, in publica Sessione sententiam dicebat per verbum *Placet*, quamvis Gallicana CC., Italica totidem capitibus constaret, Anglicana vero tribus tantum Praelatis, et novem Clericis. II. Cum suffragium solis Episcopis, Abbatibus, atque Ordinum Generalibus in aliis Conciliis concessum fuerit, in Constantiensi nullo habito personarum discrimine, jus suffragii non consultivi tantum, sed etiam decisivi, datum fuit non Episcopis modo, sed etiam Parochis, Doctoribus, immo et laicis, ita ut ex majori illorum numero cujuslibet nationis sententia formaretur, in Concilio dein nomine nationis ab unico Praelato exponenda. III. Innumerae lites et dissensiones exortae sunt, multaque caeco impetu, absque sufficiente deliberatione acta sunt, ut constat ex protestatione, quam tres nationes et Collegium Cardinalium contra Germanicam nationem ediderunt, in qua inter alia haec leguntur: *Clerus et populus non nullorum Regnorum et Provinciarum nondum clare et solide huic Sacro Concilio adhaeserunt, nec non etiam quorumdam, qui eidem Concilio adhaeserunt, propter rumores discordiarum, et quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare.* IV. Cardinalibus

denegatum fuit suffragium a nationibus distinctum. Acta Concilii Constantiensis Sess. VII. apud Schelstrate ita habent. *Pene in omnibus Concilii decretis factum est, ut Cardinalibus ita arcto et brevi tempore ostensa sint decreta a Nationibus conclusa, ut non fuerit in eorum potestate sufficienter deliberare; immo in magnum contemptum habiti sunt, et finaliter petiverunt, quod cum essent in Concilio quatuor nationes, una Angliae, in qua non erant XX. Capita, de quibus tres solum Praelati: Et Cardinales essent sexdecim, et alii futuri, de quibus plures magni et insignes Doctores, propter dignitatem Collegii haberent dignitatem tantam, et authoritatem, sicut natio Anglicana, quod fuit recusatum, et dictum, ut venirent ad nationes.* Haec certe tam gravia visa sunt ipsi Cardinali Cameracensi *Petro de Alliaco*, ut librum scripserit de Ecclesiae, et Cardinalium authoritate Constantiae Anno 1417. ante Electionem Martini V., in quo varia dubia recenset *circa ordinem hujus Sacri Concilii, quae apud nonnullos magnam perplexitatem inducunt.* Atque, *haec a se proponi eo consilio, ut super his Concilium deliberet, ne in futurum ejus acta improbentur. Primum dubium*, inquit, *an quatuor Nationes in hoc Sacro Concilio sic distinctae, videlicet Italica, Gallicana, Germanica, et Anglicana, excluso dicto Cardinalium Collegio, faciant Generale Concilium, cum sint plura Concilia particularia, valde inaequaliter, et improportionabiliter divisa, et ad partem deliberantia: quae deliberatio, exclusa deliberatione dicti Collegii, et non facta in communi Sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilii Generalis conciliariter facta.* Ex quibus verbis abunde colligitur, quid per *Conciliariter facta* intellexerit Martinus V.

CDI. *Objicitur IV.* Authoritas *Basileensis* Synodi, quae Eugenium IV. authoritative citavit, ejus Legatos non nisi certis conditionibus ad praesidentiam admisit: immo indubitatum Pontificem deposuit, et Sessione XXXIII. haec duo definivit. I. *Veritas de potestate Concilii Generalis, universam Ecclesiam repraesentantis, supra Papam, et quemlibet alterum, declarata per Constantiense, et hoc Basileense Generalia Concilia, est veritas fidei Catholicae.* II. *Veritas haec, quod Papa Concilium Generale, universalem Ecclesiam repraesentans, actu legitime congregatum, super declaratis in praefata veritate, aut aliquo eorum sine ejus consensu nullatenus authoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicae. Veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans, est censendus haereticus.* R. Basileense Concilium, quamvis legitime ab Eugenio IV. convocatum fuerit, nullius tamen esse authoritatis, quia ab Ecclesia reprobatum est. *S. Antoninus* III. Parte, Tit. XXII. Cap. X. vocat illud Conciliabulum viribus cassum, Synagogam Satanae temerarium ac praesumptuosum conventum. *S. Joannes Capistranus* Parte III. de Pap. et Conc. authoritate, Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, basiliscorum speluncam, daemonum cavernam. *Petrus* Episcopus Meldensis, Caroli VII. Gallorum Regis ad Eugenium IV. Legatus, Synodum vesanam. *Eugenius IV.* in Constitutione, quae incipit *Moyses vir Dei*, edita in publica Concilii Florentini Sessione IV. Septembris A. 1439., Sacro approbante Concilio, declarationes illas Basileenses damnavit, tamquam impias, scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiae scissu-

ram, ac omnis Ecclesiastici ordinis, et Christiani Principatus confusionem tendentes. *Lateranense V.* Oecumenicum Sess. XI. vocat Basileensem Synodum, conciliabulum schismaticum, seditiosum, et nullius prorsus authoritatis.

CDII. *Dices I.* In Basileensi Sess. XVI. lecta est Bulla Eugenii *Dudum Sacrum*, in qua Pontifex Bullas et Constitutiones, a se contra Basileense Concilium editas, nullas et inanes fuisse declarat, ipsum vero Concilium fuisse legitime inchoatum, legitimeque continuatum. Ergo confirmavit praecedentes Sessiones, atque has inter etiam II.dam in qua a Basileensibus promulgatum fuerat Decretum, quod Concilium Generale sit supra Papam R. C. A N. C. Eugenius per Bullam illam, *Dudum Sacrum*, datam Romae Kalend. Augusti A. 1433 dissolutionem Concilii Basileensis a se factam revocavit, non ob defectum potestatis in ea dissolutione imperanda, sed expresse ob in et subreptionem; quia Joannes Pulchripatris Canonicus Vesontinus, a Cardinale Juliano Caesarino Eugenii Legato Basilea Romam missus ad informandum Pontificem de statu Concilii, falsa illi retulerat. Praeterea Pontifex revocavit dissolutionem a se factam sub conditione, ait enim in citata Constitutione, quae legitur in Collectione Harduiniana Tomo VIII. Columna 1587. *Ita tamen, quod Praesidentes nostri ad praefati Concilii praesidentiam admittantur cum effectu, ac omnia et singula contra personam, authoritatem, ac libertatem nostram, et Sedis Apostolicae, ac Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliorum quorumcunque nobis adhaerentium in dicto Concilio facta et gesta, per dictum Concilium prius omnino tollantur, et in pristinum*

statum reducantur. Quibus verbis satis aperte improbat, quae Basileenses Sessione II. contra Sedem Apostolicam moliti erant. Ergo cum Patres Basileenses conditiones non impleverint, a quibus pendebat dissolutionis Concilii revocatio, necesse est dicere, nunquam Concilium in pristinum statum fuisse a Pontifice restitutum. *Eugenius* certe vitam maluisset amittere, quam Concilio se tam turpiter subjicere, ut ipse testatur in Epistola ad Franciscum Foscari Venetorum Ducem conscripta A. 1433. *Cum institisset Imperator* (Sigismundus) *nobiscum litteris, et nuntiis, ut Concilio* (Basileensi) *haereremus omnino, hoc recusavimus: potius enim hanc Apostolicam dignitatem, et vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse causa et initium, ut Pontificalis dignitas, et Sedis Apostolicae authoritas submitteretur Concilio contra omnes Canonicas sanctiones: quod nunquam antea neque aliquis nostrorum praedecessorum fecit, neque ab ullo extitit requisitum. Atque in hoc ipse postmodum Imperator acquievit.* Praeterea, testante id Joanne a Turrecremata, qui praesens aderat, Eugenius Florentiae in disputatione publica Juliano Caesarino Cardinali, praesentibus Cardinalibus, multisque Praelatis, ita respondit: *Nos quidem progressum Basileensis Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incoeperat; non tamen approbavimus ejus decreta.* Addit idem Turrecremata Lib. II. Summae de Ecclesia Cap. C. *Quod Eugenius approbando progressum Concilii, non approbaverit decreta illius, exinde manifeste colligitur, quod licet Basileenses cum magno studio repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt, et requisierunt per Oratores suos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, et confirmaret, num-*

quam tamen talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt.

CDIII. *Dices II.* Quamvis a Florentino et Lateranensi damnatum fuerit Basileense, non tamen omnia fuere reprobata, sed tantum ea, quae post XXV. Sessionem Basileae sunt acta. Immo illa Eugenii Constitutio *Moyses vir Dei*, in Florentino promulgata, est ex illarum numero, quas Nicolaus V. facta pace cum Basileensibus, aboleri voluit, ut constat ex ipsius Epistola II. ad omnes Fideles. Ergo nihil obstat, quo minus Primae XXV. Sessiones habeantur pro legitimis. R. N. A. Florentinum et Lateranense, nullo facto Sessionum discrimine, simpliciter et absolute Basileense latrocinium reprobarunt. Neque unquam Nicolaus V. Constitutionem Praedecessoris suis Eugenii, aut doctrinam in ea contentam revocavit, sed tantum ex motivo charitatis, utque pax eo facilius Ecclesiae redderetur, Basileenses ad obedientiam revertentes a censuris absolvit, quas vi Constitutionis illius incurrerant, in qua declarabantur haeretici, schismatici, excommunicati, privati omni dignitate, honore ac Beneficio. Illud praeterea observo. Si primae XXV. Sessiones pro legitimis habentur, et Pontifex Concilio inferior est, illique obtemperare tenetur, cur non etiam posteriores Sessiones pro legitimis habebuntur, eoquod Basileensis Synodus, jure suo usa, Romanum Pontificem, subditum suum contumacem, et parere detrectantem, Pontificatu exuerit, vimque coactivam adversus illum adhibuerit, quam ipsa Synodus immediate a Deo obtinuit? Ergo vel omnes Sessiones, vel nulla earum fuit illegitima. Atqui dici non potest, omnes fuisse legitimas. Ergo nulla fuit legitima. Porro quibus turbis et procellis agitata semper fuerit haec erratica Synodus, quot fran-

des, doli, contentiones, rixae, aemulationes, machinationes hanc Synagogam malignantium deturparint, omniumque contemptui exposuerint, longum foret describere, ac omnia persequi. Vide *Bernardum Desirant* in Consilio pietatis Tomo III. *Sfondrati* in Regali Sacerdotio Lib. II. Cap. XVIII. etc.

CDIV. *Objicitur V.* Authoritas Ecclesiae Graecae. *Bessario* Sess. IX. in Florentino aperte professus est, Papam Concilio esse inferiorem. II. Id ipsum *Nechites* Archiepiscopus Nicomediensis saeculo XII. asseruit CPoli in celebri congressu cum Anselmo Havelbergensi. R. ad I. Cum Bessario haec asserebat, Graeci involuti adhuc erant Schismate, et cum Latinis necdum de Romanae Sedis authoritate convenerant. At postea argumentorum a Latinis prolatorum vi et pondere oppressi, in eorundem ivere sententiam, atque professi sunt, jure Romanum Pontificem Symbolo addidisse particulam illam, *Filioque*, eumque habere supremam et infallibilem in Ecclesia authoritatem, prout nempe in Canonibus, dictis Sanctorum Patrum, Scriptura Sacra, et Actis Synodorum expressum erat. Operae pretium est audire Bessarionem in Epistola sua Encyclica ad omnes Archiepiscopos Patriarchatus CPolitani. *Si Doctorum nostrorum libros evolveritis, invenietis, Romanam Ecclesiam supra caeteras omnes potestatem habere, et ita universae praeesse Ecclesiae, ut absque ejus authoritate nulla prorsus Ecclesiastica quaestio solvi, nullum dogma concludi possit, aut debeat – – Haec est, quae fidem Petri tenet et praedicat: haec sola est, adversus quam portae inferi non praevalebunt.* Josephus Methonensis Episcopus Graecus, qui Florentino interfuit, in responsione ad libellum Marci Ephesini, eum ita alloquitur: *A te porro*

emendari Romanam Ecclesiam nil opus erat. Nam illa cunctarum est gubernatrix Ecelesiarum, et aegrotantibus Ecclesiis peritissime medetur, cum potestatem a Christo accepit regendi alias, et gubernandi, non ut ipsa confirmetur ab aliis. Et tu, inquit Salvator ad Petrum, aliquando conversus confirma fratres tuos. Non dixit: Confirmare a fratribus tuis; sed confirma. Oportet igitur, te etiam ab illa confirmari; quemadmodum sapientiores et doctiores te, confirmati sunt. Ad II. R. Illud causae nostrae nihil obesse, siquidem Nechites Schismaticus erat. Agnoscebat quidem ille Primatum saltem aliquem, at valde dilutum, Romani Pontificis, dicens in eo congressu cum Anselmo: *Romana Ecclesia, cui nos quidem inter has sorores Primatum non negamus, et cui in Concilio Generali praesidenti primum honoris locum recognoscimus etc.* Negabat tamen ejusdem inerrantiam, et supremam authoritatem. Idem saeculo XIII. docuit *Nilus Cabasilas* Archiepiscopus Thessalonicensis Schismaticus. Quare videant Adversarii quorum doctrinam sectentur; nec majus sibi praesidium a Graecis Schismaticis obventurum sperent, quam a nostrorum temporum Sectariis, nempe Protestantibus, qui conjunctis viribus supremam et infallibilem Romani Pontificis authoritatem evertere moliuntur.

CDV. *Objicitur VI.* Conventus Cleri Gallicani, qui Anno 1682. Parisiis quatuor edidit declarationes, seu propositiones, quae instar Legis in Gallia obtinent, quasque et Professores docere, et ad gradus litterarios promovendi defendere jussu Regio tenentur. In II. propositione dicitur, Pontificem Generalibus Conciliis inferiorem esse. In IV. Praecipuas Romani Pontificis esse partes in fidei quaestionibus, ejusque Decreta

ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit. R. Authoritate hac nos parum moveri. Nam I. Declaratio haec contraria est non tantum omnium fere Theologorum ex aliis nationibus doctrinae, sed ipsius etiam Gallicanae Ecclesiae, tam ante quam post Constantiense Concilium, ut ostendimus Num. CCCLXXXII, et sequenti Controversia magis declarabitur. Itaque cum duo opposita vera simul esse nequeant, necessario fatendum est, aut deceptos fuisse Conventus illius Antistites, aut omnium ferme nationum Episcopos et Doctores, atque ipsos etiam Gallicanae Ecclesiae Praesules, qui ante annum 1682. vixere. II. Reprobata fuit ab Innocentio XI, ejusque Successore Alexandro VIII. Innocentius enim in litteris ad Conventum Parisiensem datis XI. Aprilis Anno 1682. scribit: *Quam ob rem per praesentes litteras tradita nobis ab omnipotente Deo authoritate improbamus, rescindimus, et cassamus, quae in istis vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliae; cum omnibus inde secutis, et quae in posterum attentari contingat, eaque perpetuo irrita et inania declaramus.* Alexander VIII. jamjam moriturus, vocatis ad lectum Cardinalibus, Diploma seu Bullam jam dudum a se conceptam retentamque expromi, legique a Cardinale Albano jussit, qua quidquid a Galliae Episcopis in Conventu Parisiensi Anno 1682. peractum fuerat, improbabatur. Innocentius XII. in Oratione in Consistorio habita ad Sacrum Collegium ait, *Comitia a Clero Gallicano Anno 1682. habita, merito a Sancta Sede fuisse reprobata.* III. A multis Galliarum Episcopis, atque ab ipso Christianissimo Rege Ludovico XIV.

retractata est. Galliarum Antistites, qui a Rege nominati fuerant ad Ecclesias, sed a Pontifice confirmationem frustra hactenus petierant, ad Innocentium XII, Alexandri VIII. Successorem, ita scripserunt: *Ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti profitemur; et declaramus, nos vehementer quidem, et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis praedictis, quae Sanctitati Vestrae, Ejusque Praedecessoribus summopere displicuerunt. Ac proinde quidquid in eisdem Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem, et Pontificiam authoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus.* Et Rex Christianissimus Ludovicus XIV. in litteris ad Eundem. *Et quia animo statui, qua maxime ratione possum, id ipsum Sanctitati Vestrae testatum facere; latere eam nolo, jam a me provisum esse, ut Edictum, quo Parisiensium Comitiorum declaratio Anno* 1682. *die secunda Martii munita fuerat, Sit quodque eorum temporum conditio a me expresserat, effectu deinceps careat, suspensumque censeatur.* Vide Eminent. Sfondrati Regale Sacerdotium Lib. IV. Cap. ult.

CDVI. *Objicitur VI.* Authoritas *Joannis Charlier Gersonii*, Cancellarii Academiae Parisinae, et *Petri de Alliaco* Cardinalis, Archiepiscopi Cameracensis, qui Doctrinam de Superioritate Concilii strenue propugnarunt in Pisano, et Constantiensi. R. Ex Illustrissimo *Petitdidier* Macrensi Episcopo, exigui momenti hac in re esse Gersonii authoritatem. Nam I. is in Patribus valde peregrinus erat; hos enim non aliter citare solet, quam prout in Decreto Gratiani reperiuntur, ubi saepius nec fideliter, nec exacte adducuntur. II. Exigua omnino inerat illi Historiae Ecclesiasticae peri-

tia. III. Non tantum docuit, Ecclesiam majorem habere potestatem quam Papa, sed etiam subditos Rege suo superiores esse. Tractatu de mediis readunandi et reformandi Ecclesiam Cap. V. ita scribit: *Si ergo propter salvationem unius Provinciae deponitur unus Rex, unus Princeps saecularis, qui per successionem perpetuam descendit: multo magis unus Papa, unus Praelatus est deponendus, qui per electionem Cardinalium fuit institutus, cujus pater et avus forsan ventres fabis implere non sufficiebant.* Et Cap. XXII. *Intelliguntur omnia juramenta ipsi Papae, vel cuicunque alteri personae privatae mortali praestita per quamcunque personam: salva semper utilitate, curatione, et sanatione totius corporis Reipublice, et praesertim Universalis Ecclesiae. Sicut si Rex iniquus in populum sibi subjectum vellet desaevire, non tenerentur ejus subditi juramentum homagii et fidelitatis olim praestitum ei in aliquo observare. Nam, ut dixi, in curatione Universalis Ecclesiae, et cujuscunque Reipublicae, subditi fiunt Domini, et judices Dominorum et Superiorum, proprias utilitates cum detrimento Reipublicae amantium.* Atqui haec doctrina stigmate, omniumque execratione evidenter est digna, quia concitandis seditionibus est aptissima. IV. In Libris suis de hac materia scriptis in turpissimos errores Donatistarum. Wickleffi et Hussi lapsus est Gersonius, suorumque ac posteriorum temporum haereticos intemperantia animi, et maledicentia ergo Romanos Pontifices, si non superavit, aequavit certe.

CDVII. Id evidentissime ostenditur ex eo, quem citavimus, Libro seu Tractatu de mediis readunandi et reformandi Ecclesiam, quem Gersonius paucis ante

Concilium Constantiense annis conscripsit. Docet enim ibi I. Ecclesiam Catholicam distingui ab Apostolica, quam soli Praelati constituunt. Catholicae Ecclesiae ait solum Christum esse Caput, Papa excluso; Apostolicae vero Papam esse Caput: Catholicam esse infallibilem, Apostolicam vero fallibilem. II. Per verba illa Articuli IX. Symboli Apostolici, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ait non intelligi Ecclesiam Apostolicam, sed communionem Sanctorum, quia rei peccati mortalis nec in, nec de Ecclesia sunt. III. Potestatem clavium vult pendere a probitate Ministri, eamque in Praelatis, aliisque vitam impiam agentibus Pastoribus agnoscere renuit. IV. Ait potestatem convocandi Concilium Episcopis et Principibus renuentibus, competere etiam simplici aniculae. V. Papam dispensare non posse in Canonibus Conciliorum Generalium, nec ipsi hanc potestatem a Conciliis concedi debere. VI. Episcopos potestate a Deo sibi data spoliatos fuisse a Romanis Pontificibus. VII. Quae in jure Canonico in gratiam Pontificum continentur, fraude et astutia inserta fuisse, et effectum esse superbiae, ac abusivae potestatis. VIII. Primis Ecclesiae temporibus omnes Episcopos aequali cum Papa potestate praeditos fuisse. IX. Curiam Romanam, quam olim omnes spiritualem praedicabant, factam esse mundanam, diabolicam, tyrannicam, moribusque qualibet saeculari pejorem. X. Quod Papa non habeat potestatem conferendi beneficia, quia hoc in Evangelio non legitur; et quod S. Petrus majorem potestatem non acceperit, quam minimus Episcoporum. XI. Quod reservationes Beneficiorum, a Pontificibus factae, sint rapinae. XII. Quod teneantur Fideles Papae scelesti jugum excutere. XIII. Quod si Petrus, et pri-

mi Pontifices ea perpetrasent, quae ipsius Successores commisere, nullus nisi reprobus fidem Catholicam fuisset amplexus. XIV. Quod Summi Pontifices Deo et hominibus mentiantur per suas indulgentias, benedictiones, dispensationes, docentes bonum esse malum, et malum esse bonum. Et quod nisi haec Romanorum Pontificum progenies radicitus amputetur, ac evellatur, timendum sit, ne Ecclesia tam in Capite quam in membris unquam reformetur. XV. Quod ii, qui bona ditionesque Summorum Pontificum invadunt et occupant, aliud non agant, quam quod hi ipsi egerunt, quando Romam occupaverunt, atque ab Imperio avulserunt. Haec, pluraque alia, quae Gersonius impio et blasphemo ore eructavit, omnium Catholicorum confessione, partim sunt manifeste haeretica, partim fanatica, impia, seditiosa, falsa ac temeraria. Atque hic erit nobis author, quem in hac de Summis Pontificibus materia velut Magistrum sequemur? Cui circa sensum, quem Concilii Constantiensis Decretis affingit, plenam ac plane caecam adhibere tenebimur fidem? Id unum adhuc observo, summa prudentia Ludovicum XIV. Galliarum Regem prohibuisse, ne Gersonii, Authoris adeo periculosi, opera, concitandis etiam contra saeculares Principes seditionibus aptissima, in suo Regno praelo iterum subjicerentur. Vide eruditissimam Illustrissimi *Matthaei Petitdidier*. Dissertationem de mente Concilii Constantiensis Cap. I., ex qua haec omnia delibavimus.

CDVIII. *Petrus de Alliaco* Card. Cameracensis longe moderatior fuit Gersonio. Sententiam enim suam etiam post Decretum Sess. IV., et V., non pro certa et definita venditat, sed tantum ut probabilem tradit,

eamque non in omni, sed tantum in aliquo casu. Nam ad finem Tractatus sui de Ecclesiae Potestate, quem in ipso Constantiensi conscripsit, objiciens sibi ex Decretalibus Cap. *Significasti*, respondet: *Quod in dicto Capitulo*, Significasti, *dicitur, quod Ecclesiae Romanae nulla Concilia Legem praefixerunt, et quod in eis et eorum statutis Romani Pontificis excipitur authoritas; respondetur, quod hoc cum sui similibus regulariter, et in pluribus verum est: sed tamen in aliquibus fallit, quod particulariter declarare non est praesentis operis.* Quamquam nec ab omni errore immundis fuit Alliacensis: docuit enim apud *Vonderhart* Tom. II. Hist. Conc. Constantiensis fol. 201., in scripto quodam Patribus Constantiensibus oblato A. 1414. non esse fide divina certum quod Christus infallibilitatem Conciliis, sive Episcopis congregatis promiserit; sed tantum toti Ecclesiae, prout illa continet etiam Presbyteros et Laicos non congregatos. Quod certe nullus Catholicorum nostris temporibus dicere audebit.

CDIX. *Objicitur VIII.* Authoritas Summorum Pontificum, *Julii I., Liberii, Zosimi, Bonifacii I., Coelestini, Leonis M., Gregorii M. etc.* Qui ultro fassi sunt, se Canonibus Conciliorum esse subiectos. II. Innocentius III. in Epist. ad Philippum Galliarum Regem, rogatus de vinculo conjugali dissolvendo, respondit: *Si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, praeter divinam offensam, et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan Ordinis et officii nostri periculum immineret: cum contra praemissam veritatis sententiam nostra non possit authoritas dispensare.* Ergo Pontifex agnovit majorem esse Concilii

potestatem. R. I. Hos Summos Pontifices vel loqui de Canonibus et statutis in fide, seu jure divino positivo et naturali fundatis, quibus derogare nec Conciliis Oecumenicis, nec Summis Pontificibus fas est, cum Papa sit quidem supra Concilia; non tamen supra Deum, supra fidem, aut sanam rationem: vel si loquantur de Canonibus ad Ecclesiae disciplinam spectantibus, id ita intelligendum est, quod illis derogare, aut in illis dispensare nequeant licite, nisi id ipsius Ecclesiae necessitas aut utilitas expetat. Sic dispensante *Coelestino I.* Proclus a Cyziceno ad CPolitanum Episcopatum translatus est. *Simplicius* Papa permisit contra Canones Nicaenos, Stephanum Episcopum Antiochenum, non Antiochiae, sed CPoli ordinari. S. Ignatius Patriarcha CPolitanus missis Romam Legatis laxari petiit ab Hadriano II. Synodi VIII. Oecumenicae Decreta, quibus a sacris dignitatibus prohibebantur, quos Photius ordinaverat. Ejusmodi dispensationes profecto ubique terrarum recipiuntur, immo nullibi frequentius petuntur, quam in Galliis. R. II. Quamvis Pontifices dixerint, sibi fas non esse Canones transgredi; non sequitur eos fassos esse, se illis inferiores esse; alias sequeretur etiam quemlibet Papam inferiorem esse; minorisque authoritatis, quam fuerint sui praedecessores: Summi namque Pontifices innumeris pene locis fassi sunt, se a Decretis suorum praedecessorum ne latum quidem unguem discedere posse. Itaque sicuti Principes a suis legibus, ita etiam Romani Pontifices a Canonibus obligantur quantum ad vim directivam, non quantum ad vim coactivam. Cum enim Principis exemplum in omnem partem valeat, fieri vix potest ab aliis legem observari, quam Princeps ludibrio habet, infringitque. Sic tamen Ponti-

fex quoad vim directivam a Canonibus obligatur, ut in iis dispensare, aut etiam penitus illos abrogare valeat, siquidem id necessitas, aut utilitas Ecclesiae, et salus fidelium exposcant. Ad II. N. C. Ibi agebatur de dispensatione aliqua, quae neque a Papa, neque a Concilio Oecumenico fieri poterat, eo quod juri divino adversaretur. Philippus quippe, abjecta Ingelburga legitima uxore sua, Mariam Ducis Meraniae filiam superinduxerat, et ab Innocentio expetebat, ut divortium istud, novumque matrimonium ratum haberet, qua in re contrarium votis suis Pontificem semper expertus est. Quod vero Innocentius, quamvis id etiam Concilii potestatem excedere sentiret, nihilominus scripserit, se id non posse absque generali deliberatione Concilii indulgere, id mansuetudini ac prudentiae Pontificis tribuendum est, qui pia Oeconomia uti voluit, ut sic nectens moras opportunam nancisceretur occasionem Regem ad officium revocandi.

CDX. *Objicitur IX.* Infirmitas argumenti ex Pontificiis Conciliorum confirmationibus petiti. *Confirmare* stylo Ecclesiastico nihil aliud est, quam consentire. Ergo ex eo, quod Romani Pontifices confirmarint Concilia Oecumenica, nullam exercuisse in illa superioritatem probantur. P. A. In Actis Conciliorum saepius legitur; a Synodis Provincialibus Decreta Romanorum Pontificum fuisse confirmata. Immo ipsi Pontifices non semel asseruerunt, confirmari a se Praedecessorum Pontificum Constitutiones. Ergo vox *confirmare* idem dicit ac consentire. R. N. A. Si enim confirmare idem esset ac consentire, non majorem haberet Romanus Pontifex authoritatem, quam novissimus Episcoporum: hic enim quando Synodalibus Decretis consentit, ea non secus ac

Papa confimaret. Confirmare itaque idem dicit hic, ac authoritate sua omnem vim ac robur tribuere; hocque consensum inter alicujus Episcopi, et confirmationem Romani Pontificis discrimen intercedit, quod quamvis Episcopus aliquis Synodalibus Constitutionibus et Decretis non consentiat, illa tamen, confirmatione Pontificia accedente, firma et inconcussa reddantur: Contra vero nullius illa sint authoritatis, si a Papa reprobentur, et totam Ecclesiam non obligent, quamvis facta sint in Concilio Generali, nisi a Pontifice confirmentur, a quo solo robur suum accipiunt. Ad *probat* C. A. N. C. Illud adversariis facile damus, confirmandi verbum ab Ecclesiasticis Scriptoribus latius interdum usurpari, ut ea nimirum quae satis jam firma sunt, confimari dicantur vel ab iis, qui nullam vim rebus tribuere possunt; adeoque non semper confirmationem intelligi, quae anthoritatem habeat, ut ostendunt allata in objectione exempla. At vero cum audimus S. Damasum, S. Leonem M. etc. negantes sine consensu suo quidquam in Conciliis ratum aut firmum esse: cum audimus S. Sixtum III. Illyrici Episcopos sua Epistola admonentem: *Nec his vos, fratres clarissimi, constitutis, quae praeter nostra praecepta Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, praeter id quidem, quod de fide: nobis consentientibus, judicavit*: cum denique novimus Romanos Pontifices alia probasse, alia autem reprobasse, quae in Conciliis fuerant constituta, liquidum est, confirmare hic idem dicere, ac robur addere, authoritatem impertire.

CDXI. *Dices*. In Actis Conciliorum Oecumenicorum, quae summam habent authoritatem, nihil invenire licet de Confirmatione facta a Romano Pontifice,

postquam Concilia illa absoluta fuerunt. Ergo gratis dicitur, ea robur obtinuisse a Papa. R. I. Quamvis non omnium Conciliorum confirmatio in Actis amplius appareat, potuit illa injuria temporum interiisse. *Nicaenam* I. Synodum confirmationem a *Sylvestro* petiisse testatur *Romana* Synodus Episcoporum XLII. sub *S. Felice* III. A. 485. in Epistola ad Clericos et Monachos Orientales data. *Chalcedonense* Concilium confirmavit *S. Leo M.* Epist. LXXXVII. *CPolitanum* II. *Vigilius* in Epistola ad Eutychium, *CPolitanum* III. *S. Leo II.* in Epist. ad Constantinum Pogonatum Imperatorem etc. R. II. N. C. Si Romani Pontificis sententia Conciliis praeivit, eamque Concilia secuta sunt, tantam Conciliis authoritatem atque firmitatem tribuit, ut quaecunque in illis definita et constituta sunt, ipsius Pontificis Summi auctoritate definita et constituta esse intelligantur. Ac si quando contigit, ut hujusmodi Conciliis confirmationem Pontifex Summus addiderit, haec non majorem ipsis contulit firmitatem; sed improbis hominibus dumtaxat calumniandi facultatem ademit, non secutas fuisse Synodus sententiam, quae praeiverat, Romani Pontificis. Qua sola de causa S. Leo Magnus adductus fuit, ut Chalcedonense Concilium confirmaret. *Ne per malignos*, inquit Epistola LXXXVII. *dubitabile videatur, utrum, quae in Synodo* (Chalcedonensi) *per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem.* Quamquam vero Pontifices Summi authoritate sua plerumque Conciliis praeiverint in eo, quod illa praescriberent: interdum tamen Conciliorum praescriptiones Apostolicae Sedis authoritas, quae non praeiverat, subsecuta est. Quod in Conciliis *Carthaginensi*, et *Milevitano II.* Anno 415. adversus Pelagianos

habitis, et in *Arausicano II.* Anno 529. adversus Semipelagianos coacto videre licet: quorum priora duo *S. Innocentius I,* postremum vero *Bonifacius II.* Rescriptis suis confirmarunt: ex quo summam Concilia illa consecuta sunt authoritatem. Nam Concilia, quibus Romani Pontificis non praeiverit sententia, haec omni firmitate caruisse certum est; donec per confirmationem consensus Romani Pontificis illis accederet. Cujus rei exemplum de V. Synodo petere possumus, quae non ante vim ullam habuit, quam Vigilius illam confirmaret.

CDXII. *Objicitur.* X. Achilles *Gersonii* et *Basileensium.* Totum est majus sua parte. Atqui Concilium est totum, et Pontifex est tantum pars Ecclesiae. Ergo Concilium est majus Pontifice. R. Argumentum hoc omnino infirmum est. Igitur D. M. Totum est majus sua parte, si de toto physico sit sermo, C. M. Si de toto morali, N. M. alias Rex inferior esset statibus congregatis, et parere cogeretur subditis suis: Uxor et Liberi Patrefamilias, milites suo Duce essent superiores: sicque rectus ordo subverteretur, et janua rebellionibus panderetur. Quin immo Ecclesia ipso Christo esset superior, cum Christus non totam Ecclesiam constituat, sed tantum sit invisibile Ecclesiae Caput. Praeterea N. etiam min. Concilium absque Romano Pontifice non repraesentat sufficienter totam Ecclesiam, non est totum aliquod, sed truncus sine capite, quod est pars praecipua et nobilissima.

CDXIII. *Objicitur XI.* Ratio. Ecclesiae male consuluisset Christus, si illi potestatem non dedisset, Pontificem inutilem et noxium in ordinem redigendi. II. Papa est minister Ecclesiae. Ergo est infra Concilium.

III. Papa accipit potestatem suam ab Ecclesia. Ergo Ecclesia potest illi hanc potestatem justis de causis adimere. IV. Papa deponi potest a Concilio ob haeresin. Ergo etiam ob alia gravia crimina. V. Jus naturae dictat, quod membra, quae totum corpus inficiunt, possint imputari: Atqui Papa flagitiose vivens est tale membrum, quod pravo suo exemplo totam Ecclesiam inficit. Ergo. VI. Papa potest se abdicare Papatu. Ergo etiam potest invitus deponi. R. ad I. Quamvis Pontifex inutilis et noxius magnum sit Ecclesiae malum, longe majus tamen Ecclesiae impenderet malum, si Episcopi, vel congregati in Conciliis, vel dispersi, deponere possent Romanum Pontificem: non enim tam grave incommodum a malo Pontifice metuendum est, quam a diuturno schismate, nullusque foret tam sanctus Pontifex, qui quaesito quocunque demum praetextu, se in ordinem redigendum esse non timeret. Neque propterea Pontificis vitia sine remedio sunt: rogari enim monerique potest non a Cardinalibus modo, aut Concilio, sed etiam a Christianis principibus laicis: quae omnia si non prosint, oratio adhibenda est, medium inter reliqua omnia efficacissimum. Profecto si superioritas Principum Reipublicae magis proficua est, quamvis ea per accidens aliqui abutantur: superioritas quoque Pontificum ad Ecclesiae pacem et tranquillitatem magis conducere merito censenda est. Ad II. N. A. Pontifex non Ecclesiae, sed Christi est minister, Pater, Pastor, et Doctor Ecclesiae. Ad III. N. A. Ecclesia non confert Electo potestatem Papalem; sed tantum personam designat, cui potestas immediate a Deo confertur. Ad IV. N. C. Propter haeresin Papa desineret esse membrum Ecclesiae. Ergo multo magis desineret

esse caput Ecclesiae: At vero propter alia peccata, quamvis forent haeresi graviora, charitatem quidem amitteret, at non desineret esse membrum et caput Ecclesiae. Ad V. D. M. Jus naturae dictat, quod membra possint amputari ad praecavendum majus malum, si sint minus principalia, sine quibus vita hominis prorogari potest, C. M. Membrum principale, quale est caput, N. M. Ad VI. N. C. Papa potest libere abdicare se jure suo, quod habet: contra vero Ecclesia, Pontifice inferior, non potest sibi hoc jus arrogare, quod a Deo non accepit.

CONTROVERSIA VII.

AN ROMANUS PONTIFEX IN MATERIA FIDEI ET MORUM, EX CATHEDRA LOQUENS, SE SOLO SIT INFALLIBILIS?

CDXIV.

Quemadmodum Catholici Doctores fere omnes, Gallis aliquot exceptis, Romanum Pontificem Conciliis Oecumenicis superiorem esse: ita etiam eundem ex Cathedra loquentem, in materia fidei et morum se solo infallibilem esse contendunt. Dixi I. *Ex Cathedra loquentem*. Quando nimirum tamquam Pastor et Caput Ecclesiae circa fidei et morum quaestiones totam Ecclesiam, seu universos Fideles alloquitur, eosque ad credendum propositum dogma obligat, aut contrarium sentientes anathemate percellit: ut persona enim privata, consentientibus etiam Pontificiae Infallibilitatis patronis, absolute errare potest, II. *In materia fidei et morum*. In

aliis enim quaestionibus, ut etiam puri facti non connexi cum jure, fallibilis est. III. *Se solo*, antequam etiam accedat Ecclesiae, sive totius, sive majori saltem ex parte consensus: ita ut quam primum fidelibus legitime ac sufficienter constiterit, dogma aliquod ad fidem pertinens, credendum proponi universae Ecclesiae a legitimo et indubitato Romano Pontifice, omnes teneantur illud credere, neminique liceat Decretum illud quocunque praetextu reijcere, aut expectare Ecclesiae consensum.

CDXV. Galli Pontificiae infallibilitatis hostes, in duas abeunt opiniones. I. est *Turnelii*, aliorumque, Decreto Cleri Gallicani A. 1682. magis conformis, qui docent Romani Pontificis Decreta non esse irreformabilia etiam quoad fidem et mores, nisi Ecclesiae consensus accesserit. Quamquam et ipsi circa sensum hujus conditionis non conveniunt; cum aliqui putent sufficere consensum notabilis partis, alii majoris partis Episcoporum. quidam denique requirant unanimitatem Episcoporum, si non omnino physicam, saltem moralem. II. est *Bossueti*, *Launoii*, aliorumque, qui putant, ut infallibile sit Romani Pontificis Decretum in causa fidei et morum, non requiri consensum Universalis Ecclesiae; sed sufficere consensum Romanae Ecclesiae, prouti haec particularis Ecclesia est: ac discrimen faciunt inter Sedem Apostolicam, et sedentem in ea: illam esse infallibilem contendunt; hunc vero fallibilem. At vero, quamvis discrimen aliquod inter Sedem Romanam, et Pontificem in ea sedentem dari concedamus, v. g. quod Romanus Pontifex moriatur, Sedes autem Romana semper vigeat: quod diversa sint merita personalia Pontificum, eadem tamen jura Romanae Sedis, juxta illud

S. Leonis Epist. LIII. ad Anatolium: *Aliud sunt Sedes, aliud Praesidentes etc.* Quod Romana Ecclesia semper sit Deo accepta et chara, non autem hoc ipso Romanus Pontifex ut privata persona etc.; in hac tamen materia, ubi de infallibilitate activa judicii et doctrinae loquimur, distinctionem hanc absurdam esse contendimus I. Quia cum ad Sedem Apostolicam accedimus, fidei oracula postulaturi, non singulos Romanae Ecclesiae fideles interrogamus, nec Ecclesiam ipsam Romanam in Concilium cogimus, sed Pontificis Maximi judicium quaerimus. II. Quia solus Romanus Episcopus, non vero Romanus Populus, aut Collegium Cardinalium, docet ea quae ad fidem pertinent: nec potestas judicandi ac pascendi in Populo Romano, aut Collegio Cardinalium est, sed in Romano Pastore, immediato Christi Vicario. Hinc Concilia non ab alio confirmationem petunt, quam a Romano Pontifice. III. Quia promissiones Christi Petro ejusque Successoribus factae, non ad Ecclesiam Romae existentem referendae sunt, sed ad ipsum Petrum ejusque Successores; cum Christus non dixerit, se fundaturum esse Ecclesiam suam supra Ecclesiam Romanam, sed supra Petrum: Neque Christus pro Romana Ecclesia, ut separata a Capite suo, rogavit ne fides ejus deficeret, sed pro Petro, ejusque Successoribus. IV. Nulla dari potest ratio, nullumque assignari potest fundamentum hocce privilegium infallibilitatis Romanae potius Ecclesiae concedendi; quam ipsis Romanis Pontificibus: multoque conformius sapientissimae dispositioni divinae providentiae videtur, quod infallibilitas haec in Capite, Magistro ac Pastore potius resideat, quam in reliquis membris Ecclesiae; cum neque membris Caput, neque discipulis docere Magistrum conveniat.

CDXVI. *Conclusio*. Romanus Pontifex, ex Cathedra loquens, in quaestionibus fidei et morum se solo est infallibilis, etiam antequam accedat consensus Ecclesiae. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Lucae Cap. XXII. ait Christus ad Petrum: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Ex quo loco sic argumentor. Illi censendi sunt in quaestionibus fidei et morum infallibiles, pro quibus Christus oravit, ne eorum fides deficeret; cum Christus pro reverentia sua semper fuerit exauditus. Atqui Christus pro Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus oravit, ne eorum fides deficeret, jussitque eos fratres suos confirmare. Ergo. Major est certa. Minor propositio probatur authoritate Conciliorum, et Sanctorum Patrum a nobis inferius adducenda, qui docent Christum non pro Petro tantum, sed etiam pro illius Successoribus Romanis Pontificibus orasse, ne ipsorum fides deficeret. Et profecto ipsa sana ratio huic explicationi suffragatur. Christus enim oravit pro Petro in bonum Ecclesiae. Ergo cum B. Petrus immortalis non fuerit, et bonum Ecclesiae exigat, ut infallibilem habeat in materia fidei et morum authoritatem, rogavit etiam pro Successoribus Petri.

CDXVII. Neque dicas per Petrum intelligi Ecclesiam, aut Christum orasse, ne deficiat fides Romani Pontificis, si haec conformis fuerit doctrinae a Christo traditae, aut si accesserit consensus Ecclesiae. Nam I. Christus dixit: *Simon, Simon --- rogavi pro te et tu aliquando etc.* Quae verba non ad Ecclesiam, sed ad solum Petrum ejusque Successores referenda esse

nemo non videt. II. Nullum hic conditionis alicujus vestigium extat. Ergo haec conditio gratis fingitur; neque peculiare aliquid Petro Christus promisisset, cum quilibet fidelis etiam laicus, immo etiam Gentilis quilibet vel Turca tali modo sit infallibilis, si doctrinam tradat doctrinae Christi conformem, aut talem, cui accedat consensus Universalis Ecclesiae. *Confirm.* Pro illo rogavit Christus, ne ejus fides deficeret, cui dictum est, *Confirma fratres tuos.* Atqui id, etiam juxta Gallos Theologos, non dictum fuit Ecclesiae quae filios habet, non fratres; sed B. Petro ejusque Successoribus, qui ex officio tenentur confirmare fratres suos, id est, Episcopos. Ergo. Sane permirum mihi videtur, quod Galli Theologi ex hoc et posteriori textu Primatum Romani Pontificis evincere conentur; ejus vero infallibilitatem ex illis non agnoscant.

CDXVIII. Alter locus habetur Matthaei Cap. XVI. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ex quibus sic argumentor. Christus constituit B. Petrum ejusque Successores Romanos Pontifices tamquam petram et fundamentum totius Ecclesiae. Ergo Romani Pontifices Successores Petri in quaestionibus fidei et morum sunt infallibiles. Antecedens est certum, quia ex hoc ipso loco Galli Primatum Papae evincunt. P. C. Ecclesia idcirco infallibilis a Christo pronuntiatur, quia imposita est fundamentó et Petrae infallibili, nimirum Romanis Pontificibus, adversus quos portae inferi nunquam praevalebunt. Ergo fundamentum debet esse infallibile; alias ruente fundamento subrueretur etiam domus eidem superstructa, quae a fundamento suo redditur stabilis.

Neque dicas solidum argumentum formari non posse ex hoc textu, quia diverso modo a Patribus, ac praecipue a S. Augustino exponitur, qui nomine Petrae ipsum Christum intelligit. Praeterquam enim, quod aliae interpretationes recedant a sensu proprio et litterali (Vide dicta Num. CCCVIII. CCCIX. CCCX.) nunquam excludunt Patres nostram interpretationem. Et quemadmodum non obstante diversa Patrum interpretatione, etiam a Gallis Primatus Petri et Romanorum Pontificum probatur: ita etiam, ea non obstante, Romanorum Pontificum infallibilitas ex iisdem Scripturarum locis evincitur; non enim magis ad Petri, ejusque Successorum personam referri videntur ea verba pro Primatu, quam pro ipsorum infallibilitate.

CDXIX. Prob. II. ex Conciliis Oecumenicis, quae infallibilitatem Romani Pontificis et agnoverunt, et depraedicarunt. In Concilio Ephesino Act. III. Philippus Presbyter, et Apostolicae Sedis Legatus, nemine contradicente, suae Legationis mandatum in hunc modum exposuit, qui indicat authoritatem et firmitatem in fide a B. Petro ad Successorem transmissam: *Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et Caput, fideique columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore claves Regni accepit, solvendique ac legandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, et semper in suis Successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor, et locum tenens Sanctus Beatissimusque Papa noster Coelestinus Episcopus nos ipsius praesentiam implentes ad hanc Sanctam Syno-*

dum misit. Atqui si B. Petrus judicium exercet in suis Successoribus, judicium illud certe nequit esse errori obnoxium.

CDXX. *S. Leo M. Chalcedonensibus* certam praescripsit fidei regulam, suam nimirum ad Flavianum Epistolam (vide Num. CCCLXXIII.) quam Patres in damnanda Eutychetis haeresi sequerentur. Lecta haec fuit Actione II, acclamatumque a Patribus: *Haec est Patrum fides: haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credant. Anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem locutus est.* Neque id ob eruditionem Sancti Leonis dictum est a Patribus, sed quia Successor erat B. Petri, ut non obscure insinuat Synodus in sua ad S. Leonem Epistola, in qua ait: *Quam* (fidem) *ex praecepto Legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres.* Cum Actione IV. concinnata fuisset a Concilii Patribus formula fidei, qua Eutychiana perfidia non penitus profligari videbatur, eo quod in illa omissa ac dissimulata fuerint verba S. Leonis, quibus dicebatur, *Salvam utriusque naturae proprietatem in unam coivisse personam, inconvertibiliter, inseparabiliter et inconfuse*, Legati Sedis Apostolicae Act. V. petierunt verba illa definitioni fidei inseri, discessuros se minati, nisi id fieret: quod etiam tandem evicerunt.

CDXXI. *S. Agatho CPolitani III.* Concilii Patribus praecepit, ne aliter in fidei causa pronuntient, quam ipse suis Legatis praeceperat. (Vide Num. CCCLXXIV.) Idem in Epist. ad Imperatorem Constantinum Pogonatum scripsit: *Cujus* (B. Petri) *annitente praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia nun-*

quam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus authoritatum utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Christi Ecclesia, et Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt. – – – Haec est verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit, haec spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia. Quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis pravitatibus depravata succubuit. Sed ut ab exordio fidei Christianae percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fides tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: Petre, Petre, inquiens, Satanas expetivit vos; ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus ac Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meae exiguitatis Praedecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. De hac ipsa S. Agathonis Epistola pronuntiarunt Patres Synodi VI. in Sermone acclamatorio ad Imperatorem: *Confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.* Et in Epistola Synodica ad Agathonem scribunt: *Itaque tibi, ut primae Sedis Antistiti, universalis Ecclesiae capiti, quid agendum sit, relinquimus,*

stanti super firmam fidei petram, acquiescentes verae Confessionis litteris; a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divinitus perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus.

CDXXII. In *Nicaeno II.* Actione II. lectae, magnoque applausu a Synodo exceptae sunt Epistolae S. Hadriani I. Rom. Pontificis ad Imperatorem, et Tarasium Patriarcham CPolitanum. In prima ad Imperatorem Pontifex haec scribit: *Iste itaque* (B. Petrus) *tam praecelso praelatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi. Beatam confessionem beatitudo secuta est praemiorum, cujus praedicatione Sancta Universalis illustrata est Ecclesia, et ex ea caeterae Dei Ecclesiae fidei documenta sumpserunt. Nam ipse Princeps Apostolorum B. Petrus, qui Apostolicae Sedi primitus praesedit, sui Apostolatus Principatum, ac Pastoralis curae, qui in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit; quibus et authoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit, ac tradidit divino jussu Successoribus Pontificibus.* At quis neget, B. Petro infallibilem authoritatis potestatem a Christo fuisse traditam? Eadem Actione II. Joannes Episcopus Tauromeniae dixit: *Cum veluti divinus Orthodoxiae terminus sint litterae, quae ab Hadriano Papa senioris Romae ad pios Imperatores, nec non ad Tarasium universalem Patriarcham nostrum missae sunt, ita profiteor.*

CDXXIII. In *CPolitano IV.* Actione II. prolatus est a Legatis Sedis Apostolicae libellus Hadriani

II, cui omnes Episcopi, qui ad Synodum admitti vellent, subscribere debebant. In eo dicitur: *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Catholica religio, et sancta celebrata doctrina.* Ex quo patet, non tantum Sedem Apostolicam lapsam nunquam fuisse, sed nec labi posse in errorem; quia in dicto libello Romanae Sedis infallibilitas fundatur in Christi promissione, *Tu es Petrus etc.* Absurdum autem foret dicere, eam non ad omnia tempora extendi, sed unum Romanum Pontificem illa potius comprehendi quam alterum. Actione III. lecta et approbata fuit Ignatii CPolitani Patriarchae Epistola ad Nicolaum in qua dicitur: *Hujusmodi beatas voces* (Tu es Petrus, et super hanc etc.) *non soli Apostolorum Principi haereditaria transcripsit, et assignavit, sed per ipsum ad omnes Romanae Sedis Pontifices, illius Successores transmisit. Hinc retro olimque semper, cum haereses et scelera pullularent, noxias illas herbas et zizania Apostolicae Sedis vestrae decessores exstirparunt: et nunc Tua Beatitudo digne constituta, accepta a Christo potestate, veritatis hostes judit.*

CDXXIV. In *Lugdunensi II.* lecta est, et approbata a Patribus professio fidei Graecorum, in qua Romanae Ecclesiae infallibilitas asseritur. (Vide Num. CCCLXXVI.) Denique cum Galli magni faciant Constantiense, audienda est censura adversus tres primas Wickleffi propositiones a plurimis et doctissimis Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus et Theologis, quibus ipsa Synodus negotium illud demandaverat, lata, et a

Concilio confirmata in VIII. Sessione: *Impossibile est, quod talis Sedes, et talis Romana Ecclesia aliquid determinet et teneat pro fide Catholica et recta, quod non esset fides recta. Alias in tali casu Sedes illa Apostolica, et Romana Ecclesia esset haeretica, et erronea, tenens tenaciter non fidem pro fide, aut fidem pro non fide. Quomodo ergo ipsa esset Mater et Caput omnium Ecclesiarum, in omnibus tanquam Magistra sequenda, ad quam in dubiis et arduis est recurrendum, quando circa fidem in aliquo dubitatur? Quomodo ipsa non habebit maculam, neque rugam? Quomodo ejus authoritati maximae debet cedere usus, seu consuetudo? Quomodo ei post Deum maxime erit obediendum, ideo quia ipsa est Mater et caput omnium Ecclesiarum; contra quam si quis derogando loquitur, haereticus reputatur? Quomodo ipsa valebit omnes judicare, de ea autem nullus judicare permittitur? Quomodo Christianus, qui ei obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurret?* Longe plura ex eadem censura afferri possent. Sed prolixior cum sit, non vacat totam describere. Quare aliunde, quam a Concilio Constantiensi, Pontificiae infallibilitatis hostes subsidium ac fulcimentum quaerant necesse est.

CDXXV. Prob. III. Authoritate Summorum Pontificum, in quos ob vitae sanctitatem et doctrinam nulla prudens suspicio cadere potest potestatis aut dignitatis sibi temere, falso, ac contra conscientiam arrogatae. S. Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Milevitani, inter Augustinianas CLXXXII. scribit: *Diligenter et congrue Apostolici consulitis honoris arcana; honoris inquam illius, quem praeter illa, quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis*

rebus quae sit tenenda sententia, antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse servatam – – Scientes quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. S. Sixtus III. Epist. ad Joannem Antiochenum: *Haec sanctitatem tuam volumus praedicare, quae scribis: expertus es negotii praesentis eventu, quid sit sentire nobiscum. B. Petrus Apostolus in Successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius velit se separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister edocuit? Non hunc auditus per alterum, non sermo lectus instruxit; non doctus est cum aliis ore Doctoris; non Scripturae, non Scriptorum passus est quaestionem; absolutam et simplicem fidem, et quae controversiam non haberet, accepit.* S. Leo Magnus Serm. III. de Assumptione sua ad Pontificatum. *Specialis cura Petri a Domino suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur: et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis caeteris conferatur. – – – Gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est, Et tu*

confirma fratres tuos. Et cui post Resurrectionem Dominus ad trinam aeterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit, Pasce oves meas. Quod nunc quoque procul dubio facit, et mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans. S. Simplicius Papa Epist. ad Zenonem Imp. *Perstat in Successoribus suis haec et eadem Apostolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.* S. Gelasius Epist. ad Anastasium Imp. *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuidam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus?* S. Gregorius M. Lib. IV. Epist. LII. ad omnes Galliarum Episcopos: *Siquam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, et pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicae indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua studeat ad nostram perducere notionem: quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* S. Leo IX. in Epistola ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum scribit: *Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem* (Et ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua) *illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?*

Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia tam per eumdem Petrum, quam per suos Successores convicta atque expugnata sint omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus non defecit, neque in finem deficiet, sunt confirmata? Innocentius III. Serm. II. in Conseeratione Pontificis Maximi ait: *Nisi ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare? quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere, Domino protestante; Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Rogavit, et impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo fides Apostolicae Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper et illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum.* Haec et plura alia testimonia ipsi Romani Pontifices protulerunt in conspectu totius Ecclesiae, atque continentur in Epistolis ad varias Ecclesias, immo quandoque ad Oecumenica Concilia directis, quibus nemo unquam contradixit ita ut perperam nunc agere videantur, qui eo argumento, quod ibi Summi Pontifices propriam causam tueantur, hisce monumentis authoritatem tota retro antiquitate stabilitam detrahere adlaborant. Quid ni enim pari ratione Synodi Constantiensis authoritatem quis recuset, quod cum se Pontifice superiorem edixit, non minus in propria causa locuta fuisse perhibeatur? Et profecto si antiqua Imperatorum, Principum et Episcoporum testimonia recipi oportet, cum monumentis publicis jura sua expresserunt, nemoque inventus est, qui ea in controversiam adduceret, cur non itidem Summorum Pontificum testimonia acceptabimus, quae

circa sua jura et privilegia publice et palam protulerunt, et quibus nemo se opponere visus est?

CDXXVI. Prob. IV. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LV. ad Cornelium Papam scribit: *Navigare audent*, (Afri Schismatici) *et ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis et profanis litteras ferre: nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et Epist. XLV. ad eundem S. Cornelium, Romanam Ecclesiam vocat *Ecclesiae Catholicae radicem ac matricem*, atque Episcopi Romani communicationem *Ecclesiae Catholicae unitatem* appellat. Atqui haec dici nequeunt ab eo qui Romanum Pontificem se solo fallibilem esse statuit in causa fidei. Si enim Romanus Pontifex in errorem fidei contrarium labi posset, atque etiam actu laberetur, desineret esse Ecclesiasticae illius unionis centrum, ad quod caeterae Ecclesiae, velut totidem lineae ferri debent. Et si Papa errorem eis proponeret credendum, utique ab eo recedere tenerentur, sicque a sententia Papae secedendo, fidem Catholicam retinerent, quod certe repugnat Cypriano, qui pro omni tempore Sedem Apostolicam vult esse radicem, matricem, et centrum Ecclesiae Catholicae totius, idemque esse communicare cum Episcopo Romano, ac cum Ecclesia Catholica. S. Ambrosius Lib. IV. de Fide ad Gratianum, agens de Romano Pontifice potissimum, Cap. III. scribit: *Ergo cui propria authoritate regnum dabat,* (Christus Petro) *hujus fidem firmare non poterat, quem cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?* S. Hieronymus Lib. III. Apologiae contra Rufinum. *Scito Romanam fidem Apostolico ore laudatam ejusmodi prae-*

stigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam semel praedicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari. Idem Epistola XIV. alias LVII. ad S. Damasum Papam, Pontificiam infallibilitatem aperte adstruit: *Ideo mihi Cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam: inde nunc animae meae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. -- Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas. -- Vos estis lux mundi, vos sal terrae. -- Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Siquis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio -- Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. -- Quam ob rem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur authoritas.* S. Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem. *In omnibus hortamur te frater honorabilis, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae Civitatis praescripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* S. Sophronius Jerosolymitanus Patriarcha alloquens Stephanum Dorensem Episcopum, ut habetur Secret. II., Concilii Lateranensis sub. S. Martino Papa, ait: *Quantocyus de finibus terrae ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi Orthodoxorum dogma-*

tum fundamenta existunt, pervenias: non semel, non bis, sed multo saepius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt, et non quiescas, instantius expetens, atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia quae in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, et noviter introductorum dogmatum (a Monothelitis) *perfectam faciunt secundum Canones destructionem.* At quomodo Pontifex perfecte destruere poterit haeresin, nisi sit infallibilis?

CDXXVII. Neque hic praetereundus est nobis *S. Augustinus*. Quamvis A. 416. Cartaginensis LXVIII. Episcoporum, et Milevitana Synodus, Episcoporum plus LX. Pelagianam haeresin damnassent, ipse S. Augustinus plures jam libros contra illam scripsisset, adeoque minime ambigeret, quin haeretica dogmata in Pelagiana doctrina continerentur: tamen dum a S. Innocentio I. litterae expectarentur, quibus Carthaginensi et Milevitano Conciliis hac super haeresi responderet, eorumque sententiam probaret, S. Augustinus circa finem Anni 416. scribit Epistola CLXXXVIII. alias XCIV. ad Hilarium. *Nova quaedam haeresis inimica gratiae Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est.* At vero posteaquam S. Innocentius Papa Romae die XXVII. Januarii A. 417. Pelagianam haeresin damnavit ejusque Rescripta in Africam perlata sunt, stylum mutavit Augustinus, neque jam dixit haeresin illam nondum ab Ecclesia separatam esse evidenter, sed causam esse finitam. Sermone enim CXXXI. alias II. de verbis Apostoli, die XXIII. Septembris A. 417. ita populum suum allocutus est: *De hac causa*

duo Concilia (Carthaginense et Milevitanam) *missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Reponunt adversarii, Augustinum pronuntiasse, post Rescripta Innocentii Pelagianam causam esse finitam, quia certus erat de consensu universae Ecclesiae, sin minus expresso, saltem tacito, qui jam accesserat Innocentii Rescriptis. At merum hoc est commentum, de quo Augustinus ne cogitavit quidem. Si enim ex octo mensium spatio, qui ab Innocentii Rescriptis ad habitam ab Augustino Sermonem elapsi sunt, aliquot demas, quibus Innocentii Rescripta in Africam perlata, ac dein promulgata sunt, non satis superesse potuit temporis, quo S. Augustinus certior fieret, utrum Rescripta S. Innocentii a caeteris Ecclesiis recepta fuissent, praecipue quia tunc temporis et Ecclesia latissime erat diffusa, et itinera omnia terra marique, ob negligentiam et imperitiam hominum, erant impeditissima. Neque obest, quod S. Doctor Epist. CXC. alias CLVII. ad Optatum scribat, Coelestium et Pelagium toto orbe Christiano damnatos fuisse. Nam id primum anno sequente 418. contigit, quo Augustinus Epistolam illam conscripsit, quando nempe Zosimus Innocentii Successor, deprehensa Coelestii et Pelagii perfidia, sententiam suam adversus illos latam ad omnes Episcopos transmisit, ut illi subscriberent: non quod Episcoporum haec subscriptio robur adderet judicio Sedis Apostolicae, cum, teste Augustino, Pelagii causa post Rescriptum Innocentianum finita jam fuerit; sed ut omnibus legitime constaret de damnatione Pelagii a Sede Apostolica facta, atque ut remotis Episcopis subscribere detrectantibus, periculum hujus haeresis ab universa Ecclesia propulsaretur.

CDXXVIII. Prob. V. Authoritate *Ecclesiae Gallicanae*, quae ad tempora usque Pisani et Constantiensis Concilii constanter docuit, irreformabile esse solius Romani Pontificis Decretum in causa fidei et morum. *S. Irenaeus* Lugdunensis in Gallis Episcopus, vir Apostolicis temporibus vicinus, et S. Polycarpi discipulus, Lib. III. adv. Haer. Cap. III. ad statuenda contra haereticos fidei dogmata ait sufficere solam Ecclesiae Romanae traditionem. *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae, et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum provenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt.* Verum si Apostolicae Sedis judicium non est irreformabile, quomodo indicata ejus traditione, confundentur omnes haeretici? Si Romanorum Pontificum doctrina ab Apostolis certo atque infallibiliter non descendit, ita ut B. Petrus per illos loqui censendus sit, successio illa quid prodest, aut cur tam sollicite S. Irenaeus texit seriem successionis in Episcopatu Romano? Pergit dein S. Doctor: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.* Ubi aperte firmitas in retinenda Apostolica traditione, adeoque inerrantia in

definiendis fidei quaestionibus Romanae Ecclesiae asseritur, ac ratio assignatur, cur ad eam omnes Ecclesiae recurrere debeant. Quid enim caeteras Ecclesias juvaret, in fidei aut Religionis Controversiis Romanam consuluisse Sedem, cujus tamen responsum errori obnoxium scirent, ac proinde de cujus firmitate et veritate omnino dubitare possent?

CDXXIX. *S. Avitus* Viennensis in Galliis Episcopus A. 517. non suo solum, sed omnium Episcoporum Galliae nomine professus est Hormisdae Papae, se ejus sententiae in materia fidei adhaesurum. *Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliae devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam.* Ravennius, aliique Episcopi Gallicani in Epistola Synodica ad S. Leonem Magnum, quae habetur post Epistolam LI. S. Leonis, pluribus testati sunt, quanti facerent ejus in fidei quaestionibus sententiam, etiam antequam Concilii Chalcedonensis consensus accessisset; *Quae Apostolatus vestri scripta ita, ut Symbolum fidei, quisquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, et tenaci, quo ad confundendos Haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit --- Doctrinae post Deum vestrae debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat. Debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et Apostolicae institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat* Hincmarus Rhemensis, Gallis utique non suspectus, in Praefat. opusculi de divortio Lotharii Regiis, et Theutbergae Reginae: *De omnibus dubiis vel obscuris, quae ad rectae fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater*

et Magistra, nutrix et doctrix, est consulenda, et ejus salubria monita sunt tenenda, maxime ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus praedicationem omnes in fide genuit, et Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam praeordinavit aeternam. S. Ivo Carnotensis Epist. VIII. ad Richerium Senonensem: *Dicitis etiam in litteris, me Sedem invasisse Gaufridi Coepiscopi vestri, in quo manifeste contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum, quod illa aedificat, vos, quantum in vobis est, destruitis, et quod illa destruxit, vos aedificare contenditis. Hujus judiciis et constitutionibus obviare plane est haereticae pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat, Haereticum esse constat, qui Romanae Ecclesiae non concordat.*

CDXXX. *S. Bernardus* Gallicanae, immo universae Ecclesiae lumen Epistola CXC. nomine omnium Episcoporum Galliae ita scribit ad Innocentium II. in causa Abaelardi. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, et praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Haec quippe praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est; Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Successore Petri exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hoc testimonium tam luculentum est, ut Galli, cum nulla solida responsione illud videant enervari posse, dicant solum S. Bernardum saeculo XII. Pontificiam infallibilitatem in Galliis docuisse. Verum quam falso id asseratur, tum ex aliis, tum etiam ex eo evincitur, quod nomine omnium Galliae Episcoporum Epistolam illam

scripserit, ac proin omnino inverisimile sit contineri in ea doctrinam communissimae Gallorum tunc adversantem, neque id a Gallicanis Episcopis fuisse observatum. Saeculo XIV. Natio Gallicana in scripto quodam adversus Bonifacium VIII., Clementi V. Papae oblato, haec habet: *Non quaeritur de haeresi Papae quondam ut Papae, sed ut privatae personae, nec ut Papa potuit esse haereticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa ut Papa potuit esse haereticus. Et ideo, cum de ejus mortui haeresi quaeritur, non habet congregari Concilium Generale. Estis enim vos Pater Sanctissime Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiae repraesentans, qui claves regni coelorum habetis: nec congregatum totum Concilium Generale sine vobis, et nisi per vos posset cognoscere.* Haec verba, nomine totius nationis prolata, tam perspicua ac luculenta sunt, ut nihil magis. Anno 1324, ut in Historia Universitatis Parisiensis ad eumdem annum refertur, Stephanus Parisiensis Episcopus de consensu Decani et Capituli suae Cathedralis, Guilielmi Archiepiscopi Viennensis, XXIII. in Theologia Doctorum, et XXXIX. Facultatis Parisiensis Baccalaureorum, de Romana Sede haec statuit. *Nos attendentes cum eis* (Decano, Capitulo etc.) *quod Sacrosancta Romana Ecclesia, fidelium omnium Mater et Magistra, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundatur, ad quam velut ad universalem regulam Catholicae veritatis pertinet approbatio doctrinarum, et reprobatio, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum etc.*

CDXXXI. Eadem haec in Gallicana Ecclesia perseveravit doctrina etiam post tempora Pisani et Constantiensis Concilii. A. 1579. Conventus Cleri Gallicani

Meloduni habitus Constitutionum suarum Articulo I., qui est de fidei Catholicae professione, haec habet: *Operam dabunt ii, quibus haec cura demandata est, Episcopi scilicet, et eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis, tam Dioecesanis quam Provincialibus, omnes et singuli tum Clerici tum Laici amplectantur, et aperta professione eam fidem pronuntient, quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, columna, ac firmamentum veritatis profitetur et colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam.* A. 1612. a Provinciarum Senonensis et Aquensis Episcopis damnatus est *Richerii* Universitatis Parisiensis Syndici liber de Ecclesiastica et politica potestate. Ipse Richerius authoritate Regia et decreto Facultatis depositus est a Syndacatu, atque etiam Regis jussu, urgente Cardinale Richeleo, libellum suum retractare atque Sedis Apostolicae infallibilitatem agnoscere coactus fuit. Sic autem ipsius declaratio: *Protestor et declaro me semper voluisse, atque etiamnum velle, et meipsum, et libellum praefatum, et quascunque ejus propositiones earumque interpretationem, omnemque meam doctrinam Ecclesiae Catholicae Romanae, et Sanctae Sedis Apostolicae judicio subjicere, quam Matrem et Magistram Ecclesiarum, et infallibilem veritatis judicem agnosco.* Richerii librum ex Gallis confutarunt *Andreas Duvallius* Doctor Sorbonicus, *Dionysius Petavius*, et *Petrus Camus* Episcopus Bellicensis qui totus in eo est, ut supremam et infallibilem Romani Pontificis authoritatem tueatur. A. 1625. Clerus Gallicanus congregatus, in Monitis ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae Artic. CXXXVII. haec de authoritate Summi Pontificis tradit: *Venerabuntur etiam Sanctum Patrem nostrum Papam, Ec-*

clesiae universalis Caput visibile, Dei in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, et Pariarcham, denique B. Petri Successorem, a quo Apostolatus et Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam, illi claves coeli tradens, cum infallibilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus Successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus. Equidem Monita haec postmodum fuere suppressa ob defectus aliquos, quorum *Cardinalis Rupifucaldus* in libello suo meminit, praecipue autem quod in his monitis continerentur quaedam, quae supremae Romanorum Pontificum in Ecclesiam authoritati derogare videbantur, utpote quibus soli Synodo provinciali Episcoporum causae ultimato dijudicandae relinquebantur. A. 1651. Gallicani Episcopi LXXXV. ad Innocentium X. scripsere. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiae mos est; quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. — — Experta est nuper Beatitudo Vestra, quantum Apostolicae Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit authoritas. Continuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti et mare obedierunt.* Agmen claudat Gallicani Cleri illustrissimum sydus, *Franciscus Fenelonius Salignac de la Motte*, Archiepiscopus Cameracensis. Hic posteaquam cognovit librum suum *de Placitis Sanctorum* ab Innocentio XII. Anno 1699. proscriptum fuisse, judicio Pontificis absolute pronoque animo acquievit continuo: ipse librum suum edicto publico damnavit, neque unquam obtendit, ante Ecclesiae consensum reformabile esse Romani Pontificis judicium. Qua singulari animi modestia aeternum nomen in Ecclesia fuit promeritus.

CDXXXII. Probatur VI. Ex perpetuo usu et praxi Ecclesiae. Ex universae Historiae Ecclesiasticae serie constat, Ecclesias omnes nobiliores, omnibus temporibus, quotiescumque novae fidei controversiae exortae sunt, ad Sedem Apostolicam semper confugisse, et ejus responsa, tamquam Oracula coelo delapsa, reverenter suscepisse, ut nominatim de Gallicana Ecclesia testatur S. Leo M. Epist. LXXXIX. ad Episcopos Provinciae Viennensis. *Nobiscum itaque vestra fraternitas agnoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestrae etiam Provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam.* Absurdum autem foret dicere, Romanum Pontificem tamquam juris peritum aut Doctorem privatum fuisse consultum, cujus sententiae stare, vel ulteriori examini subjicere liberum esset consulentibus. Praeterea vix haeresis ostendi potest, quam Romani Pontifices vel soli, vel saltem primi non praedamnaverint. Aliquas ex multis enumerabimus. Saeculo I. Simonem Magum damnavit *S. Petrus*. Turbas Corinthi exortas Epistola sua composuit *S. Clemens*. Saec. II. Valentinum, Cerdonem, Marcionem damnavit *S. Hyginus*, teste S. Irenaeo Lib. III. adv. Haer. Cap. IV. Montanum, et Tertullianum *S. Zephyrinus*. Quartodecimanos, et Theodotum Byzantinum *S. Victor*. Saeculo III. Novatianos *S. Cornelius*. Rebaptizantes anathematis comminatione terruit *S. Stephanus*. Saeculo IV, Apollinarem, Timotheum et Vitalem proscripsit *S. Damasus*, Jovinianum *S. Siricius*. Saeculo V. *S. Anastasius I.* Rufinum et Origenem, *S. Innocentius I.* et *S. Zosimus* Pelagianos, *S. Coelestinus* Nestorium, *S. Leo M.* Eutychetem. Acacium, Petrum Moggum, et Fullonem *S. Felix III.* Saeculo VI. Anthimum *S. Agapetus*. Sae-

culo VII. Monothelitas *S. Theodorus*, *S. Martinus*, et *S. Agatho*. Saeculo VIII. Iconoclastas *S. Gregorius II.* et *S. Hadrianus I.* Saeculo IX. *S. Nicolaus I.*, et *Hadrianus II.* Photium. Saec. XI. *S. Leo IX.* Michaelem Cerularium. *S. Leo IX.* et *S. Gregorius VII.* Berengarium. Saec. XII. *Innocentius II.* Abaelardum. *Eugenius III.* Gilbertum Porretanum. Saec. XV. *Sixtus IV.* Petrum de Osma. Saeculo XVI. *Leo X.* Lutherum. Michaelis Baji doctrinam *S. Pius V.*, et *Gregorius XIII.* Saeculo XVII. Jansenii Iprensis Augustinum *Urbanus VIII. Innocentius X.*, *Alexander VII.* Michaelem Molinos *Innocentius XI.* Saeculo XVIII., Paschasium Quesnellum *Clemens XI.* celeberrima Constitutione *Unigenitus*.

CDXXXIII. Quamvis autem variae haereses fuerint etiam a variis Episcopis condemnatae, haec tamen Episcoporum sententia non erat dogmatica, et irreformabilis, sed doctrinalis tantum. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Coelestinum Papam scribit: *Quamvis haec ita se habeant, non prius tamen Nestorii communionem confidenter deserere ausi fuimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias, declarare.* At vero judicium Romani Pontificis et Patres, et Canones dicunt esse ultimatum. Hinc S. Innocentius I. Epistola ad Patres Concilii Carthaginensis scribit. *Quidquid quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur non prius Patres ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis* (Romanae) *notitiam perveniret, ut tota hujus authoritate, justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur.* Hinc S. Augustinus Serm. CXXXI. alias II. de verbis Apostoli, ait: *De hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: Causa finita est; utinam aliquando finiatur error.*

CDXXXIV. Reponunt adversarii, lubricum atque infirmum esse hoc argumenti genus ex eo capite, quia Catholici aeque ac Haeretici non semper Romani Pontificis judicio acquieverunt, ita ut causa dici potuerit finita. R. Catholicos semper acquievisse judicio Romani Pontificis in causa, quae revera ad fidem et mores pertinebat, aut saltem ab ipsis pertinere putabatur. Quod si aliquando refragati sunt, id factum fuit in re ad meram disciplinam pertinente, qualis erat temporibus S. Victoris, nempe ad finem saeculi II., causa Polycratis Ephesini: et Asiae minoris Episcoporum: vel saltem in re, quam ipsi per errorem non putabant ad fidei negotium pertinere, eoquod nondum satis eliquata esset, atque a Pontifice clare decisa, tamquam fide divina credenda; qualis erat saeculo III. causa Cypriani et Firmiliani. Haereticorum pervicacia in repudiando Sedis Apostolicae judicio nihil obest Pontificum inerrantiae, nisi adversarii velint Conciliorum etiam Oecumenicorum infallibilem authoritatem subrui. Constat enim ex Ecclesiastica Historia, vix ullam haeresin Conciliorum definitionibus ita protritam fuisse, ut caput amplius erigere ausa non fuerit. Nicaenum Concilium Arianam haeresin damnavit, CPolitanum Macedonianam, Ephesinum Nestorianam, Chalcedonense Eutychianam etc. Nullus tamen inde finis controversiarum secutus est; sed aeque ac prius haereses suos habuere defensores, immo pleraeque post Conciliorum damnationem majora adhuc sumpsere incrementa, ita quidem, ut quamvis repetitis Oecumenicis Conciliis proscriptae fuerint, nihilominus tamen obstinatis in errore Sectariorum mentibus immotae quasi persistere visae sint. Quis autem Catholicorum dicat, infallibilia non esse Conciliorum

Oecumenicorum Decreta in causa fidei, quamvis haeretici illis non acquieverint? Ergo etiam haereticorum pervicacia in tuendo errore nihil derogat infallibilitati Pontificum Romanorum: et causa illorum judicio decisa, merito dici potest ac debet finita, quamvis Sectariorum errores non sint finiti.

CDXXXV. Prob. VII. Ratione Theologica. I. In quaestionibus Theologicis, praesertim iis quae ad Jus divinum spectare videntur, adhaerendum est communissimae atque antiquissimae sententiae. Talis est, quae Pontificiam inerrantiam propugnat. P. m. Hanc sententiam amplectuntur ferme omnes Episcopi et Theologi, recentiores Gallos si excipias, nullusque in medium proferri potest alicujus nominis Scriptor, qui ante Pisani et Constantiensis Concilii tempora docuerit, Romanum Pontificem, tamquam publicum Doctorem, errare posse in materia fidei et morum. Asseruerunt hoc equidem Graeci Schismatici; sed eorum nulla esse potest aut debet apud Catholicos authoritas. Ergo sententia nostra est communissima et antiquissima, adversariorum vero singularis, ac nova (vide Num. CCCLXXXV.) immo doctrinae veteris Ecclesiae Gallicanae opposita, ac solidis rationibus destituta ut patebit ex solutione objectionum. II. Si Romanus Pontifex falli potest in quaestionibus fidei ac morum, Acta Conciliorum ac definitiones non deberent a Papa confirmari; rectae enim rationi repugnat, ut sententia illius, qui errare non potest, confirmetur ab eo, qui errori est obnoxius. Atqui constans semper fuit omnium Ecclesiae Patrum ac doctorum sententia, Concilia, quantumvis numerosa, nec vim nec robur habere, nisi approbatione supremi Ecclesiae Capitis munita fuerint. Vide dicta Num. CDX.

CDXI) III. Si Romanus Pontifex infallibilis non esset in quaestionibus fidei et morum, Christus non sufficienter providisset Ecclesiae suae. Si enim nova fidei quaestio exoriatur aut Papa ex Cathedra haeresin doceret, quisnam erit hujus controversiae infallibilis judex? Ecclesia dispersa, an congregata? Non dispersa; praeterquam enim quod moraliter impossibile sit omnium, aut fere omnium toto orbe Christiano dispersorum Episcoporum consensum, aut suffragium rescire, resque haec diuturno tempore indigeat: plurimi tergiversarentur Episcopis dispersis plus deferre, quam soli Romano Pontifici, atque ita error interea invalesceret in Ecclesiae perniciem. Non congregata Ecclesia; concilia enim Oecumenica et difficillime ac lente admodum congregantur, et saepissime variis de causis congregari nequeunt. Praeterea si Papa haeresin ex Cathedra doceret, cui Episcopi reclamarent, et pro qua extinguenda Concilium Oecumenicum convocari peterent, pronum est judicare, quod Papa id facere renueret. Quod si autem, illo invito, cogeretur Synodus, Legatos suos nec mitteret, neque Acta Concilii confirmaret, plurimosque haberet Episcopos erroris sui sectatores, utpote quibus persuasissimum esset, Papam in quaestionibus fidei et morum esse infallibilem. Quale autem esset hoc Concilium Oecumenicum, et quam exiguae ac nullius authoritatis, quod Papa non convocavit, cui nec per se, nec per Legatos praefuit, quod confirmare detrectavit, cui magna Episcoporum pars subscribere noluit, quod a Capite suo sejunctum Ecclesiam non repraesentavit? Vide *Bellarminum* de Rom. Pontifice Lib. IV. *Gallum Cartier* de Authoritate et Infallibilitate Summorum Pontificum. *Sfondrati* in Regali Sa-

cerdotio Lib. III. *Antonium Charlas* in Tract. de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae Lib. X. *Constantinum Roncaglia* in Animadversionibus ad Dissertat. XIV. Saeculi V. Hist. Ecclesiasticae *Natalis Alexandri etc.*

OBJECTIONES.

CDXXXVI. *Objicitur I.* Authoritas Conciliorum. Epistola *S. Leonis M.* ad Flavianum in Concilio *Chalcedonensi*: non nisi facto examine, praemissaque discussione fuit approbata. Ergo Chalcedonense non putavit, judicium solius Romani Pomtificis, in quaestiostione fidei esse irreformabile. P. A. Actione II. posteaquam lecta fuerunt Symbola, Nicaenum et CPolitanum cum Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, Gloriosissimi Judices, et amplissimus Senatus dixerunt: *Recitetur et Epistola Deo dignissimi Archiepiscopi regiae et senioris Romae Leonis.* Et Actione IV. iidem Synodum ita allocuti sunt: *Quoniam sacra Evangelia posita a reverentia vestra perspicimus, singuli Reverendissimi Episcopi, qui convenerunt, doceant, si expositio trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum, qui olim in in Nicaea collecti sunt, et post haec centum quinquaginta, qui in regia congregati sunt civitate, consonat Epistolae Reverendissimi Papae Leonis.* Ergo praemissa fuit discussio. R. N. A. Nam I. Epistola S. Leonis habita fuit tamquam regula fidei antequam in Concilio legeretur. Cum enim Actione I. de fide S. Flaviani quaereretur, Epistola S. Leonis velut lapis lydius fuit, ad quem probata est illius fidei sinceritas. Rogantibus itaque Judicibus, an Flavianus exponens fidem, salvasset religionem Catholicam, aut in ea erras-

set, respondit Paschasinus: *Sancte, et integre, et catholice exposuit beatae recordationis Flavianus: siquidem ejus fidei expositio cum beatissimi, atque Apostolici viri Papae Romani Epistola concordat.* In eamdem iverunt sententiam Maximus Antiochenus, et alii. II. Jam ante Concilium Chalcedonense Epistolae S. Leonis plerique Episcopi Orientales subscripserant. Actione II. antequam illa in Concilio legeretur, Cecropius Sebastopolitanus Episcopus dixit. *Emerserunt, quae ad Eutychem pertinebant, et super iis forma data est a Sanctissimo Archiepiscopo Romanae Urbis, et sequimur eum, et Epistolae omnes subscripsimus.* Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Omnes ista dicimus.* Et in eadem Actione lectis Symbolo Nicaeno et CPolitano, ac gemina S. Cyrilli Epistola ad Nestorium una, altera ad Joannem Antiochenum, antequam praelegeretur publice Epistola S. Leonis, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Omnes sic credimus, Papa Leo sic credit. -- Leo Archiepiscopus sic sapit, ita credit, ita scripsit.* III. Ipse S. Leo in Epistola ad Patres Concilii data disputari quidquam vetuit quoad ea fidei capita, quae in sua ad Flavianum Epistola definierat, vel quidquam defendere, quod eidem adversaretur: *Nunc in vicariis meis adsum, qui dudum in fidei Catholicae praedicatione non desum: ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errandi infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cum secundum Evangelicas authoritates, secundum propheticas voces Apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per lit-*

teras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio. Ergo credibile non est Chalcedonenses Patres dogmaticam Leonis ad Flavianum Epistolam, contra Apostolica mandata, stricto examini subjecisse, ac de illius inerrantia dubitasse, et quidem tacentibus ac non reclamantibus Apostolicis Legatis, qui perquam diligenter adlaborarunt, ut ea omnia executioni mandarentur, quae Leo ipsis praescripserat. Ad *probat.* C. A. N. C. vel D. C. Ergo praemissa fuit discussio rigorosa, quin Patres Epistolam S. Leonis habuerint pro infallibili regula fidei, N. C. Discussio minus rigorosa, ad frangendam magis pertinaciam Eutychianorum, ne illi quocumque praetextu authoritatem Chalcedonensis Synodi in dubium vocarent, eoquod Leonem coece secuta fuerit, C. C. Judices id petierunt a Patribus Concilii, ut Eutychiani qui Leonem aversabantur clare intelligerent, ex omnium Antistitum sententia in Epistola S. Leonis nihil aliud contineri quam ipsissimam fidem Symboli Nicaeni et CPolitani. Et quamvis Patres tanquam infallibilem fidei regulam, ut S. Leo praescripserat, illius Epistolam haberent, obesse tamen id non potuit, quo minus libere judicium suum interponerent: sicut infallibilitas Sacrae Scripturae, vel Concilii Generalis non impedit, quo minus Episcopi de rebus in hac vel illo contentis judicent. Haec tamen libertas non in eo posita est, quasi veritati contradicere possint; sed potius ut eam agnoscant, lubenter amplectantur, et suo judicio atque authoritate confirment adversus haereticos, et male sentientes.

CDXXXVII. *Dices I.* Actione II. posteaquam prae-

lecta fuit Epistola S. Leonis, Episcopi Illyrici Orientalis et Palaestinae petierunt inducias a Patribus, ut examinarent Epistolam S. Leonis, quas facile a Concilio impetrarunt. Immo in privatu congressu Anatolius CPolitanus, et Legati Sedis Apostolicae sensum Epistolae illis declararunt. Ergo dubitabant, an recte et catholice in citata Epistola fidès exponeretur. R. paucorum Episcoporum, qui Eutychianae haeresis suspicione laborabant, quos certum est personae Eutychetis nimium favisse, qualemcumque dubitationem adscribi nec posse nec debere Concilio Oecumenico Chalcedonensi. Reliqui Episcopi omnes, praeter memoratos, clamaverunt: *Nos ita credimus: sicut Leo ita credimus: nostrum nullus dubitat; nos jam subscripsimus.* Inducias tamen quinque dierum Illyricianis et Palaestinis dedit Concilium ex indulgentia et sapienti Oeconomia, ut, si fieri posset, instructi, ad saniorem mentem redirent. Quinque diebus elapsis iidem Illyriciani et Palaestini Episcopi Actione IV. publice professi sunt ambiguitatem omnem, quae ex linguae Latinae vocibus oriri videbatur, sibi a Legatis ademptam, ideoque se Epistolae subscripsisse. *Summe Orthodoxum esse*, inquiebant, *Sanctissimum Patrem nostrum Archiepiscopum Leonem perfectissime novimus. Factum est autem nobis certum de Epistola missa ab ipsius Beatitudinis a Sanctissimis Episcopis Paschasino et Lucentio, qui locum tenent Apostolicae Sedis, qui nobis dilucidaverunt, quae obscuritas linguae secernere subnotabat. -- Huic Epistolae consensimus et subscripsimus.*

CDXXXVIII. *Dices II.* Ipse S. Leo Epist. LXIII. ad Theodoretum scribit: *Quae nostro prius ministerio definierat* (Deus) *universae fraternitatis irretractabili*

firmavit assensu. Ergo ante acceptationem a Chalcedonensi factam, non judicavit Epistolam suam fuisse infallibilem. P. C. In eadem Epistola scribit: *Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerit, haec postea examinatio confirmarit.* Et Paulo post ait, *Epistolam suam universalis Sanctae Synodi assensu firmatam fuisse.* Ergo. R. C. A. N. C. S. Leo dum ad Theodoretum scripsit, immemor non fuit Epistolae, quam ad Patres Chalcedonenses scripserat, qua quidquam disputari vetuit quoad ea fidei capita, quae in sua ad Flavianum Epistola definierat (vide Num. CDXXXVI.) Neque unquam existimare aut suspicari potuit, ea quae ipse Deus suo ministerio definierat, errori esse posse obnoxia. Subdit in eadem Epistola ad Theodoretum, inventos esse qui de suis judiciis ambigerent, sed a diabolo fuisse incitatos: *Nam ne aliarum Sedium ad eam, quam caeteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subreperet adversa suspicio; inventi prius sunt, qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionum incitati authore, ad contradictiones et bella prosiliunt, ad majus bonum, malo ejus, Authore totius bonitatis dispensante, perventum est.* Dum igitur quae definierat, irretractabili Concilii assensu firmata pronunciat, nil aliud intelligere potuit, nisi in eamdem secum sententiam Concilium abiisse, eamque esse irretractabilem, quia dum suo capiti adhaeret, errandi periculo obnoxium non est. Ad *probat.* N. iterum Conseq. Si enim fides docuit, quae postea examinatio confirmavit, sane ipsius definitionibus nulla firmitas, robor nullum poterat deesse. Quare S. Leo non loquitur

ibi de intrinseca judicii sui firmitate, sed de extrinseca duntaxat, qua majori pompa et apparatu Decreta promulgantur, ut eo facilius et promptius ab haereticis suscipiantur, cum vident se consensu totius orbis damnatos esse.

CDXXXIX. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. S. Ambrosius Lib III. de Sacramentis Cap. I. ait: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen et nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius non servatur, et nos recte custodimus.* II. S. Augustinus Epist. XLIII. alias CLXII. ad Glorium et Eleusum Cap. VII. scribit: *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romae judicarunt* (sub Melchiade in causa Caeciliani) *non bonos judices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiae universae Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut, si male judicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur.* Ergo S. Augustinus judicavit, judicium Melchiadis Papae reformari potuisse a plenaria Synodo, adeoque infallibile non fuisse. R. ad I. S. Ambrosium non loqui de fidei quaestionibus, sed de consuetudinibus particularibus, quae non omnibus Ecclesiis ubique erant praescriptae; ut v. g. ablutio pedum post baptismum adultorum, de qua determinate ibi agit S. Doctor. Ad II. R. Tempore Melchiadis, Donatistae non erant haeretici, sed schismatici tantum, qui sponte ab unitate Catholica se separaverunt: neque a Melchiade in Concilio Romano pertractata fuit quaestio fidei, sed meri facti, utrum nimirum, quod Donatistae acriter tuebantur, Felix Aptungitanus, qui Caecilianum Carthagine Episcopum consecraverat: fuerit sacrorum Codicum traditor, et an ipse etiam Caecilianus, cum

adhuc Diaconus esset Ecclesiae Carthaginensis, saeviente persecutione Diocletiani, sacros codices Idololatris tradiderit, focis sacrilegis concremandos, et vanis falsorum numinum simulacris thus adoleverit. Atqui nos ipsi fatemur, Romanum Pontificem in ejusmodi quaestionibus meri facti, cum jure non connexi, fallibilem esse. Ergo frustra nobis hic Augustini locus objicitur.

CDXL. *Objicitur III.* Authoritas Romanorum Pontificum. Quidquid Papa docet ut Papa, juxta nos infallibiliter verum est. Atqui aliquis Papa docuit ut Papa, Papam esse fallibilem. Ergo infallibiliter verum est, Papam esse fallibilem, etiam quando loquitur ut Papa. P. m. Hadrianus VI. ante Papatum, cum adhuc Doctor Lovaniensis esset, docuit Romanum Pontificem esse fallibilem: posteaquam vero ad Pontificatum assumptus fuit, confirmavit hanc suam doctrinam, et quidem ex Cathedra locutus. Ergo. P. A. Typis mandavit Romam Summam suam Theologicam, suo nomine eam divulgavit, universae Ecclesiae sua dogmata suggessit. Ergo ex Cathedra hanc doctrinam definivit. Argumento hoc tamquam decretorio mire sibi plaudit Illustrissimus *Gilbertus de Choyseul du Plessy-Praslain*, Episcopus Tornacensis, praecipuus fabricator Declarationis Cleri Gallicani A. 1682. in Epistola de potestate Ecclesiastica ad Martinum Steyaertium Doctorem Lovaniensem. Subjungit Illustrissimus. *Si hac ratiocinatione non demonstratur nostrae sententiae veritas, missam facio Dialecticam; eamque non disserendi artem dixero, sed fallendi.* II. Innocentius III. Serm. III. de Consecratione Pontif. scribit: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cum de caeteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum*

peccatum, *quod in fide committitur*, *possem ab Ecclesia judicari.* Ergo Innocentius agnovit se fallibilem esse. R. ad I. Enimvero nemo satis mirari poterit, quod Illustrissimus Tornacensis tantam vim ac robur inesse huic argumento putaverit. Quare C. M. N. m. Ad *probat.* N. A. Ad hujus *probat.* iterum N. A, et Conseq. Illud quidem certum est, Summam Hadriani Romae secundo editam fuisse sub ejus Pontificatu: quod vero Pontifex illam confirmaverit, imprimi, ac divulgari praeceperit: omnino incertum est, immo probabilius falsum, I. Quia impressor, vel editor nullam prorsus hujus Pontificii mandati, aut etiam consensus mentionem facit, quod certe negligere non debuisset, ad conciliandam operi majorem authoritatem. II. Quia liber Episcopo Consentino dicatus est; cum tamen ipsi Hadriano dicari debuisse videatur, si quidem ipse Pontifex imprimi mandasset, aut impressioni consensisset. Verum transmisso etiam antecedente, N. Conseq. Pontifex tunc tantum ex Cathedra loquitur, quando tamquam supremus Pastor et Caput, universam Ecclesiam obligat ad aliquid fide divina credendum, vel quando omnibus fidelibus aliquid praecipit sub poena anathematis alias incurrendi. Jam vero quandonam praecipit unquam Hadrianus, ut omnes fideles ea omnia inviolabiliter teneant ac defendant, quae in Summa Hadriani continentur, aut quando contraria sentientibus anathema minatus est? Profecto si argumentum Tornacensis vim aliquam haberet, sequeretur non tantum omnia, quae in jure Canonico continentur, Pontificum responsa ad varias Fidelium consultationes esse infallibilia verum etiam inerrantiae donum tribuendum esse v. g. Homiliis Clementis XI., librisque Benedicti XIII.

et XIV., quos ut Cardinales adhuc conscripsere, cum sub illorum Pontificatu Romae recusi fuerint: quod tamen Catholicorum nemini in mentem venit. Quin etiamsi Hadrianus, quae privatus Doctor scripserat, Pontifex confirmasset, nihil inde contra inerrantiam Romani Pontificis evinceretur. Nam vel voluisset ea quae docuerat, fide divina esse credenda; atque ita pristinam sententiam revocans se infallibilem existimasset: vel noluisset fide divina esse credenda: et sic non fuisset locutus ex Cathedra. Caeterum quod Summa Hadriani Romae recusa fuerit, quin aliquid in illa immutaretur, id temporis angustiis tribuendum esse censeo. Cum enim ejus Pontificatus ultra annum et menses octo protractus non fuerit, ingens negotiorum moles, qua toto illo spatio vix non oppressus fuit Hadrianus, impedimento fuisse videtur, quominus ille lucubrationes suas limare potuerit. Vide *Antonii Charlas* Observationes in Epistolam Illustrissimi Tornacensis. Ad II. N. C. Innocentius agnovit se, tamquam personam privatam, fallibilem: tamquam personam publicam vero, et ex Cathedra loquentem, infallibilem se professus est Serm. II. de Consecrat. Pontificis, quem locum superius exhibuimus Num. CDXXV. circa finem.

CDXLI. *Objicitur IV.* Necessitas Conciliorum. Si Pontifex se solo quaestiones fidei absque periculo errororis definire potest, frustra, immo male Generalia Concilia convocarentur, frustra immensi sumptus fierent, atque Ecclesiae Pastoribus suis quandoque ad plures annos spoliarentur etc. Atqui id dici nequit. Ergo. R. I. Retorquendo. Si Ecclesia dispersa est infallibilis, quod utique ab omnibus Catholicis admittitur, frustra convocantur Concilia Generalia etc. II. N. A. Concilia si

non necessaria, saltem maxime utilia sunt ad frangendam haereticorum pertinaciam, qui si Conciliis intersint, vel convertuntur, vel confunduntur, et a Christi grege separantur, ne alios secum in ruinam trahant. II. Ut levius sit subjectionis et obedientiae jugum, communi concordiae ac regiminis suavitati expedit, ut Rectores quae propria authoritate efficere possent, communi subditorum consilio perficiant. Nil igitur mirum, si in Christi familia, in qua pax summa, et demissio animi tanto profundior, quanto quis altiori eminet dignitate, vigere debet, Romanus Pontifex cum fratribus suis communi sententia, quoties et quantum commode potest, graviora Ecclesiae negotia gerere studeat, etiamsi solus posset. III. Frequenter non de dogmate ipso, sed de hominibus ferendum est ab Ecclesia judicium, et ne qua supersit injustitiae vel errati suspicio aut obtentus, examinanda est illorum doctrina, audiendae rationes, colligenda suffragia; ut et procedendi ratio, et Senatorum numerus, ac Senatus dignitas et majestas obstruant os loquentium iniqua. Cujus diligentiae tunc major est necesitas, cum haeretici vel sectatorum numero, vel potentia saeculari, vel alia quapiam authoritate pollent. In dogmate quoque, quantumvis certo, aliqua interdum utendum est Oeconomia, ut libentius recipiatur; quae quatenus adhibenda sit, in plurimorum coetu, atque adeo in Concilio Generali facilius agnoscitur.

CDXLII. *Dices*. Episcopi in Conciliis sunt judices fidei. Ergo liberum debet illi esse amplecti sententiam Pontificis Romani, vel eam rejicere. R. C. A. N. C. Alias probaretur, Episcopos, cum judices sint, posse etiam veritates in Scripturis contentas, aut a Conciliis

Oecumenicis olim jam definitas rejicere. Episcopi igitur in Conciliis Judicum partes implent, sed subordinatorum, qui videlicet Pontificis definitionem incunctanter sequantur, et exequantur, et quorum consensus signum et argumentum sit dumtaxat velut a posteriori quo hujusmodi Pontificia definitio fidem Ecclesiae continere, ac ut talis ab omnibus agnoscenda et admittenda declaratur; idque ut rebellium pervicacia omnino confundatur, quibus adeo invidiosa semper fuit suprema Sedis Apostolicae authoritas: non quasi ab ea acceptatione et consensu Papae Decretum robur, et inconcussam authoritatem accipiat, quippe quam Romani Pontifices immediate a Christo acceperunt.

CDXLIII. *Objiciuntur V.* Variae ratiunculae. I. Absque necessitate multiplicantur miracula; fieri enim naturalibus viribus nequit, ut Papa ex Cathedra loquens veritatem semper assequatur praecipue si intus et in animo esset haereticus, quem casum possibilem esse non diffitemur. II. Repugnat sanae rationi, teneri nos credere murum album esse nigrum, si id Papa definiret; aut errorem esse veritatem Catholicam. III. Papa potest errare in quaestionibus meri facti. Ergo etiam in quaestione juris. IV. Papa potest in alia peccata incidere, v. g. superbiae, avaritiae, luxuriae. Ergo etiam in haeresin. V. Multa a Pontificibus statuuntur tanquam magis probabilia. Ergo non ideo sunt certa, quae a Pontificibus definiuntur, sed tantum magis probabilia. VI. Si solus Pontifex esset infallibilis, Ecclesiae non satis consultum foret. Ergo. P. A. Casu, quo Pontifice extincto perniciosus error disseminaretur, cui celeriter obviam eundum esset, si forte Generale Concilium congregaretur, illius Decreta, juxta nostram sen-

tentiam, non essent infallibilis authoritatis, quia Concilium hoc a Papa nec convocatum, nec confirmatum foret, sicque haeresis irreparabili Ecclesiae damno invalesceret. VII. Certo nobis non constat, Pontificem, qui dogma aliquod definivit, habere omnia essentialiter requisita ad Papatum, aut debitam diligentiam impendisse in examinanda veritate. Ergo.

CDXLIV. R. ad I. N. A. Sive solum Romanum Pontificem, sive omnes, aut majorem partem Pastorum congregatorum aut dispersorum dicas infallibilem, miraculum non evitatur; cum sine peculiari Dei assistentia fieri nequeat, ut veritatem in omnibus quaestionibus fidei et morum semper assequantur. Immo magis multiplicare videntur adversarii miracula absque necessitate, qui privilegium inerrantiae, quod nos soli Romano Pontifici concedimus, ipsi liberaliter aliis etiam Episcopis largiuntur. Ad II. R. I. Nos tantum loqui de quaestionibus fidei et morum, quas inter certe locum non haberet, quod murus albus sit niger. R. II. N. suppositum, quod Papa possit ex Cathedra definire, errorem fidei adversantem habendum esse pro veritate Catholica. Ad III. C. A. N. C. In quaestionibus puri facti immediate a Deo non revelati, nec cum jure connexi, Papa errare potest absque notabili damno Ecclesiae: Neque Christus oravit pro Petro, ejusque successoribus, ne in aliqua quaestione meri facti errarent; sed tantum ut eorum fides nunquam deficiat. Contra si in quaestione fidei et morum erraret Papa, evacuaretur oratio Christi, ac maximae perturbationes necessario orirentur in Ecclesia: quae deficiente capite, infallibilis esse desineret. Praeterea hoc ipsum solvere tenentur Galli, si dicatur, Concilia Oecumenica posse

errare in quaestionibus facti, adeoque etiam Juris. Ad IV. C. A. D. C. Ergo Papa potest etiam incidere in haeresin, ut persona privata, T. C. Ut persona publica, et Caput Ecclesiae, quando ex Cathedra loquitur, N. C. Rationem paulo ante assignavimus; quia nempe innumerae perturbationes in Ecclesia orirentur, si Papa ex Cathedra loquens haeresin doceret. Ad V. C. A. D. C. Non ideo sunt certa, si a Pontifice dicantur tantummodo esse magis probabilia, C. C. Si definiantur pertinere ad fidem Catholicam, N. C. Cum Pontifices aliquid definiunt pertinere ad fidem Catholicam, aut anathema dicunt contrarium sentientibus; aut ea volunt firmiter a fidelibus credi, certum est, illud non tantum magis probabile, sed omnino exploratum et certissimum esse, cum fides sit de certo veris. Quae vero in Pontificum Decretis adducuntur explicandi tantum causa, vel ad objecta respondendo, vel rationes aliquas afferendo, vel incidenter tantum, et praeter causam principalem asserendo, haec ad fidem non pertinent; sunt tamen maximae authoritatis, nisi manifeste falsitas pateat, quod quandoque contingere potest, dum res meri facti, v. g. historiae narrantur. Ad II. N. A. Ad *probat.* dico, Ecclesiam in hoc casu mediis non destitui ad comprimendam haeresin. Deberet enim ante omnia Decreta eligi Pontifex legitimus qui Concilio vel per se, vel per Legatos praeesset, et Concilii sanctiones ac Decreta authoritate sua firmaret. Sic in Constantiensi Cardinales et Nationes excepta Germanica quae etiam postea consensit, ante Decreta reformationis voluerunt procedi ad electionem certi et indubitati Romani Pontificis, ne Concilium diutius acephalum esset, ejusque authoritas impugnari possit. Ad VII. jam respondimus in hoc Tract. de Ecclesia. Num. CLXXXI.

CDXLV. Modo de praetensis Romanorum Pontificum erroribus agendum est. Cum autem hic Gallorum potissimum sententia impugnetur, adeoque cum ipsis Catholicis nobis sermo sit, missa facimus ea, quae vel supina Ecclesiasticae Historiae ignoratione, aut ex sola calumniandi libidine Protestantes nobis objiciunt; neque ea etiam inutili labore repetere volumus, quae in prioribus Controversiis a nobis sunt complanata. Quare ea solum adducentur quae communiter a Gallis in medium proferri solent, quibusque ad constabiliendam sententiam suam non parum roboris inesse putant. Quamvis pleraque ac fere omnia unica interrogatione enervari possint, quaerendo nimirum, an Pontifex ille, quem errasse contendunt, errorem illum ex Cathedra docuerit, omnesque fideles ad credendum errorem illum obligarit? Id nisi invictis rationibus probent, frustra sunt Galli, cum id unum propugnemus, judicium Romani Pontificis ex Cathedra loquentis in quaestione fidei et morum esse infallibile.

CDLVI. *Objicitur VI.* Lapsus Zephyrini et Stephani. *Zephyrinus*, ut testatur *Tertullianus* Lib. advers. Praxeam Cap. I. approbavit prophetias Montani, Priscae et Maximillae, et Ecclesiae pacem Montanistis restituit; licet statim litteras pacis, agente Praxea, revocaverit. II. *S. Stephanus I.* in oppositum Cypriano errorem lapsus est, docens indiscriminatim, omnem Haereticorum baptismum validum esse, quibuscunque verbis consecraretur. Verba Decreti sunt: *Siquis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos; nihil innovetur, nisi quod traditum, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* R. ad I. Tertulliano in iis, quae res Montani spectant, fidem adhibendam non esse, cum professus fuerit Mon-

tanista. Nam solemne fuit Haereticis errores suos Pontificibus affingere, ut eorum nomine et authoritate se tuerentur, et Fidelibus fucum facerent. Sed demus etiam vera esse, quae Tertullianus narrat. Quid inde? Cum Montanistae se Catholicos mentirentur; et sanctioris insuper vitae speciem praeseferrent; decipere potuerunt Zephyrinum, non quidem ita ut in approbationem suorum errorum illum adducerent, sed ut existimaret ipsos, cum virus suae haereseos absconderent, et pietatis larva obtegerent, maxime Catholicos esse, et Ecclesiastica communione dignos. At vero posteaquam a Praxea, adhuc in Ecclesiae castris pugnante, Montani haeresis et pseudoprophetia detecta est, Zephyrinus illam damnavit, ejusque authores anathemate contrivit, atque ab Ecclesia expulit. Ad II. N. A. Stephanus eum solummodo Baptismum ratum habuit, qui ab haereticis Evangelicis verbis conferebatur, facta nimirum expressa invocatione SS. Trinitatis. Probatur id I. ex verbis Stephani: *Nihil innovetur, nisi quod traditum etc.* quibus traditionem Apostolicam se tueri affirmat. Atqui traditio Apostolica est, illum solum Baptismum validum esse, qui verbis Evangelicis consecratur, sine quibus esse desinit Baptismus Christi. Neque movere aliquem debet, quod Stephanus Marcionis Baptismum admiserit: siquidem, teste Augustino Lib. VI. de Bapt. contra Donatistas Cap. XXV. *Facilius inveniuntur haeretici qui omnino non baptizent, quam quod non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent.* II. Ex ipsius Firmiliani Epistola, quae inter Cyprianicas est LXXV. *Illud quoque absurdum, quod non putant quaerendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, et quod, qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum, Patris, et Filii,*

et Spiritus Sancti. III. Si errasset Stephanus, errasset etiam Augustinus, qui contra S. Cyprianum eum ipsum Baptismum in nomine Christi datum propugnavit, quem Stephanus defenderat. Immo universa Ecclesia eodem tempore circa valorem Baptismi errasset, quod ipsi etiam Galli Catholici admittere nequeunt: Episcopi enim vel Cyprianum, vel Stephanum sequebantur. Ergo si uterque erravit, totum pariter Pastorale Corpus erraverit necesse est, quod expressis Christi promissionibus manifeste repugnat. Vide *Anton. Sandinum* Disput. Historica VII. et *Natalis Alexandri* Dissertationem I. et XIV. in Hist. Eccles. Saeculi III.

CDXLVII. *Objicitur VII.* Lapsus *Marcellini*, qui suppliciis deterritus, falsis Diis sacrificavit, quamvis postea facti poenitens culpam hanc sanguine eluerit, ut refertur in Martyrologio et Breviario Romano ad diem XXVI. Aprilis. R. I. Marcellinus nunquam ex Cathedra docuit, immolandum esse, aut sacrificandum idolis. R. II. Si acta Sinuessani Concilii genuina forent, egregium enim vero haberemus Pontificiae authoritatis monumentum. Refertur enim in illis, Marcellino scelus suum aperte confitenti, Concilii Patres una voce dixisse: *Tuo te ore, non nostro judicio judica; nam prima Sedes a nemine judicatur.* Sed adulterinis non indigemus testimoniis, cum genuinis atque indubitatis abundemus. Ajo itaque cum *Perronio*, *Christiano Lupo*, *Natale Alexandro*, *Lambertino*, *Pagio*, *Tillemontio*, *Papebrochio etc.* commentitium ac fabulosum esse hunc Marcellini lapsum. I. Quia ante Isidorum Mercatorem ad finem saeculi VIII. nullus Catholicorum Scriptorum hunc lapsum adstruit; quin immo Marcellinus commendatur ab *Eusebio* Lib. VII. Hist. Eccl. Cap.

XXVI., et *Theodoreto* Lib. I. Hist. Eccl. Cap. III., quod fuerit *vir persecutionis tempore plene nobilitatus*. II. Quia S. Augustinus hunc Marcellini lapsum inter fabulas Donatisticas numerat. III. Quia Acta Concilii Sinuessani, quibus unice innititur haec fabula, manifeste sunt supposititia. Ut enim plura alia omittam, prorsus incredibile est, sub Diocletiano, temporibus crudelissimae persecutionis, Sinuessam modicam Campaniae Civitatem convolasse CCC. Episcopos; cum tamen sub Constantino, florente re Christiana, non nisi CCCXVIII. Nicaeae convenerint. Adde quod in Historia Ecclesiastica nullum prorsus extet vestigium omnium eorum Episcoporum, qui contra morem in Conciliis observari solitum, non expresso Episcopatuum nomine, subscripsisse dicuntur Sinuessanae Synodo. Neque obstat, quod *S. Nicolaus I.* saec. IX. in Epistola ad Michaelem Imperatorem hujus lapsus meminerit, aut quod in Martyrologio ac Breviario Romano idipsum legatur. Nicolaus enim, post introductas Isidori merces, opinionem suo tempore communem secutus est, nihil definiendo, sed praecise narrando. Breviarii autem et Martyrologii Romani authoritas tanta non est, ut circumstantias aliquas, vel historias, salvo tamen cultu qui Sanctis illis debetur, fas non sit Catholico justis de causis in dubium vocare; cum a Romanis Pontificibus saepius emendata fuisse constet, et spes sit ea plenius cum tempore ac limatius esse emendanda.

CDXLVIII. Originem fabulae huic dederunt Donatistae initio V. saeculi, centum ferme ab judicio Melchiadis, quo Caecilianus Carthaginensis absolutus fuit, elapsis annis; tunc enim primum Donatistae spargere ausi sunt in vulgus, majores suos ideo judicio Mel-

chiadis stare tunc noluisse, quod Marcellinus Romanus Pontifex, et Presbyteri ejus, Marcellus, Melchiades, Sylvester, sacros codices Christiani nominis hostibus concremandos tradidissent, profanisque manibus thus sacrilegum falsis numinibus adolevissent. Hinc contendebant, Romanos Episcopos et crimine ipso, et contagione criminis ab Ecclesia praecisos, judices in causa Ecclesiastica esse minime potuisse. Calumniam impudentissimam a recentioribus Donatistis tum primum excogitatam atque confictam S. Augustinus Lib. de unico Baptismo contra Petilianum Cap. XVI. ita refellit, atque dissolvit. *Quid ergo jam opus est, ut Episcoporum Romanae Ecclesiae, quos* (Petilianus) *incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, et Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, et Sylvester, traditionis Codicum divinorum, et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit: Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Et profecto vel ex eo tantum capite praetensus hic Marcellini lapsus inter fabulas numerandus est, ut idem notat Augustinus l. c. quod veteres Donatistae nullam illius, tempore Melchiadis, mentionem fecerint: nihil enim magis aptum, magisque opportunum ad antiquandum abrogandumque Melchiadis judicium veteribus Donatistis accidere potuisset, quam decantata Marcellini et Presbyterorum ejus thurificatio, ut patet ex iis, quae Donatistae Caeciliano Carthaginensi objiciebant. Vide plura apud *Laurentium Alticotium* Summae Augustinianae Parte III. Quaest. II. Artic. V. pag. 210. et seq.

CDXLIX. *Objicitur VIII.* Lapsus *Liberii*, qui quod in Mediolanensi Concilio damnare nollet S. Athanasium Alexandrinum, a Constantio Imperatore Berrhoeam Thraciae deportari jussus est. Exilii dein incommodis fractus, ac recuperandae pristinae Sedis desiderio incensus, Arianae formulae Sirmiensi subscripsit, Arianis communicavit, et Athanasii damnationem ratam habuit. R. I. Liberius nunquam ex Cathedra docuit Arianam haeresin, aut alium errorem fidei repugnantem. Ergo quamvis vera forent quae adversarii hic objiciunt, minime tamen probaretur, Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem, in quaestione fidei ac morum esse errori obnoxium. Atque haec sola responsio sufficeret. R. II. praetensum hunc Liberii lapsum longe probabilius commentitium esse, ut solidissimis rationibus id ostendit *Joannes Stiltingus*, Socius Bollandianus in Actis SS. Tomo VI. ad diem XXIII. Septembris. Negat itaque Vir doctissimus, Liberium Sirmiensi cuicumque formulae subscripsisse, Arianis communicasse, aut Athanasii damnationem ratam habuisse, his potissimum rationibus ductus. I. Praeterquam quod Liberius summis laudibus ornetur ab *Ambrosio* Lib. III. de Virgin. Cap. I. *Epiphanio* Haer. LXXV., *Basilio* Epist. XXVI., alias LXXIV., *Siricio* in Epist. ad Himerium, ac *Theodoreto* passim in Hist. Eccles. ejusque nomen in Menaeis Graecorum, et antiquissimis Martyrologiis Latinis Legatur, ut S. Hieronymi, Bedae, Usuardi, Wandelberti etc. nullus omnino Patrum aut Scriptorum, qui saeculo IV. aut V. Ecclesiam scriptis suis illustrarunt, mentionem facit Liberiani hujus lapsus. Silent Severus Sulpicius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus. Rufinus Lib. X. Cap. XXVII. scribit: *Nam Liberius*

Urbis Romanae Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suae (Constantii) *subscribendum, ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo.* Silent Menaea Graecorum, Theophanes, Nicephorus Callistus, ac ipse Photius, qui certe Romano Pontifici silentio suo parcere noluisset; causamque reditus Liberii in Urbem Romanam assignant plerumque, quam affert Sulpicius Severus Lib. II, Hist. Cap. XL. *Sed Liberius paulo post urbi redditur ob seditiones Romanas.* Et Socrates Lib. II. Cap. XXXVII. *Caeterum Liberius haud multo post ab exilio revocatus, Sedem suam recepit, cum Populus Romanus, seditione facta, Felicem Ecclesia expulisset; et Imperator licet invitus, assensum illis praebuisset.* II. Primi praetensi hujus lapsus buccinatores, homines fuere nulla fide digni, Catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedis hostes, nimirum Ariani, de quibus scribit Sozomenus Lib. IV, Hist. Eccles. Cap. XV. *Cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochiae Osii Epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant,* (Graece fingebant) *Liberium quoque Consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri.* Quorum calumniam dein adoptavit Philostorgius Arianus Historicus: publice tamen in aliquo Concilio neque ipsi Ariani ausi unquam fuerunt Catholicis objicere lapsum Liberii. Atqui si reus ille fuisset, lapsum hunc certe Catholicis objecissent Ariani, praecipue in Synodo Ariminensi, quae post reditum Liberii habita est. Arianam crambem paulo post recoxerunt Luciferiani, et Ursicini Antipapae sectatores schismatici Marcellinus et Faustinus eodem

saeculo IV. in libello contra Damasum Papam. III. Antiqua monumenta, quibus praecipue innituntur Liberiani lapsus Patroni, supposititia sunt, aut certe interpolata et corrupta. Fragmenta S. Hilario adscripta incerti sunt authoris, et Hilarii nomine prorsus indigna: Athanasii textus in Epistola ad Solitarios, et in Apologia contra Arianos, absone prorsus illius Sancti libris ab imperito fuisse intrusos solide probat *Stiltingus* Cap. VIII. Duo loca allata ex Libro B. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis, et in ejusdem Chronico, quae prae reliquis omnibus S. Doctoris operibus sunt maxime interpolata, nec cum aliis S. Hieronymi assertis congruere, et inter se quoque pugnare, ac manifestos continere errores, non sine claris suppositionis indiciis, ostendit Cap. IX. Quatuor denique Liberii Epistolas ab Arianis, Luciferianis, aut aliis Schismaticis confictas fuisse, Cap. III. demonstrat. Hinc medio aevo praetensum hunc Liberii lapsum creditum fuisse a Latinis non miratur, quod exigua tunc vigeret crisis. IV. Liberius ab exilio rediens maximo plausu ac gratulatione exceptus fuit a Romanis, Felice Urbe ejecto, ut testantur Theodoretus, Hieronymus et Prosper in Chronico. Jam vero omnino incredibile est, quod Romani, Arianis alias adeo infensi, Liberii praevaricationem non intellexissent, siquidem is eorum errori consensisset: aut neglecto Imperatoris mandato, qui et Felicem, et Liberium Romanae Ecclesiae sociato imperio praeesse volebat, rejecto Felice, redeuntem Liberium tanto plausu exceperint. *Baronius*, ut ab hac difficultate se extricaret, contra omnium Scriptorum veterum authoritatem, maluit dicere, Liberium in suo reditu abalienatos invenisse Romanorum animos. Eamdem cum Stiltingo sententiam propugnant *Card.*

Josephus Orsi in Hist. Eccles. saeculi IV., et *Franc. Antonius Zacharia* in Dissertat. de commentitio Liberii lapsu, inserta Tomo II. Thesauri Theologici.

CDL. *Objicitur IX.* Lapsus *Felicis II.* qui Liberio in exilio pulso, Arianorum favore suffectus, illis communicavit. R. I. Quamvis Felix familiariter usus fuerit Arianis, numquam tamen Arianam haeresin amplexus fuit, aut docuit. R. II. male nobis objici Felicem, cum is legitimus Pontifex numquam fuerit. Probatur assertio I. Illegitime Pontificatum suum auspicatus fuit, Liberio legitimo Pontifici ab Arianis suffectus, atque a Romanis numquam agnitus ut Pontifex, qui Liberium Romam remitti magnis precibus, immo coorta etiam seditione, a Constantio impetrarunt, ac redeuntem ingenti gratulatione exceperunt, ejecto ex Urbe Felice, cui numquam toto eo tempore, quo abfuit Liberius, communicare voluerunt ob hanc ipsam praecipue familiaritatem cum Arianis. Neque dici potest, Liberium se Pontificatu abdicasse; cum nullum prorsus hujus abdicationis vestigium exstet in tota antiquitate: aut Felicem demortuo Liberio successisse; cum certum sit, Damasum immediatum fuisse Liberii Successorem, Felicem vero ante Liberium vita migrasse. Ita *Papebrochius*, *Stiltingus*, *Hermantius*, *Christianus Lupus*, *Onuphrius Panvinius*, *Ciaconius*, *Tillemontius*, *Bailletus*, *Natalis Alexander*, *Du Pin*, *Fleuryus*, *Casteel* etc. II. Felix II. omittitur in Catalogo Romanorum Pontificum a *S. Augustino* Epist. LIII. alias CLXV. ad Generosum, et a *S. Optato Milevitano* Lib. II. contra Parmenianum, authoribus synchronis. Neque assertioni nostrae obstat, quod Pontificum Catalogus Damaso adscriptus Felicem II. numeret inter Pontifices: quod ejusdem meminerint Mar-

tyrologia antiqua Bedae, Adonis, Usuardi, atque etiam Romanum: quod Anno 1582, cum de illo e Martyrologio eradendo ageretur, inventa fuerit Romae arca lapidea in Basilica SS. Cosmae et Damiani, cum hac inscriptione: *Corpus Sancti Felicis Papae et Martyris, qui damnavit Constantium.* Catalogus enim ille, quamvis sit antiquus, perperam tamen Damaso adscribitur, atque eruditorum judicio multis aliis in locis correctione indiget. Martyrologiorum authoritas neque irrefragabilis est, neque tanta, ut omnes promiscue historiae in eo contentae pro exploratis haberi debeant, si quidem gravissimae rationes in contrarium pugnent. Praeterea nos hic Felici II. minime denegamus locum inter Sanctos, sed tantum inter Pontifices eum numerandum non esse censemus. Inscriptio Felicis tumulo apposita fuit ex falsis rumoribus, et monumentis apocryphis, eamque peritissimi aevi nostri Antiquarii saeculo IX. posteriorem esse volunt. Adde quod nullus priorum temporum Scriptor, non Athanasius, non Lucifer Calaritanus, non Hilarius, non Hieronymus etc. unquam memoriae prodiderint, Constantium a Felice II. damnatum fuisse; qui rem tanti momenti nequaquam silentio praeteriissent.

CDLI. *Objicitur X.* Lapsus Zosimi, qui Pelagianam Coelestii professionem fidei approbavit, illiusque libellum *Catholicum* dixit. R. Calumniam hanc aperte refellit S. Augustinus Lib. II ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. III. *Quaenam tandem Epistola venerandae memoriae Papae Zosimi, quae interlocutio reperitur, ubi praeceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cum hoc Coelestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de*

quibus se adhuc dubitare, et instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia et hoc Catholicae mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta et demonstrata respuere. Quare hoc in negotio certum est I. Libellum Coelestii a Zosimo pronuntiatum fuisse Catholicum, non quidem habita ratione propositionum et dogmatum, quae continebat, sed habita ratione mentis et affectus, quem praeseferre videbatur Coelestius; quia nimirum sententiam suam Sedis Apostolicae judicio corrigendam subjecerat, et Innocentii I. Decretis assentiri se fuerat professus. II. Coelestium et Pelagium numquam a Zosimo in communionem receptos fuisse, aut a nota haeresis absolutos, ut ipse testatur Zosimus Epist. XII. ad Aurelium Carthaginensem : *Id circo noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas, quas superius litteras vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris litteris vestrae indicavimus sanctitati; ut illa quae a vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret.* III. Zosimum initio in quaestione meri facti deceptum fuisse, quia suspicabatur Coelestium et Pelagium ab Africanis Episcopis praecipitanter ac falso haereticae doctrinae accusari, quam veteratores illi Romae subdole tegebant, simulantes se per omnia consentire Innocentii Decretis. IV. Zosimum voluisse retractare, seu examini iterum subjicere sententiam Innocentii, non quatenus illa fidei dogmata, sed quatenus personas respiciebat, Pelagium nempe et Coelestium, quos falso

apud Innocentium Praedecessorem suum accusatos fuisse subverebatur. V. Denique Pelagianam haeresin paulo post, detectis nempe per Africanos Episcopos Pelagii ac Coelestii fraudibus, solemni Decreto a Zosimo fuisse proscriptam. Vide plura apud *Henricum Card. Norisium* in Hist. Pelagiana. *Natalem Alexandrum* Dissert. III. in Hist. Ecclesiast. Saec. V. *Laurentium Alticotium* Summae Augustinianae Parte III. Quaest. II. Artic. VI.

CDLII. *Objicitur XI.* Lapsus *Gelasii* qui Libro de duabus in Christo naturis docuit, in Sacramento Eucharistiae una cum carne Christi permanere etiam substantiam panis et vini. R. I. Gelasius verbis illis non intelligit substantiam philosophice acceptam, prout haec distinguitur ab accidentibus; sed sensibiles tantum panis et vini proprietates externas, in quibus communi hominum usu rei natura posita esse videtur. Verum hac de re fusius agemus Tomo VII. de Sacramento Eucharistiae Num. CCXXV. R. II. Longe probabilius authorem citati libri non fuisse Gelasium Romanum Pontificem, sed alium quemdam forte hujus nominis. Ita sentiunt Cardinales *Bellarminus*, *Baronius*, *Perronius*, *Sfondrati etc.* Probatur assertio I. Quia liber, quem contra Nestorium et Eutychetem scripsit Gelasius Papa, testibus *Gennadio* Lib. de Viris illustribus Cap. XIV, et *Anastasio Bibliothecario*, grande fuit volumen in quinque libros distinctum: hic vero, qui citatur, exiguus est libellus, vix aliquot plagularum, nec in plures libros distributus. II. Author citati libri altercationem de duabus naturis recentem, et nuper natam dicit, ejusque initiis extinguendis se illam scriptionem suscepisse. Ex quo manifeste col-

ligitur opusculum illud non Gelasio Papae, qui XXXV. annis post Chalcedonense in Petri Cathedra sedit, sed alteri tribuendum esse. III. Profitetur se omnium fere antiquorum Patrum sententias de Incarnatione Domini collecturum; neque plures tamen quam duos citat ex Latinis, Damasum nempe et Ambrosium, complures vero ex Graecis, nulla prorsus facta mentione S. Leonis M., et Chalcedonensis Concilii. Quae satis ostendunt, authorem Graecum fuisse, atque ante Chalcedonense Concilium scripsisse. IV. Laudat inter Orthodoxos Patres Eusebium Caesariensem, Scriptorem Arianae impietatis convictum, eumque Gregorio Nazianzeno anteponit, cujus tamen Historiam Ecclesiasticam Gelasius Papa in suo Decreto inter Apocrypha rejecit. Quare potiori jure opusculum hoc *Gelasio Cyziceno*, graeco scriptori adscribitur, qui Acta Concilii Nicaeni I. tribus libris complexus est, in quibus Eusebium Caesariensem maximis ornat encomiis.

CDLIII. *Objicitur XII.* Lapsus *Vigilii*, et *Honorii.* Vigilius Agapeti Pontificis Diaconus, jussu Theodorae Augustae a Belisario intrusus, vivente adhuc legitimo Pontifice Sylverio, eoque obtentu conspirationis cujusdam in exilium pulso, Apostolicam Sedem invasit. Hic Theodorae Augustae, ejusque Episcopis Severo, Theodosio, Anthemio etc. misit litteras arcanas, quibus, damnata Chalcedonensi Synodo, Eutychianam haeresin profitebatur, rogans ut interea omnia silentio tegerentur. Ita referunt *Liberatus* Cap. XXII. sui Breviarii, et *Victor Tunonensis* in Chronico. II. *Honorius* Papa datis ad Sergium CPolitanum litteris Monothelitarum errorem asseruit, damnatus idcirco a Synodo VI. Generali tamquam haereticus. R. I. Litteras

Vigilii probabilius supposititias esse, nullamque hac in re fidem mereri Liberatum Archidiaconum Carthaginensem, et Victorem Tunonensem, schismaticos homines, ac Vigilio infensissimos, quod condemnationem trium Capitulorum, et Synodum Oecumenicam V. Decreto suo firmasset. Vide quae hac de re erudite disserit *Henricus Schuz* in Commentario Critico fol 514. R. II. Demus vera esse, quae scribunt Liberatus, et Victor. Quid inde? Vigilius eo tempore, quo litteras has scripsisse fertur, nondum erat legitimus Pontifex, vivente adhuc S. Sylverio legitimo Pastore. At vero mortuo Sylverio, ob bonum pacis pro legitimo Pontifice ab Ecclesia acceptatus, negavit intrepide Vigilius praestari a se posse, quae Augustae turpiter et inique promisisset. Quod tantum abest, ut Pontificiae infallibilitati officiat, ut illam etiam maximopere commendet et comprobet. De Vigilio in causa trium Capitulorum, vide dicta Num. CLXXXVI. et CCXXVII. Ad II. R. Honorium ab omni haeresis ac negligentiae nota vindicavimus Tomo I. Num. CCCV. et seq.

CDLIV. *Objicitur XIII.* Lapsus Gregorii II. et Nicolai I. S. Gregorius II. Epist. XIV. ad Bonifacium relatus a Gratiano causa XXXII. Quaest. VII. Cap. *Quod proposuisti*, scribit: *Proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciet jugulis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, non detestabilis culpa excludit.* Atqui certum est, quod viro non liceat aliud conjugium inire, si uxor aliqua laborat infirmitate, ob

quam viro debitum reddere nequeat. II. S. Nicolaus I. in Responsis ad Consult. Bulgarorum, Cap. CIV. docuit, Baptismum in nomine solius Christi collatum, esse validum: *Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos.* R. ad I. S. Gregorium II. loqui de infirmitate matrimonium praecedente, et quae perpetuam impotentiam adjunctam habet, et solum post contractum jam matrimonium innotescit. Cum enim constans semper fuerit dogma in Ecclesia, validi Matrimonii vinculum esse indissolubile, praeterquam in eo casu, quo unus conjugum infidelium ad fidem convertitur, altero in sua infidelitate permanente; nullaque ex tota antiquitate in medium proferri queat, qui aliquando dubitaverit, an ob supervenientem alicui conjugi infirmitatem, qua conjugale debitum impeditur, alteri liceat novas nuptias cum alia celebrare, incredibile omnino est, Bonifacium Germanorum Apostolum hac de re dubitasse, et Gregorium Bonifacio ita respondisse, ut inauditum in Ecclesia dogma tamquam certissimam regulam illi proponeret. Adde Gregorium ad Bonifacium, aliorumque Pontificum ac varios Antistites responsa, etiamsi in Decreto, aut Decretalibus contineantur, non esse idcirco responsa Pontificum ex Cathedra loquentium, sed tamquam a privatis Doctoribus profecta, eoquod non universam Ecclesiam, sed illum solummodo allocuti sint, a quo consulebantur. Ad II. R. S. Nicolaum neque a Bulgaris consultum fuisse de valore Baptismi in nomine solius Christi collati, sed de ministro Baptismi, an is

valide esse posset Judaeus, vel Paganus; neque id tamquam supremum Ecclesiae caput scripsisse, aliquid definiendo, et ex Cathedra loquendo; sed incidenter tantum privatam suam opinionem exponendo. Praeterea necessariam semper fuisse expressam SS. Trinitatis invocationem ad valorem Baptismi, certum equidem videtur, at non de fide; cum nostra etiam aetate non desint Theologi quidam, quibus contraria opinio probabilis appareat.

CDLV. Lapsus *Stephani VII.* et *Sergii III.* Stephanus VII. cadaver *Formosi* Papae decessoris sui exhumari, et sacris vestimentis indutum in Sede Apostolica collocari jussit: tum vero, teste *Luitprando Ticinensi* Lib. I. Hist. Cap. VIII., condemnatum, tribus abscissis digitis, quibus populo Romano benedicere solebat, in Tiberim projici praecepit. Neque hic sese continuit novi Pontificis furor; factas enim a Formoso Ordinationes declaravit irritas, et ordinatos ab illo denuo ordinavit; cum tamen Ordinationes, etiam ab Episcopo improbo et excommunicato factae, certo sint validae. Acta Stephani rata habuit Sergius III, improbavitque omnia, quae contra Stephanum decreverat Joannes IX. Ergo et Stephanus VII. et Sergius III. errarunt in materia fidei. R. N. C. Error Stephani conversationis fuit, non praedicationis: violenta tyrannis in facto, non error in fide, cum id non egerit Stephanus, ut errorem hunc, velut dogma Ecclesiae credendum proponeret, sed ut in mortuum, ejusque famam saeviret. Quos Formosus ordinaverat, a Stephano iterum ordinatos fuisse asserit *Luitprandus*; at *Sigebertus Gemblacensis* in suo Chronico diserte id negat; nec Romana Synodus sub Joanne IX. hujus novae Or-

dinationis meminit. Porro Stephanum inique ac crudeliter adversus Formosum processisse agnovit Concilium Ravennatense LXXIV. Episcoporum A. 898., et Romanum eodem anno celebratum, in qua utraque Synodo Joannes IX. damnavit, abrogavitque Acta Stephani contra Formosum. Caeterum Stephanus hanc causam facinori suo obtendit, quod Formosus contra Canonum statuta a Portuensi Ecclesia ad Romanam Sedem translatus fuerit, et juramentum violarit Joanni VIII. praestitum, Romanam Urbem non amplius intrandi, a quo tamen eum solverat Marinus, Joannis VIII. Successor. Sergius Joanni IX. subinfensus, quod Romani in Electione cum sibi praetulissent, confirmavit Acta Stephani VII., a Joanne IX. rescissa, odio magis illius concitatus, quam ut Ecclesiae obesset: neque probari potest, a Sergio reordinatos fuisse, quos Formosus aut Joannes IX. ordinaverant. Praeterea juxta communiorem gravissimorum Theologorum sententiam observo, neutiquam de fide, sed tantum moraliter certum esse, et a nemine negandum, quod Ordinationes ab excommunicatis, depositis, aut haereticis Episcopis factae, sint validae: Formosus autem, jure an injuria hic non quaerimus, excommunicatus ac depositus fuerat a Joanne VIII., quamvis postea et Communioni, et Ecclesiae suae restitutus sit a Marino.

CDLVI. *Objicitur XV.* Lapsus *Paschalis II*, qui Henrico V. Imperatori jus investiturae per annulum, crucem, et baculum pastoralem concessit, quae ipsissima est haeresis Henriciana, aut Guibertina. R. Privilegium illud vi extorsit Henricus V. a Paschale II., ideoque concessionem illam ut illegitimam ipse concedens damnavit in *Lateranensi* Concilio A. 1116. In hoc Concilio

Bruno Signinus Episcopus dixit: *Gratias agamus Omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paschalem, qui praesenti Concilio praesidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem et haeresin continebat.* Unde subjunxit alius: *si Privilegium illud haeresin continebat, qui illud fecit, haereticus fuit.* Id impatienter ferens Joannes Cajetanus Episcopo Signino respondit: *Tune hic et in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas haereticum? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed haeresis non fuit.* Adjecit alter: *Immo nec malum dici debet; quia si liberare populum Dei bonum est, quod Dominus Papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est authoritate Evangelii, qua praecipimur animas quoque pro fratribus ponere.* Contentionem hanc indicto silentio sedavit Paschalis, dixitque: *Fratres et Domini mei audite: Ecclesia ista nunquam habuit haeresin, immo hic omnes haereses conquassatae sunt. Pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua oravit, cum dixit: Ego pro te rogavit Petre, ut non deficiat fides tua.* Porro haeresis Henriciana ab Henrico IV, Imperatore, seu Guibertina a Guiberto Archiepiscopo Ravennatensi ita appellata, qui ab Henrico IV. Imp. in praedatoria Synodo Brixinensi XXX. Episcoporum Anno 1080 in Petri Sede Clementis III. nomine per vim collocatus est, tres errores tuebatur. I. erat, licitum esse vendere, et emere dignitates Ecclesiasticas. II. Jus Investiturae Ecclesiasticae Imperatoribus ex proprio officio competere, illumque solummodo Pontificem Romanum esse legitimum, quem Imperator, seu Rex Germaniae nominasset. III. Coelibatum Clericorum nec utilem, nec sanctum, nec Apostolicum esse. Paschalis concedendo

Imperatori Henrico V. privilegium investiendi Germaniae Episcopos per annulum, baculum et Crucem, nullum ex enumeratis errorem approbavit: non primum, aut tertium, ut per se patet: non secundum; quia hoc ipso, quod Pontifex hoc privilegium concessit, ipso facto ostendit, jus Investiturae Ecclesiasticae non competere Imperatoribus ex proprio officio, sed ex indulto Apostolico. Neque concedendo Imperatori privilegium Episcopos Germaniae ita investiendi, docere umquam voluit, ipsam Ecclesiasticam potestatem per haec signa ab Imperatore conferri. Ergo Paschalis nullo modo lapsus fuit in haeresin Henricianam, vel Guibertinam.

CDLVII. *Objicitur XVI.* Lapsus aliquorum Pontificum, qui Alexandrum III. praecesserunt. *Alexander* III. interrogatus a Salernitano Archiepiscopo, an matrimonium ratum dirimatur ac infirmetur per aliud subsequens matrimonium consummatum, respondit equidem matrimonium ratum non infirmari: *Non licet mulieri alii nubere; et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit subsecuta, ab eo separari debet; et ut ad primum redeat, Ecclesiastica districtione compelli.* Subjungit tamen: *Quamvis aliter a quibusdam Praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Ergo quidam Alexandri III. praedecessores hac in re erarunt. R. I. a Praedecessoribus Alexandri aliter fortasse judicatum fuisse, vel quia de matrimonio rato non satis constabat: vel quia illud prommissio magis de futuro matrimonio, quam de praesenti videbatur: vel quia denique conjugis utriusque studio interveniente Ecclesia fuit decepta. R. II. Id non absolute, sed hypothetice asseri ab Alexandro, ita ut sensus sit: jubeo matrimonium ratum nullo pacto dirimi ac dissolvi per aliud subsequens consumma-

tum; etiamsi verum esset, Praedecessores meos aliter aliquando judicasse. Fieri enim potuit, immo factum fuisse ex responso Pontificis dignoscitur ad Archiepiscopum Salernitanum, ut, qui contrariam opinionem sequebantur, Romanorum Pontificum quorumdam judicia in controversiis hujusmodi habita, et incertis rumoribus vulgata, ad sententiam suam perperam traducerent, quorum proin nullam habendam esse rationem asserit Alexander III. Vide Illustrissimum *Joann. Baptistam Bartoli* Episcopum Feltriensem in Institutionibus Juris Canonici Cap. XIV. *Idem Illustrissimus* Cap. XVI. centonem illum, qui in Collectione Gregoriana deest, et quo asseritur ita matrimonium per haeresin solvi, ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjux in haeresin lapsus sit, ostendit male assutum fuisse a falsario quodam interpolatore Epistolae *Coelestini III.*, quam exhibet Liber III. Decretalium Tit. XXXIII. Cap. I.

CDLVIII. *Objicitur XVII.* Lapsus *Innocentii III.* et *Bonifacii VIII.* Innocentius III., ut refert *Caesarius Heisterbacensis* Hist. memorab. Lib. III. Cap. XXXII, Capitulo Cisterciensi respondit, sacrilegam confessionem Monachi cujusdam non esse sub Sacramentali sigillo celandam. II. Bonifacius VIII. in Constitutione, quae incipit, *Unam Sanctam*, se ita asseruit Regibus omnibus superiorem, ut eos pronuntiaverit haereticos, qui Pontifici Romano Regum abdicandorum, et Sacramenti fidelitatis ipsis debitae solvendi potestatem abjudicaverint. R. ad I. Historiam illam eo magis suspectam esse falsitatis, quod sub eodem Innocentio III. celebratum sit Lateranense Concilium, in quo plane oppositum dogma fuit definitum. Quam ob rem dico, vel aliquas a Caesario omissas fuisse circumstantias, quibus constabat, Mo-

nachum illum Sacramentaliter confessum non fuisse: vel falsis rumoribus fidem ab authore illo fuisse habitam vel denique privatam hanc fuisse Innocentii mentem ac sententiam, quam ad Abbatem illum, a quo consultus fuerat, non vero ad totam direxerit Ecclesiam. Ad II. N. A. Id unum ea in Constitutione definivit Bonifacius, neminem ab obedientia Summi Pontificis liberum esse. En illius verba: *Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Hujus propositionis sensus ex tota Constitutione illa clare desumitur: quod nimirum extra Ecclesiam Catholicam, quae corpus unum est sub uno Capite, non detur salus; ideoque omnem creaturam, ut salutem consequatur, illius debere Ecclesiae membrum esse, cujus visibile Caput est Christi Vicarius, Romanus Pontifex, cui omnes, nullo excepto, in spiritualibus sunt subjecti, idque *ratione peccati*, quemadmodum Bonifacius saepius et explicavit et declaravit. Illud tamen minime hic dissimulo, Gallos verba illa sinistre fuisse interpretatos, quasi Bonifacius Regem Philippum, Regnumque Galliarum in temporalibus sibi de necessitate salutis vellet esse subjectum. Verum illud etiam observo, ubi contentiones vigent, et dissidia, facile sinistrae interpretationi locum dari, contra mentem asserentis.

CDLIX. *Objicitur XVIII.* Lapsus *Joannis XXII. Nicolaus III.* Cap. *Exiit qui seminat* de Verb. significat. in VI. docet, quod Christus abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in speciali, quam communi, verbo docuerit, et exemplo firmaverit. Contra *Joannes XXII.* Cap. *Cum inter non nullos* de Verb. signific. Extravag. hanc propositionem, *Christus et Apo-*

stoli in speciali non habuerunt aliqua, nec in communi, damnavit ut erroneam, haereticam, et Scripturis contrariam. Ergo cum haec Decreta sibi opponantur, necesse est dicere, vel Nicolaum III. vel Joannem XXII. errasse. II. Idem Joannes XXII. docuit, animas Sanctorum perfecte purgatas, ex hac vita decedentes, Deum facie ad faciem non visuras, nisi post universalem resurrectionem: atque id ipsum Praelatis et Cardinalibus persuadere conabatur. R. ad I. N. C. Constitutiones illae minime sibi opponuntur; siquidem Nicolaus et Joannes cum asserunt vel negant, Christum et Apostolos alicujus rei dominium habuisse, id non de tota Christi et Apostolorum vitae serie dictum voluerunt, sed de aliqua dumtaxat ejus parte. Constat enim Christum et Apostolos quandoque alicujus rei dominium habuisse, quandoque autem cujuslibet temporalis possessionis dominium abjecisse, ut absolutissimum Evangelicae paupertatis exemplar traderent. Ad II. R. Joannem inclinasse quidem in hanc sententiam, quae postea a Florentino Concilio damnata est, nihil tamen ex Cathedra definivisse. Probatur assertio I. Testimonio Doctorum sacrae Facultatis Parisiensis, qui A. 1332. a Philippo Galliarum Rege hac super re interrogati responderunt, *se a multis viris fide dignis audivisse, quod quidquid in hac materia Pontifex dixerit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando*. II. Joannes Papa, ut malevolorum ora obstrueret, ultimo sui Pontificatus anno, nempe 1334., in publico Consistorio coram Cardinalibus declaravit, *se nihil umquam de hac quaestione determinasse, et siquid a se allatum fuisset in authoritatum allegatione, quod Scripturae videretur adversum, prae-*

ter intentionem sibi excidisse. Ita ipse *Benedictus XII*., Joannis Successor, testatur, qui in Consistorio praesentem se fuisse asserit. III. Eamdem declarationem, Benedicti XII. Constitutioni dein insertam, in ultimo morbo Joannes XXII. repetiit: *Fatemur, et credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in coelo, et vident Deum, ac divinam essentiam, facie ad faciem clare*. Vide plura apud *Natalem Alexandrum* Dissertatione XI. in Hist. Eccles. Saeculi XIII. et XIV.

CONTROVERSIA VIII.

AN IN QUÆSTIONIBUS FIDEI AC MORUM, VEL RERUM ETIAM AD DISCIPLINAM PERTINENTIUM, POSSIT LEGITIME APPELLARI A ROMANO PONTIFICE AD CONCILIUM GENERALE?

CDLX.

Appellatio in genere definitur a Juris consultis, a minore judice ad majorem, ratione gravaminis facta provocatio. In quaestionibus fidei et morum a Romano Pontifice ad Concilium Generale nunquam a Catholicis appellatum fuisse constat ex historia Ecclesiastica, quae id a solis Haereticis, iisque paucissimis factitatum esse ostendit. Primi fuere saeculo V. Pelagiani Episcopi XVIII., qui oblata Zosimo Papae fidei suae professione, id dumtaxat ab eo petebant, ut illam examinare dignaretur, et si erroneam in aliquo deprehenderet, id ipsis intimaret; secus se ad Oecumenicam Synodum appellatu-

ros significabant. Unde patet, horum Haereticorum appellationem non absolutam, sed conditionatam dumtaxat fuisse, et ex titulo denegatae justitiae ab ipsis interponendam. Equidem Donatistae etiam a Papa ad Concilium provocasse ab aliquibus dicuntur; verum assertio haec veritati repugnat; ut enim *Sirmondus* observat in Notis ad Concilium Arelatense, de Synodo Romana murmurasse victos Donatistas, illam accusasse ac reprehendisse, de illa questos esse, multis locis docet Augustinus: ab ea provocasse, numquam proditum est, sed ab Arelatensi. Confirmari id potest ex eo, quia in Synodo Arelatensi, ubi judicium Romanum retractatum est, sederunt Rheticius Augustodunensis, Maternus Agrippinensis, et Marinus Arelatensis, qui Romanae Synodo sub Melchiade interfuerant: At vero si Arelatensis Synodus cognoscere debuisset in causa appellationis, priores utique judices numquam admisisset. Pelagianos audacia et impietate superarunt saeculo XVI. Martinus Lutherus a Leone X., et saeculo XVIII. Janseniani a constitutione Clementis XI., cujus initium, *Unigenitus Dei Filius*, ad Concilium Oecumenicum appellantes.

CDLXI. Galli Catholici, qui Pontificem Conciliis Oecumenicis inferiorem, et se solo fallibilem esse defendunt, putant, quamvis id nunquam a Catholicis factum fuerit, a Pontifice ad Generale Concilium appellari posse, si Decreto Romani Pontificis in quaestionibus fidei et morum Universalis Ecclesiae consensus nondum accessit; de quo si sufficienter constet, tum vero talem appellationem, v. g. Jansenianorum, ut illegitimam rejiciunt et damnant. Pari modo existimant Galli, in rebus ad disciplinam pertinentibus fas sibi esse a

Bullis Pontificum provocare ad Concilia Oecumenica per appellationem.

CDLXII. Certum est harum appellationum a Pontificis Decretis, in materia etiam ad meram disciplinam spectante, nullum prorsus in Ecclesiastica, ac Gallicana etiam historia exstare vestigium usque ad initium saeculi XIV. quo primum a Philippo Pulchro Galliarum Rege usurpata fuit, quando a judicio Bonifacii VIII. appellationem ad Concilium Generale interposuit: in qua tamen adeo parum fiduciae reposuerat, ut a Benedicto XI. et Clemente V. Bonifacii Successoribus, instantissime postularit absolvi ab excommunicatione, quam vi censurarum Bonifacii se incurrisse haud inaniter verebatur.

CDLXIII. *Conclusio.* A Decretis Summorum Pontificum in quaestionibus fidei, morum, ac disciplinae appellari non potest ad Concilium Generale. Prob. I. Authoritate Pontificum. S. Gelasius Epist. XIII. ad Episcopos Dardaniae scribit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet ligata sententiis Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Gelasium secutus est S. Nicolaus I. Epist. VIII. ad Michaelem Imp. citans verba S. Gelasii. In Constantiensi A. 1418 in publico et Generali Consistorio, nemine reclamante, promulgata fuit a Martino V. Constitutio, in qua haec continebantur: *Nulli fas est a supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius ju-*

dicium in causis fidei, quae tamquam majores ad ipsum, et Sedem Apostolicam deferendae sunt, declinare. Cumque Martinus Legatorum Poloniae petitioni annuere nollet, qui petebant damnari libellum Joannis Falckenbergii, iidem Legati appellationem ad Concilium interjecturos se minati sunt. At Pontifex silere jussis hanc ipsam Constitutionem de non appellando a Papa ad Concilium, ostendit: quibus auditis illi ab ausu destiterunt. Juvabit ipsum Gersonium audire in Dialogo Apologetico, ita loquentem: *Cui appellationi (* Legatorum Poloniae *) cum respondendum esset, lecta est, ut dicitur, in Consistorio Generali et publico, quod ultimo Constantiae celebratum est, minuta quaedam sub forma Bullae, destruens, ut asserunt qui legerunt eam, fundamentale penitus robur nedum Pisani sed Constantiensis Concilii, et eorum omnium quae in iis, praesertim super electione Summi Pontificis, et intrusorum electione attentata factaque sunt.* Pius II. sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae quascunque appellationes a Summo Pontifice damnavit in Conventu Mantuano A. 1459. per Bullam *Execrabilis*, ut sacris Canonibus contrarias, Reipublicae Christianae noxias, erroneas et detestabiles. A. 1483. *Sixtus IV.* edito diplomate Constitutionem Pii II. confirmavit, illis anathema dicens, qui a Papa ad Concilium appellant. Sixtinam Constitutionem Ludovicus XI. Galliarum Rex reverenter suscepit, eamque in solemni hominum frequentia promulgari jussit, quo nomine plurimas illi Pontifex per Apostolicas litteras gratias egit, teste *Odorico Rainaldo* in suis Annalibus Ecclesiasticis ad Annum 1483 Num. XXII. Denique in Bulla Coenae quotannis a Romano Pontifice excommunicantur omnes et

singuli, cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint, qui ab ordinationibus et mandatis Romanorum Pontificum ad Universale futurum Concilium appellaverint, nec non illi, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

CDLXIV. Prob. II. Authoritate Ecclesiae Gallicanae, et Doctorum Gallorum. I. Ivo Carnotensis Episcopus saeculo XII. Epist. CLIX. ita scribit: *Quoniam judicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente didicimus; si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae authoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium; sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expectent levamen, unde conqueruntur accepisse gravamen; quia quae aliquando corrigit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate.* II. In causa Philippi Pulchri, et Bonifacii VIII. coram Clemente V. Guilielmus de Nogaretto, et Guilielmus de Plasiano nomine Gallorum omnium Bonifacio adversantium III. Augusti Anno 1310. dixerunt, provocatum a se fuisse ad Concilium Generale ex suppositione, quod Bonifacius VIII. legitimus Papa non esset. Dein subjungunt: *A sententia Sedis Apostolicae non potest appellari.* Vide dicta Num. CDXXX.

CDLXV. Prob. III. Authoritate omnium fere Doctorum totius orbis Catholici, tum Theologorum, tum Canonistarum, qui appellationem a Romano Pontifice ad quemcunque alium rejiciunt, tamquam Ecclesiae maxime perniciosam, ac veluti discordiarum seminarium Sacerdotium inter et Imperium.

CDLXVI. Prob. IV. Ratione Theologica. Pontifex supremam et infallibilem habet authoritatem in Ecclesia

Dei, ut ostendimus Controversia VI. et VII. Ergo cum appellatio fieri nequeat, nisi ab inferiore ad Superiorem, non potest a Decretis Romanorum Pontificum, sive ad fidem et mores, sive ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, provocari ad quemcumque alium. *Confirmatur.* Romani Pontificis, cum is sit immediatus Christi Vicarius, idem est tribunal, ac Christi: sicut idem est tribunal Vicarii, et Episcopi. Ergo cum a Christo appellari nequeat, neque fas erit a Romano Pontifice ad aliud qualecumque tribunal appellare. Rationes alias suggerit nobis Rudolphus, *Pii II.* Pontificis Internuntius, Dietherum ab Isenburg, Archiepiscopum Moguntinum, qui ob Simoniam et perduellionem in Sedem Apostolicam et Imperium excommunicatus, ad futurum Concilium appellaverat, ita alloquens: *Ab eo appellasti, Diethere, qui tamen aegre ferres, si quis Provincialium tuorum a te ipso appellasset. Sed quem appellasti judicem? Quem provocasti tuae causae cognitorem? Futurum Concilium, dicis, appellavi. Et ubi est futurum Concilium? Ubi sedet? Ubi tribunal ejus requirimus? Pulchra inventio, ut impunita sint scelera, ut liceat sine metu judicii aliena invadere. Is Judex appellatur, qui nusquam reperitur. In Conventu Mantuano adversus hanc nequitiam lex edita est, quae appellanti ad futurum Concilium eam irrogat poenam, qua rei Majestatis, et fautores Haereticorum plectuntur.*

CCLXVII. Qui appellationes ad Concilium ut licitas defendunt, Reipublicae bonum, aliasque rationes, parum tamen efficaces et solidas, obtendere solent. Dicunt itaque: Respublica debet necessario habere media ad conservandam tranquillitatem publicam sufficientia.

Ergo licita est appellatio a Romano Pontifice ad Concilium Generale. P. C. Decreta Papae si promulgarentur et observarentur, saepe turbas in Regno cierent: possent esse injusta, et a veritate aliena etc. R. C. A. N. C. Ad *probat.* ajo, Decreta Romanorum Pontificum in quaestionibus fidei et morum, si illi ex Cathedra loquantur, esse irreformabilia, justissima, et sanctissima: neque a Catholica veritate, sed ab haeresi timendas esse seditiones. Si vero eorum Decreta, in quaestionibus ad disciplinam pertinentibus lata, turbas cierent, aut scandalum parerent, quod tamen, nisi invictis rationibus probetur, supponendum non est, confugere debet Respublica ad Sedem Apostolicam, ut inde expectet levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen. Quod si Pontifex, de rei veritate certior factus, injusta mandata non modo non revocet, sed illorum etiam executionem acriter prosequatur, quod certe aut nunquam, aut vix unquam continget; quantum Christiano fas est, locum habere poterit consilium Concilii Triburiensis A. 895. Can. XXX. *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam et Apostolicam Sedem; ut quae nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, feramus, et pia devotione toleremus.* Quod si consilium hoc non placeat, licebit Reipublicae aut Principi non exequi Decreta illa Pontificia, hujusque renitentiae causas Sanctae Sedi exponere, absque omni tamen appellatione ad Concilium Generale, quia per has appellationes injuria infertur Romano Pontifici, qui superiorem in terris non habet.

CONTROVERSIA IX.

AN ROMANUS PONTIFEX SIT ANTICHRISTUS ?

Contra Protestantes.

CDLXVIII.

Lutheras et Calvinus, horumque sectatores, ut defectionem suam a Catholica Ecclesia legitimam fuisse ostenderent, Romanum Pontificem Antichristum esse nefarie contendebant, eamque insaniam Lutheras Articulis Schmalcaldicis inseruit eo verborum tenore, ut declamare potius et furere, quam dogmatice definire videretur. Melanchton articulo illi subscribere renuit; immo consentientibus aliquot Collegis, bonum esse Papatum, multorumque bonorum causam asseruit, dixitque authoritatem istam stabiliendam fore, si de facto non existeret. Placuit tamen quam plurimis Protestantibus furere, atque infrunitam Majorum suorum imitari libidinem Romanos Pontifices calumniandi, ut probroso Antichristi nomine eos in invidiam adducerent; quamvis forte nullus ex eorum Praeconibus inveniatur, qui si Papatum adipisci posset, lubenti animo Antichristus esse nollet. Gabriel Povellus Calvinista Anglus eo audaciae devenit, ut asseverare ausus fuerit: *Deum sancte testor, tam certo me scire, Pontificiam Ecclesiam esse Antichristi Synagogam, quam Deum ipsum esse in coelis, Creatorem visibilium et invisibilium, et Jesum Christum verissimum Messiam.* Vapingensis Synodus Protestantica A. 1603. Artic. XXXI. definivit, Papam esse Antichristum, idemque statutum fuit in Synodo Rupellana A. 1607. peculiari Artica-

lo, in quo dicitur: *Hic articulus tamquam verissimus, conformis Scripturae, et iis quae videntur clare impleta, inseratur in omnibus fidei confessionibus de novo imprimendis.*

CDLXIX. Quod si tempus a Protestantibus petas, quo Romanus Pontifex in Antichristum mutatus sit, in diversas abeunt sententias. Gabriel Povellus Anglus vult Antichristum jam tempore Apostolorum natum esse. Mornaeus Calvinista primum Antichristum facit. S. Victorem I. ad finem saeculi II., quod potestate sua abusus, Asiae minoris Episcopos Quartodecimanos communione sua privarit. Alii Antichristos fuisse eos omnes Pontifices statuunt, qui Missas celebrasse, aut ordini Missae aliquid addidisse leguntur, ut S. Alexander, S. Telesphorus, S. Marcus, S. Siricius, S. Leo M. S. Gelasius. Hailbronerus Sylvestrum I. fuisse contendit; Centuriatores Magdeburgici S. Gregorium M. Lutherus et Chytraeus non quidem ipsum Gregorium, sed ejus Successores, praecipue Bonifacium III., qui primatum a Phoca Imperatore impetraverit, et se Caput Ecclesiae, atque Episcopum Universalem appellarit. Alii id primum contigisse dicunt saeculo VIII., quo Ecclesia Romana dominio temporali Exarchatus Ravennatensis, et Ducatus Romani aucta fuit. Alii demum saeculo XII. post tempora D. Bernardi. Ex quo facile patet, Protestantium testimonio eam fidem adhibendam esse, quam Daniel Propheta testimonio adhibuit scelestorum senum, quorum unus Susannam castissimam Matronam in flagitio a se deprehensam esse sub schino, alter sub prino mentiebatur. Equidem operae pretium non esse judico, putidissimam hanc calumniam, quae ipsis etiam Protestantibus paulo moratioribus nunc stoma-

chum movet, pluribus insectari: cum tamen Polemici omnes iniquitatem accusationis ostendant, pauca pro instituto nostro dicemus.

CDLXX. *Conclusio I.* Antichristus nondum venit in hunc mundum. Antequam probetur Conclusio, observo nomen Antichristi duobus modis sumi posse. Primò generatim pro quocumque Christi hoste, seu adversario, quales sunt haeretici fidelium perversores, et persecutores Christianorum. Et hoc sensu dictum est a B. Joanne Epist. I. Cap. IV. *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus, de quo audistis, quia venit, et nunc jam in mundo est.* Alio modo speciatim sumitur pro praecipuo seu principali Christi hoste, quem Scripturae et Patres in fine mundi venturum esse dicunt, cujus reliqui quodammodo praecursores sunt, quem Apostolus II. ad Thessal. Cap. II. vocat *hominem peccati*, et *filium perditionis.* Atque de hoc Antichristo vere ac proprie sumpto in praesentiarum nobis est sermo.

CDLXXI. Prob. itaque Conclusio. Antichristus in hunc mundum non veniet, antequam eversum fuerit Romanorum Imperium. Ergo cum nostra aetate id nondum contigerit, Antichristus nondum venit. P. A. ex testimonio Patrum, *S. Cyrilli Jerosolymitani,* Catech. XV., *S. Chrysostomi* in II. ad Thessalon. Cap. II. *Theophilacti*, *Oecumenii*, *Lactantii* Lib. VII. Instit. divin. Cap. XV. *Tertulliani*, qui in Apolog. Cap. XXXII. scribit, fideles orare pro diuturnitate Romani Imperii, eoquod intelligant, eo everso, extremam sub Antichristo calamitatem orbi imminere. S. Hieronymus Quaest. XI. ad Algasiam locum illum Apostoli II. ad Thessal. Cap. II. ita explicat: *Nisi venerit discessio primum, ut omnes*

Gentes, quae Romano Imperio subjacent, recedant ab eis, et nisi fuerit Romanum Imperium antea desolatum, et Antichristus praecesserit, Christus non veniet: tantum ut Romanum Imperium, quod nunc universas Gentes tenet, recedat, et de medio fiat, et tunc Antichristus veniet. Porro Romanum Imperium, quamvis pristinae amplitudinis plurimum amiserit, eversum tamen nondum fuit, cum apud Germanos vigeat adhuc Imperialis dignitas, nomenque retineatur.

CDLXXII. *Conclusio II.* Romanus Pontifex non est Antichristus. Prob. I. Romanus Pontifex est caput Ecclesiae, immediatus Christi Vicarius, et Successor B. Petri in Cathedra et Primatu, ut late ostendimus Controversia III. Ergo non est Antichristus. Prob. II. Antichristus est unus singularis homo, qui tyrannidem exercebit per menses XLII., ut diserte id testatur *B. Joannes* in sua Apocalypsi. Ergo cum jam per XVIII. saecula Romani Pontifices non interrupta serie B. Petro successerint, non sunt Antichristus. Et sane quotiescumque Patres Ecclesiae de magno Antichristo loquuntur, unum ac singularem hominem semper intelligunt.

Quae Protestantes objiciunt, ut Romanum Pontificem evincant esse Antichristum, tam putida, vana ac infirma sunt, ut pigeat ea recensendo tempus contere-re. Vide *Card. Bellarminum* Lib. III. de Romano Pontifice.

ARTICULUS. IV.

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

CONTROVERSIA I.

AN CATECHUMENI, PUBLICI AC MANIFESTI HAERETICI, SCHISMATICI, ET EXCOMMUNICATI, SINT MEMBRA ECCLESIAE CHRISTI ?

CDLXXIII.

Conclusio I. Catechumeni, seu fideles nondum baptizati, non sunt vere et proprie membra Ecclesiae. Prob. I. Authoritate Patrum. S. Gregorius Nazianz. Orat. XL. ait: *Quamdiu in Catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo es. Intrare te oportet, atrium pertransire, Sancta contueri, Sancta Sanctorum prospicere, cum Trinitate conjungi.* S. Chrysostomus Hom. XXIV. in Joannem: *Alienus est Catechumenus a fideli: non habet idem principium, non eumdem parentem, non victum, non vestitum, non mensam, non castrum, non domum, nihil commune.* S. Cyrillus Alexandr. Lib. XII. in Joannem ait, Catechumenos esse apud Christianos, id quod erant incircumcisi apud Judaeos, qui non poterant vesci Agno Paschali. II. Ratione. Baptismus est janua Sacramentorum, per quem aditus fidelibus aperitur ab Ecclesiam. Ergo ante Baptismum Catechumeni Ecclesiam non sunt ingressi, ideoque ad Ecclesiae corpus non pertinent. Rationem hanc clare insi-

nuat Florentinum in Decreto pro Armenis. *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptisma, quod vitae spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae.* Itaque Catechumeni non sunt in Ecclesia actu et proprie, sed tantum in potentia: sicut homo conceptus, at nondum natus, non dicitur homo, nisi in potentia.

CDLXXVIII. *Dices I.* Nemo potest salvari extra Ecclesiam Christi. Atqui Catechumeni salvari possunt, modo sint in statu gratiae, quando moriuntur, et desiderent Baptismum. Ergo Catechumeni non sunt extra Ecclesiam. *Confirmat.* S. Hieronymus Epist. XIV, ad Damasum scribit de Ecclesia. *Siquis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Ergo sicut nemo salvari potuit quoad vitam temporalem, nisi actu, ac reipsa esset in Arca Noe: ita etiam nemo salvari potest quoad animam, vel vitam spiritualem, nisi actu fuerit in Ecclesia. Atqui Catechumeni salvari possunt. Ergo sunt actu, et non in potentia tantum membra Ecclesiae. R. D. M. Nemo potest salvari, nisi in Ecclesia fuerit vel in re, vel in voto, C. M. Nisi fuerit in re, N. M. Catechumeni quamvis non sint membra Ecclesiae in re; sunt tamen in voto, quod sufficit ad salutem obtinendam. Ad *Confirm.* C. A N. C. Similitudo Ecclesiae cum Arca Noe non est adeaquata; neque plus vult dicere S. Doctor quam quod nemo salvari possit; nisi sit in Ecclesia re, vel voto.

CDLXXIX. *Dices II.* Improbi fideles sunt membra Ecclesiae. Ergo multo magis Catechumeni, qui vitam ducunt castigatam. P. C. Catechumeni tales pertinent ap animam Ecclesiae, ad quam non pertinent fideles improbi. Ergo potiori jure Catechumeni illi dicendi sunt

membra Ecclesiae, quam Fideles improbi. R. C. A. N. C. Ad *probat.* iterum N. C. Quamvis Catechumeni, qui fidem habent et charitatem, pertineant ad animam Ecclesiae, non tamen pertinent ad illius corpus, qui per Baptismum nondum ingressi sunt Ecclesiam. Ergo non possunt esse membra Ecclesiae, quia non pertinent ad Ecclesiae corpus, quod solum habere potest membra; atque in hac quaestione de illis tantum est sermo, qui ad corpus, non vero ad animam Ecclesiae pertinent.

CDLXXX. *Dices III.* Poenitentes publici, quamvis olim distinguerentur a caeteris fidelibus, neque permitterentur interesse sacrificiis, et orationibus publicis, erant tamen membra Ecclesiae. Ergo etiam Catechumeni, licet distinguantur a caeteris fidelibus, propterea tamen non sunt censendi ad Ecclesiam non pertinere. R. C. A. N. C. Poenitentes publici in Baptismo jus acceperant ad Sacramenta, quo dein ob crimen Ecclesia eos privabat; ut corrigerentur. At vero Catechumeni, utpote per Baptismum Ecclesiam nondum ingressi, nullum jus in bona filiorum acquisierunt.

CDLXXXI. *Conclusio II.* Publici ac manifesti Haeretici non sunt membra Ecclesiae Christi. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. I. Joan. II. de Haereticis dicitur. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo cum eadem sit ratio de omnibus haereticis, omnes haeretici publici ac manifesti non permanent nobiscum, hoc est, in Ecclesia, sed per manifestam haeresin foras prodeunt. Ad Titum Cap. III. v. 10. scribit Apostolus: *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judi-*

cio condemnatus. Hoc est, ut interpretatur. S. Hieronymus, cum se ipsum ab Ecclesia ejecerit, ipsam quodammodo Episcopi sententiam atque judicium praeveniens. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus in Dial. adversus Luciferianos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses etc. scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam*. S. Augustinus Serm. V. *Sunt quidam eorum qui Christiani vocantur, et non sunt, quos partim digessit Ecclesia tanquam stercora, ut sunt omnes haereses, et omnia schismata*. Serm. I. de Symbolo ad Catechumenos Cap. VI. *Haereses omnes de illa* (Ecclesia) *exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa*. Et Lib. II. contra litteras Petiliani Cap. CVIII. *Omnes isti, inter quos et haeretici positi sunt, sicut dicit Apostolus, Regnum Dei non possidebunt; et ideo ad sinistram partem cum diabolo pertinebunt. Nec ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim et in talibus sancta sunt, et eis indigne tractantibus et sumentibus ad majus judicium valebunt. Ipsi autem non sunt in illa Ecclesiae compage, que in membris Christi per connexum et contuctum crescit in incrementum Dei*. III. Authoritate Lateranensis IV. in quo dicitur: *Una est Fidelium Universalis Ecclesia*. Ergo haeretici notorii, cum etiam exterius desinant esse fideles, non constituunt Ecclesiam tamquam membra. IV. Ratione. Qui sunt de vera Christi Ecclesia, eamdem fidem, saltem exterius, debent profiteri. Sed haeretici notorii eamdem Christianam fidem cum fidelibus non profitentur. P. M.

Ecclesia Christi est coetus hominum eamdem Christianam fidem profitentium.

CDLXXXII. *Dices I.* Matth. Cap. XIII. in parabola zizaniorum tria dicuntur in eodem agro inveniri, bonum semen, sive granum, paleas, et zizania. Ager Ecclesiam significat juxta Hieronymum in Cap. XIII. Matth. et Augustinum Lib. II. contra Cresconium Cap. XXXIV. granum bonos Catholicos, paleae malos, zizania haereticos. Ergo haeretici sunt in eodem agro, seu in eadem Ecclesia. *Confirmatur.* II. ad Timoth. Cap. II. v. 20. dicitur: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* In hoc textu per domum intelligitur Ecclesia, per vasa lignea et fictilia haeretici. Ergo. R. Matth. Cap. XIII. v. 37. parabolam hanc Discipulis rogantibus Christus ita exposuit: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.* Ergo per agrum non Ecclesia, sed mundus est intelligendus. Ad *Confirmat.* R. juxta plurimos Patres per domum non intelligi Ecclesiam, sed mundum; per vasa autem lignea ac fictilia fideles impios, aut reprobos, vel etiam haereticos occultos.

CDLXXXIII. *Dices II.* Variae assignari possunt rationes, ob quas haeretici etiam manifesti ad Ecclesiam pertinere dicendi sunt. I. Ecclesia jus habet in haereticos, illudque exercet eos puniendo. Ergo cum non possit jus habere in alienos, haeretici sunt de Ecclesia. II. Haeretici, etiam manifesti, qui Baptismo et Ordinibus sacris in Ecclesia Dei initiati fuerunt retinent

characterem Baptismi, Confirmationis et Ordinis. Ergo sunt de Ecclesia. III. Qui vera habent Sacramenta, sunt in Ecclesia Christi, cui soli Christus vera tradidit Sacramenta. Atqui haeretici vera habent Sacramenta. Ergo sunt in Ecclesia Christi. R. ad I. rationem C. A. N. C. Ecclesia jus habet in haereticos, non quia illi actu sunt de Ecclesia, sed quia per Baptismum subditi sunt Ecclesiae. Quemadmodum ovis pertinet ad ovile, unde fugit, et militaris transfuga ad Imperatorem, sub quo stipendia fecit, et servus fugitivus ad Dominum, quem deseruit. Ad II. N. C. Alias sequeretur etiam damnatos qui in vita Catholicam Religionem professi sunt, quod characterem Baptismi et Confimationis retineant, ad Ecclesiam pertinere; cum tamen nec actu, nec potentia sint membra Christi. Character itaque Sacramentalis per se non habet vim uniendi hominem cum Christo Capite, sed est merum signum potestatis, et unionis cujusdam, quae antea praecessit, nec amplius perseverat. Ad III. N. M. Sacramenta illa, quae habent haeretici, ad veram pertinent Ecclesiam, ex qua illi discedentes ea secum asportarunt; sicut servus fugitivus pecuniam Domini sui secum defert, aut miles vexillum Imperatoris asportat: at sicut illi non sunt de familia aut exercitu, ita nec haeretici de Ecclesia.

CDLXXXIV. *Conclusio III.* Schismatici, quamvis retineant veram fidem, non sunt membra Ecclesiae. Prob. I. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiae scribit: *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, fides una et plebs in solidam corporis unitatem concordiae glutine copulata.* Idem Epist. LIX. ad Pupianum. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si qui cum Epi-*

scopo non sint, in Ecclesia non esse. S. Hieronymus Comment. in Caput III. Epistolae ad Titum. *Inter haeresin et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissentionem ab Ecclesia pariter separet.* S. Augustinus Lib. de Fide et Symbolo Cap. X. *Credimus et Sanctam Ecclesiam, utique Catholicam. Nam et haeretici et schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum.* S. Fulgentius Lib. de Fide Cap. XXXVIII. *Firmissime tene — — haereticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros.* II. Ratione. Schismatici neque pertinent ad animam Ecclesiae, cum violent pacem et charitatem: neque ad corpus, quia ab illo recedunt, non obediendo Pastoribus legitimis, et privatos consessus instituendo. Ergo nullo modo pertinent ad Ecclesiam, quae est una unitate membrorum inter se, et cum suo Capite.

CLXXXV. *Dices.* Qui tenent et profitentur eamdem fidem, quam tenet et profitetur universalis Ecclesia, sunt membra Ecclesiae. Atqui tales sunt meri schismatici. Ergo. P. M. Juxta Nicolaum I. de Consecr. Dist. I. Cap. *Ecclesia.* Ecclesia nihil aliud est, quam *Catholicorum collectio.* Et Cap. *Firmiter.* Ecclesia dicitur *Fidelium Congregatio.* Ergo cum schismatici sint Catholici et fideles, sunt membra Ecclesiae.

Confirm. Schismatici puri, de quibus tantum loquimur, quamvis nolint subesse Papae, volunt tamen subesse Christo, tamquam supremo Ecclesiae Capiti. Ergo sunt de Ecclesia. R. N. M. ut quis membrum Ecclesiae dicatur, non sufficit, quod eamdem cum Ecclesia fidem profiteatur; sed requiritur etiam ut cum aliis Ecclesiae membris participet, et Capiti suo visibili unitus permaneat. Ad *probat.* R. vocem *Catholicorum* a Nicolao I. et *Fidelium* a Lateranensi IV. sumi secundum vulgarem acceptionem pro iis nimirum significandis, qui eamdem fidem profitentur, eisdem Pastoribus subjecti. Ad *Confirm.* N. A. Protestatio haec contraria facto est; cum enim Christus jubeat omnes fideles subesse proprio Episcopo, et Romano Pontifici, hoc ipso mandato Christi non obtemperant, qui ab illorum unitate se dividunt.

CDLXXXVI. *Conclusio IV.* Excommunicati non tollerati, hoc est, publice denuntiati et vitandi, non sunt membra Ecclesiae. Prob. I. Authoritate Scripturae Math. XVIII. ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo sicut Ethnici non sunt membra Ecclesiae, ita neque excommunicati non tolerati. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LXII. ad Pomponium scribit: *Spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit.* S. Hieronymus in Cap. III. Epistolae ad Titum. *Fornicator, adulter, homicida, et caetera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur. Haeretici autem per semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes.* S. Augustinus Lib. de Corrept.

L 4

et Grat. Cap. XV. ait, *per excommunicationem separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia.* III. Ratione multiplici. I. est. Excommunicati a communione exteriori Ecclesiae, praecisi sunt authoritate legitima a Christo accepta. Ergo non sunt amplius membra Ecclesiae. II. Per excommunicationem privantur Christiani omni commercio spirituali, quod habent tamquam unius et ejusdem Ecclesiae partes et membra inter se. III. Excommunicationis poena eum locum habet in Ecclesia Christi, quem habebat poena mortis in veteri Testamento, et quem etiamnum habet in regnis et ditionibus Principum temporalium. IV. Excommunicati non pertinent ad corpus Ecclesiae, a quo praecisi sunt legitima authoritate: neque pertinent ad animam Ecclesiae; quia supponuntur contumaces in suis delictis. Ergo nullo modo ad Ecclesiam pertinent.

CLXXXVII. *Dices I.* Excommunicatus per injustam sententiam potest esse amicus Dei, juste vero excommunicatus, quamvis in excommunicatione moriatur, potest salvari, modo de peccatis doleat. Ergo excommunicati sunt de Ecclesia. P. C. Talis est membrum Christi. Ergo etiam est membrum Ecclesiae. *Confirmat.* Excommunicatio est medicina spiritualis, instituta in utilitatem eorum, qui excommunicantur. Atqui si excommunicati ejicerentur ex Ecclesia, non foret instituta in eorum utilitatem. Ergo. R. injuste excommunicatum non separari ab Ecclesia, nisi apparenter tantum, eoquod sententia in eum lata, injusta fuerit; quamvis ad vitandum scandalum debeat se pro excommunicato gerere. Quod si vero juste fuerit excommunicatus, R. C. A. N. C. Si de peccatis dolet, et mori

cum contingat, antequam a censuris absolvatur, salvari poterit; quia quamvis re ipsa non sit membrum Ecclesiae, est tamen in voto et desiderio; quod sufficit in hoc casu ad obtinendam salutem. Ad *probat.* C. A. N. C. Ut quis sit membrum Christi vivum, requiritur unio cum Christo per charitatem. Ut vero quis membrum Ecclesiae censeatur, requiritur exterior conjunctio et sensibilis cum caeteris membris Ecclesiae, praecipue cum visibili Capite. Potest igitur quis esse membrum Christi, quin idcirco sit reipsa membrum Ecclesiae. Ad *Confirm.* C. M. N. m. Ecclesia ejectis non adimit spem redeundi; quin idcirco eos e sinu suo ejicit, ut medicinali hac poena emendentur, ac deposita contumacia ad sinum Matris suae redeant.

CDLXXXVIII. *Dices II.* S. Augustinus Lib. contra Donatistas post Collationem Cap. XX. scribit: *A populo Dei non separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem poenitendi locum redigimus.* Ergo, juxta S. Augustinum, excommunicati sunt adhuc de Ecclesia. R. N. C. vel enim S. Augustinus loquitur de separatione perpetua, quae est sine spe salutis et reditus: vel per populum Dei non intelligit Ecclesiam, sed collectionem omnium salvandorum, aut etiam sanctos et pios homines, quorum communione interiore, quae fit per gratiam et veritatem, excommunicatio per se et directe nunquam hominem privat. Bellarminus et Simonnettus putant, hunc Augustini locum esse corruptum, legendumque esse: *Neque enim a populo Dei non separamus etc.* Quia statim haec verba subsequuntur: *Et ubi hoc facere pacis et tranquillitatis Ecclesiae gratia non permittimur, non tamen*

ideo Ecclesiam negligimus, sed toleramus quae nolumus, ut perveniamus quo volumus.

CDLXXXIX. *Dices III.* Si excommunicati non tolerati sunt extra Ecclesiam, erunt etiam extra illam excommunicati tolerati. Atqui id dici nequit. Ergo. R. N. M. Quamvis excommunicati tolerati, per se loquendo, meriti fuerint ab Ecclesia praecidi; Ecclesia tamen, non quidem in favorem illorum, sed in favorem fidelium, noluit eos privare jurisdictione actuali, ut patet ex Constitutione *Martini V.* in *Constantiensi*, noluitque eos a corpore praecidere. Contra aliter dicendum est de excommunicatis non toleratis.

CONTROVERSIA II.

AN FIDELES REPROBI, IMPERFECTI, MAGNIQUE PECCATORES, ET INFIDELES, SIVE HAERETICI OCCULTI SINT MEMBRA ECCLESIAE?

Contra Pelagianos, Donatistas, Wickleffitas, Hussitas, Protestantes, Jansenianos.

CDXC.

Multiplex fuit error Haereticorum circa praesentem quaestionem, quorum opinio si valeret, necessario consequeretur, veram Ecclesiam Christi esse prorsus invisibilem. Novatiani docebant, Ecclesiam esse coetum hominum eo saltem sensu justorum, quod numquam lapsi fuissent in graviora peccata circa fidei confessionem: quamquam non ita perspicuum est, quos illi ab Eccle-

sia excluserint: an eos omnes, qui grave peccatum commiserant, an vero eos solum, qui in persecutione a fide defecerant. Donatistae non aliis Ecclesiam constare volebant, quam probis, et ab omni crimine, saltem graviore alienis. Videntur enim eos tantum ab Ecclesia exclusisse, qui in persecutione lapsi fuerant, Idololatras, Libellaticos etc. praecipue autem Catholicos, qui lapsis, libellaticis, et sacrorum voluminum traditoribus favere dicebantur, quod Caecilianum Carthaginensem Episcopum a Donatistis falso accusatum, ejusque Ordinationem a Felice Aptungitano factam, contra Donatistas defenderent. Pelagiani teste S. Augustino Lib. de Haeresibus Cap. LXXXVIII. definiebant Ecclesiam, eoquod in Scripturis dicatur esse sine ruga et macula, esse Congregationem hominum perfectorum, nullum peccatum quantumvis veniale habentium. Wickleffus non alios agnovit in Ecclesia esse, quam praedestinatos, neque aliud vinculum, quo partes Ecclesiae inter se colligentur, quam praedestinationem, ita ut omnes et soli praedestinati sint membra Ecclesiae. Wickleffi errorem adoptavit Joannes Hus, cujus Articulus I. a Constantiensi Sess. XV. damnatus ita habet: *Unica est Sancta Universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.* Et Art. V. *Praescitus etsi aliquando sit in gratia secundum praesentem justitiam, tamen numquam est pars Sanctae Ecclesiae: et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non gratia praedestinationis.* Lutherani cum Luthero, Melanchtone, et Brentio duplicem distinguunt Ecclesiam, alteram veram, a Scripturis et Patribus laudatam. Sponsam Christi, atque invisibilem, ad quam ii tantum per-

tinent, qui vere credunt, et Deo obediunt: alteram externam, quae nomen tantummodo Ecclesiae habeat, eamque visibilem, ad quam pertinent omnes boni et mali, qui in eadem doctrina fidei, atque eorumdem Sacramentorum usu conveniunt. Calvini opinio, nisi eadem fuisse dicatur cum Lutheranis, certe obscura est: modo enim affirmat Ecclesiam esse invisibilem, eamque ex solis praedestinatis constare: modo docet eam esse visibilem, et conspicuam Verbi divini praedicatione, et Sacramentorum administratione.

CDXCI. *Paschasius Quesnellus*, nostro hoc saeculo Jansenianorum Antesignanus, errores Pelagianorum, Hussi et Wickleffi etc. instauravit, cujus propositiones septem de membris Ecclesiae a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* meritissimo jure proscriptae fuere. Propositio, inter damnatas, ordine LXXII. ita habet: *Nota Ecclesiae Christianae est, quod sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos coeli, et omnes Electos et justos terrae, et omnium saeculorum.* LXXIII. *Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi?* LXXIV. *Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra.* LXXV. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, et persona; Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.* LXXVI. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi et justi omnium saeculorum illam componunt.* LXXVII. *Qui non ducit vitam dignam fi-*

lio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, et Christum pro capite. LXXVIII. *Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*

CDXCII. Antequam ad praesentem quaestionem respondeatur, observo ex *Card. Bellarmino* Lib. III. de Conc. et Ecclesia, Cap. II. quod Ecclesia sit corpus vivum et animatum. Anima Ecclesiae dicuntur interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas etc. Corpus vero Ecclesiae dicitur externa professio ejusdem fidei, et eorumdem Sacramentorum communicatio. Ex his sequitur I., quosdam esse de anima et corpore Ecclesiae, interius et exterius Christo capiti suo unitos, ac proinde perfecta ac viva membra Ecclesiae. Tales sunt soli justi, gratia sanctificante ornati, qui per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam. II. Aliquos esse de anima tantum Ecclesiae, non vero de corpore, ut Catechumeni, et excommunicati non tolerati, modo fidem et charitatem habeant, quamvis absque ipsorum culpa nondum sint Ecclesiae reconciliati. III. Alios, viceversa, esse de corpore Ecclesiae, non vero de anima, saltem perfecte. Atque hoc nomine veniunt illi, qui eamdem fidem profitentur in Ecclesia, iisdemque Pastoribus gubernantur quidem; verumtamen a Christi charitate alieni sunt, vitam sectantes a Dominicis praeceptis abhorrentem, et Sanctorum exemplis contrariam. Jam vero quando in praesenti quaestione quaeritur, quinam sint, ac censeri debeant membra Ecclesiae, non est sermo de membris vivis et perfectis aut de iis, qui ad Ecclesiae animam perfecte pertinent; tales enim ju-

xta omnes Catholicos sunt tantum illi, qui gratiam habent sanctificantem, et per Baptismum Ecclesiam ingressi, neque ab ea per legitimam authoritatem praecisi sunt: sed sermo est de illis, qui pertinent ad corpus Ecclesiae, quod solum, proprie ac stricte loquendo, habere potest membra, eaque vel viva per charitatem, vel imperfecta, ac quodam modo mortua, ob defectum charitatis.

CDXCIII. *Conclusio I.* Neque omnes praedestinati, neque soli, sunt membra Ecclesiae. Prob. I. pars Conclusionis. Multi sunt praedestinati ex Judaeis, Turcis, Idololatris, et Haereticis qui aliquo saltem tempore, antequam nimirum Catholicae Religionis veritatem agnoscant, vel per Baptismum Ecclesiam ingrediantur, neque ad animam, neque ad corpus Ecclesiae pertinent. Ergo non omnes praedestinati sunt pro omni tempore membra Ecclesiae. Ergo praedestinatio non est ratio ipsos formaliter constituens in Ecclesia.

Prob. altera pars Conclusionis, I. Authoritate Scripturarum, quae Ecclesiam comparant areae, et sagenae. Matth. Cap. III. v. 12. *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. Cap. XIII. v. 47. *Iterum simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi.* Matth. XXII. Convivio nuptiali, ad quod intrarunt boni et mali, qui postea cum non haberent vestem nuptialem, missi sunt in tenebras exteriores. *Matth. XXV.* Decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes, et quin-

que fatuae. Ergo in Ecclesia sunt non tantum praedestinati, sed etiam reprobi, qui significantur per paleas, pisces malos, Virgines fatuas. Atque hoc argumento oppressi Donatistae, ut refert *S. Augustinus* Cap. VIII. et IX. in Breviculo Collationis cum Donatistis, admisere in Ecclesia etiam malos permixtos esse, saltem occultos. Apostolus ad Galatas Cap. III. v. 26. *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo etiam reprobi, qui Baptismo initiati sunt, et omnia dogmata verae Ecclesiae credunt, e numero membrorum verae Ecclesiae excludi non possunt, cum sint baptizati, et filii Dei.

II. Authoritate Patrum, quorum loca Conclusione III. adducemus. Unum hic audiamus Augustinum Tract. XLV. in Joannem: *Secundum praescientiam Dei, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus!* Tract. CXXII. in Joannem. *Dominus alia piscatione significavit Ecclesiam, qualiter nunc sit. Quod autem illud fecit in initio praedicationis suae; hoc vero post resurrectionem suam, hinc ostendit illam capturam piscium bonos et malos significare, quos nunc habet Ecclesia; istam vero tantum bonos, quos habebit in aeternum, completa in fine hujus saeculi resurrectione mortuorum.* Enarrat. in Psalmum CXXXVII. Num. IV. *Ecclesia deorsum, et Ecclesia sursum: Ecclesia deorsum in omnibus Fidelibus: Ecclesia sursum in omnibus Angelis.* Lib. II. contra litteras Petiliani Cap. XLVII. *Eadem pascua sub uno Pastore et oves et hirci pascuntur, donec ut debita recipiant, segregentur.*

III. Ratione Theologica. Si soli Praedestinati Ecclesiam constituerent, Ecclesia foret invisibilis, et a nemine dignosci posset; nec obligatio amplius urgeret illam quaerendi, cum nemo ad impossibilia teneatur: quo enim pacto, aut qua arte praedestinatos discernat quis a reprobis? Quod si Ecclesia cognosci nequit, multo minus vera fides, vera Scriptura, legitimusque Sacramentorum usus certo innotescet, cum omnia haec praecipue authoritate Ecclesiae nitantur. Praeterea perditissimis quibusque ansa daretur subtrahendi se ab obedientia legitimis Pastoribus debita, dicendo, illos nec praedestinatos, nec justos esse, sed reprobos et peccatores, atque ideo, cum Ecclesiae membra non sint, omni authoritate praecipiendi et pascendi spoliatos.

CDXCIV. *Conclusio II.* Non solum perfecti, sed etiam Fideles imperfecti, qui in varia peccata venialia labuntur, sunt membra verae Ecclesiae. Prob. Conclusio. Vera Christi Ecclesia debet esse coetus fidelium ubique diffusus. Atqui si fideles imperfecti qui venialiter peccant, ab illa excluderenter, Ecclesia non amplius foret coetus fidelium ubique diffusus. Ergo. P. m. Omnes homines, excepto Christo, quia homo Deus capax non erat peccati, et Beatissima ejus Matre ex speciali privilegio, propter humanam fragilitatem in venialia quandoque labuntur peccata, juxta illud Jacobi Cap. III. *In multis offendimus omnes.* Et I. Joan. Cap. I. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ergo.

CDXCV. *Conclusio III.* Non solum Fideles justi, sed magni etiam peccatores, tam occulti quam manifesti, sunt membra verae Ecclesiae. Prob. I. praeter ea

momenta quibus Conclusionem I. superius stabilivimus, aliis etiam Scripturarum testimoniis. Matth. Cap. XVIII. ait Christus: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum – – Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos. – – Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo Christus illis verbis supponit ejusmodi peccatores esse in Ecclesia, a qua eos postea vult ejici propter contumaciam. Apostolus I. ad Cor. Cap. V. scribit: *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui habeat. – – Tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Ergo antequam legitima authoritate ab Apostolo separaretur, incestuosus ille pertinebat ad Ecclesiam. B. Joannes *Apocalyps.* Cap. II. et III. scribit septem Ecclesiis Asiae, quarum fere singulas de vitiis non levibus reprehendit.

II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LI. ad Confessores e Schismate revertentes scribit: *Impediri non debet aut fides, aut charitas nostra, ut, quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* S. Chrysost. in Psalm. XXXIX. *Nec ex perfectis quidem universa constat Ecclesia; sed habet eos etiam, qui otio et socordiae se dedunt, mollemque et dissolutam vitam amplectuntur, et libenter serviunt voluptati: Et quoniam est unum corpus, tamquam ex una persona, haec et illa pronuntiat.* S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: *Arca Noe Ecclesiae typus fuit. Ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardus et haedi, lupus et agni: ita et hic justi et pec-*

catores, id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur. S. Augustinus Tract. VI. in Joan. *Nos fatemur in Ecclesia Catholica et bonos et malos esse, sed tanquam grana et paleas.* Tract. XI. in Joan. Num X. *Luctabantur in ventre matris suae, et dictum est Rebeccae, cum ibi luctarentur, Duo populi sunt in utero tuo, Duo homines, duo populi: bonus populus, malus populus; sed tamen in uno ventre luctantur. Quanti mali sunt in Ecclesia, et unus uterus portat, donec discernantur in fine: et boni adversus malos clamant, et mali adversus bonos reclamant, et in unius visceribus utrique luctantur.* Lib. III. contra litteras Petiliani Cap. XII. *Homo sum de Ecclesia Christi; palea, si malus; granum si bonus.* Et Lib. IV. de Bapt. contra Donat. Cap. VII. *Distinguamus inter eos, qui mali foris sunt, et eos, qui intus mali sunt.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum Cap. XLIII. *Firmiter tene, et nullatenus dubites, arcam Dei esse Catholicam Ecclesiam, et intra eam usque ad finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, id est, bonis malos Sacramentorum communione misceri.* S. Gregorius M. Hom. XII. in Evang. *In qua (Ecclesia) quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis Virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur.*

III. Ratione Theologica. Sacramenta instituta fuere a Christo pro iis, qui sunt in Ecclesia, excepto tantum Baptismo, per quem in Ecclesiam intramus. Atqui Sacramentum Poenitentiae praecipue institutum fuit pro peccatoribus etiam magnis et publicis. Ergo magni et publici peccatores sunt in Ecclesia. Praeterea si soli justi essent membra Ecclesiae, cum nulli competat Jurisdictio spiritualis, nisi sit membrum Ecclesiae, ve-

ra esset propositio Hussi, a Constantiensi Concilio proscripta: *Nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali*, sicque omnes actus Jurisdictionis Ecclesiasticae forent maxime incerti.

CDXCVI. *Conclusio IV.* Infideles, sive Haeretici occulti longe probabilius sunt in Ecclesia Christi, sed imperfecte dumtaxat, quia membra sunt mortua et arida, sed corpori adhuc conjuncta. Per infideles et haereticos occultos intelligimus illos, qui fide, et charitate destituti, Catholicam fidem exterius tantum profitentur: eademque cum fidelibus Sacramenta participant, iisdem Pastoribus subjecti. Prob. Conclusio I. Authoritate Scripturarum. I. Joann. Cap. II. dicitur: *Et nunc Antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Ergo ante notoriam haeresin erant in Ecclesia; alias non potuissent exire. II. Ex Epistola *S. Coelestini* ad Clerum CPolitanum, in qua dicit Pontifex, Nestorium, postquam haeresin suam praedicare coeperat, actus Jurisdictionis Ecclesiasticae exercere non potuisse in Ecclesia CPolitana. Ergo supponit, Nestorium potuisse exercere jurisdictionem Episcopalem, quamdiu non fuit manifestus haereticus. Ergo ut haereticus occultus fuit in Ecclesia, quia habuit jurisdictionem Episcopalem. III. Authoritate S. Augustini, qui Lib. IV. de Bapt. Cap. X. scribit: *Si zizania sola dicenda sunt, quae usque in finem in maligno errore perdurant, et foris multa frumenta sunt, et intus multa zizania.* Hoc est, foris sunt multi infideles et haeretici manifesti, qui convertentur ad veram fidem, atque in ea perseverabant: et multi sunt infideles occulti intus in Ecclesia, qui in sua infidelitate occulta morientur. Et Lib. de Catechizandis rudibus Cap. XVII.

Sunt, qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda expectant, aut qui offendere nolunt quos timent (id est, qui ficte, et non sincere fiunt Christiani, manentque idcirco infideles occulti). *Sed isti reprobi sunt, etsi ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet: si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem Christiani esse coeperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quod in area esse possunt cum frumento Dei: quia in horreo cum illâ non erunt, sed igni debito destinantur.* Ergo juxta Augustinum infideles occulti, seu qui ficte Catholicam fidem suscipiunt, sunt in Ecclesia, quamvis nullo ipsorum emolumento. IV. Ratione Theologica. Nam I. cum juxta PP. *Cyprianum* passim in suis Epistolis, *Optatum* Lib. I., contra Parmenianum, *Ambrosium* lib. I. de Poenitentia Cap. II., *Hieronymum* in Dialogo contra Luciferianos, *Augustinum* in Enchiridio Cap. LXV., *Coelestinum* in Epist. ad Clerum CPolitanum, habere non possint Jurisdictionem Ecclesiasticam, qui extra Ecclesiam sunt: si Episcopus laberetur in haeresin occultam, ob quam Ecclesiae membrum esse desineret, omnes actus jurisdictionis, quos in infidelitate sua exerceret, essent irriti, sicque omnes actus ministrorum Ecclesiae forent valde incerti, cum non adeo difficile sit fidem internam amittere. Atqui hoc dici nequit. Ergo. II. Si infideles occulti non sunt membra Ecclesiae, numquam constare posset, quinam hominum coetus sit vera Ecclesia; cum nullus rescire possit, quaenam sit alterius interna fides; sicque Ecclesia foret invisibilis.

CDXCVII. Infideles itaque et Haeretici occulti sunt membra Ecclesiae, sed mortua et arida: atque in hoc differunt a reprobis vel impiis fidelibus, quod illi non tantum de corpore sint Ecclesiae, sed aliquo modo etiam de anima, non perfecte quidem, cum destituantur charitate; sed imperfecte, quia fidem Ecclesiae corde et ore retinent. Contra infideles occulti nullo prorsus modo dici possunt de anima Ecclesiae suntque tantummodo partes corporis mortuae et aridae, ac omnis spiritualis vitae sensu destitutae: idemque sunt in Ecclesia, quod capilli, ungues, aut mali humores in corpore humano.

CDXCVIII. Ex his, quae hactenus dicta sunt de membris Ecclesiae, patet Ecclesiam optime definiri, si dicatur, quod sit coetus hominum unius et ejusdem fidei Catholicae professione, et eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis. In hac definitione excluduntur ab Ecclesia I. omnes Idololatrae, Turcae, Judaei etc. quod diversam a Christo fidem profiteantur II. Catechumeni, quod ad Sacramenta cum fidelibus non admittantur. III. Haeretici manifesti, quod Catholicam fidem et veritatem nec corde, nec ore profiteantur. IV. Excommunicati non tolerati, quod nullam habeant cum Catholicis in spiritualibus communionem. V. Schismatici, quod Catholicam unitatem scindant, nolintque subesse legitimis Pastoribus. Contra vero cum definitio haec conveniat praedestinatis et reprobis, perfectis et imperfectis, justis, et peccatoribus etiam manifestis, atque etiam occultis infidelibus et haereticis, modo Catholicam profiteantur fidem saltem exterius, neque Catholicam unitatem scindant, aut le-

gitima authoritate ab Ecclesia separati sint, hi omnes ad Ecclesiam pertinere censendi sunt.

OBJECTIONES.

CDXCIX. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ecclesia dicitur Cantic. IV. *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*, propter praedestinatos, ut scribit *S. Augustinus* Lib. V. de Bapt. Cap. XXVII. II. Ad Hebraeos Cap. III. v. 6. scribit Apostolus: *Christus vero tamquam filius in domo sua, quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus.* Ex quibus verbis hoc argumentum instruitur. Juxta Apostolum ad Ecclesiam non pertinent, nisi qui firmam fidem et spem retinent. Atqui soli praedestinati firmam fidem et spem retinent usque ad finem. Ergo soli praedestinati pertinent ad Ecclesiam. III. Ecclesia juxta Patres significabatur per arcam Noe. Ergo quemadmodum illa solos admisit salvandos: ita Ecclesia componitur ex solis praedestinatis. R. ad I. juxta gravium Theologorum sententiam, teste *Bellarmino*, verba illa Scripturae probabilius intelligenda esse de qualibet anima perfecta. Quod si de Ecclesia intelligenda sint, referenda erunt ad Ecclesiam triumphantem in coelis. Denique cum Scriptura saepe tribuat toti, quod tantum convenit parti, potest Ecclesia etiam militans appellari Hortus conclusus, ac fons signatus, quia sinu suo tamquam partem nobiliorem praedestinatos complectitur, quamvis non solos. Adde, quod in horto etiam concluso reperiantur spinae cum rosis. Ad II. concesso textu, D. M. Ad Ecclesiam perfecte non pertinent, nisi qui etc. C. M. Non pertinent ad Ecclesiam vere

quidem et proprie, modo tamen minus perfecto, nisi qui etc. N. M. Ad Ecclesiam perfectissimo modo pertinent ii tantum, qui a Christo numquam disjungendi erunt, quales sunt soli praedestinati, quos merito ramos dixeris hujus arboris spiritualis virentes et vivos, radici cohaerentes, et usque in finem foecundos. Atque hoc sensu intelligenda sunt illa Augustini verba in Psalm. CXXXI. *Itaque fratres in his est domus Dei, quos praedestinavit, et praescivit perseveraturos. De illis dictum est, Ubi steterunt pedes ejus. Sunt enim, qui non perseverant, nec stant pedes ejus in eis. Non sunt ergo ipsi Ecclesia: non ipsi pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum.* Loquitur enim S. Doctor de nobilissimis Ecclesiae membris, non de corpore Christi, quod est praesens Ecclesia, quatenus complectitur membra sana et infirma; sed quatenus continet membra dumtaxat sana post mortalem vitam beata immortalitate donanda: non de Ecclesia militante, sed de Ecclesia triumphante illi est sermo; paulo ante enim discrimen inter tabernaculum, et domum Dei assignaverat Augustinus his verbis: *Quamquam aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei, et domus Dei tabernaculum Dei, distinctius tamen accipitur, fratres charissimi, tabernaculum, Ecclesia secundum hoc tempus; domus autem, Ecclesia, coelestis Jerusalem, quo ibimus.* Ad III. R. Arcam Noe figuram Ecclesiae fuisse quoad aliqua, nimirum quod sicuti extra Arcam salus inveniri non poterat, ita neque extra Ecclesiam; et quemadmodum in Arca continebantur animalia munda et immunda, ita in Ecclesia boni et mali: At vero negamus, Arcam fuisse figuram Ecclesiae quoad omnia; alias sequeretur quemlibet baptizatum esse prae-

destinatum, cum *S. Petrus* Epist. I. Cap. III. v. 21. comparet Baptismum cum Arca Noe, in qua salvata sunt omnia animalia munda et immunda, quae ante diluvium Arcam ingressa sunt.

D. *Dices I.* In Ecclesia non aliae sunt oves, quam oves Christi. Atqui soli praedestinati sunt oves Christi. Ergo soli praedestinati sunt in Ecclesia. P. M. Ecclesia in Scripturis vocatur *unum ovile*, et Christus *unus pastor.* Prob. etiam minor propositio ex *S. Augustino*, qui Tractatu XLV. in Joannem scribit, per oves intelligi eos, quos Dominus per praescientiam suam novit esse suos. Et ipse Christus Joann. Cap. X. v. 16. ait: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili.* Hoc est, alios habeo praedestinatos, qui nondum veram fidem amplexi sunt. Ergo. R. C. M. N. m. Per oves in Evangelio saepe intelliguntur praedestinati, et quandoque ii omnes tam boni, quam mali, qui veram fidem profitentur, ut Joann. XXI. *Pasce oves meas.* Et Psalm. LXXIII. *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Ezechielis Cap. XXXIV. v. 5. *Et dispersae sunt oves meae, eoquod non esset pastor: et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri.* Certum est autem, non omnes Judaeos, de quibus ibi est sermo, fuisse praedestinatos, quamvis vocentur oves. Ad *probat.* R. Praedestinatos ab Augustino oves dici secundum hanc acceptionem, quod nimirum praedestinati vocem audiant Pastoris Christi, dicentis, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*; adeoque in eo sensu, quo Christus ipse dixit, *Oves meae vocem meam audiunt.* Minime vero negat S. Doctor, fideles quamvis reprobos, quamdiu Christum Pastorem audiunt, et sequuntur, in vero aliquo sensu dici posse oves Christi, quamvis non

in illo, in quo oves dicuntur praedestinati. Quando vero S. Augustinus eodem Tract. XLV. in Joann. scribit: *Secundum ergo istam praescientiam Dei, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus!* his verbis, *Quam multae oves foris*, loquitur de iis, qui oves sunt tantum secundum praedestinationem; non actu, quia Pastoris vocem actu non audiunt; sed potentia, quia Pastoris vocem perseveranter audient. Cum vero dicit, *Quam multi lupi intus*, loquitur de iis, qui actu sunt oves, secundum justitiam praesentem tantum, eoquod actu audiant vocem Pastoris: et potentia tantum sunt lupi, quia desinent audire et sequi Pastorem.

DI. *Dices II.* Christus est Caput illius tantum Ecclesiae, quam salvabit. Atqui solos praedestinatos salvabit. Ergo est Caput tantum praedestinatorum. *Confirm.* Corpus Christi mysticum est simile vero corpori Christi. Sed totum verum Corpus Christi est salvum et gloriosum. Ergo etiam corpus mysticum: Atqui reprobi non erunt salvi. Ergo non pertinent ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. R. D. M. Est Caput illius tantum Ecclesiae, quam salvabit efficienter, aut saltem sufficienter, C. M. Quam tantum efficienter salvabit, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad *Confirmat.* D. M. Est simile quoad omnia, N. Quoad aliqua, C. M. N. C. Si corpus mysticum Christi quoad omnia esset simile corpori physico Christi, iisdem praedestinati fulgere deberent privilegiis, quibus sanctissima Christi humanitas, quod certe evidenter falsum est.

DII. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, eadem Scripturarum authoritas. Canticor. Cap. IV. v. 7. de Ecclesia dicitur: *Tota pulchra es amica mea, et*

macula non est in te. Et ad Ephes. Cap. V. v. 27. *Ut exhiberet* (Christus) *sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit sancta et immaculata.* Ergo imperfecti non sunt in Ecclesia. Ita olim Pelagiani. R. I. verba Canticorum probabilius intelligenda esse de anima perfecta; textum vero Paulinum de Ecclesia triumphante in coelis, ut diserte docet *S. Augustinus* Lib. I. Retractat. Cap. XIX. R. II. Cum Graeci fere omnes interpretentur verba B. Pauli de Ecclesia hujus saeculi, etiam Ecclesiam militantem dici posse sanctam, immaculatam sine ruga etc., non, quod omnes qui in ea sunt, tales sint; sed quod praecipua ac nobilior Ecclesiae pars, scilicet Sancti, sint tales; et quia invisibile ejus caput est fons sanctitatis et perfectionis. Sicut totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, quamvis non pes aut manus, sed solum caput ratiocinetur, videat, audiat: ita Ecclesia tota dicitur Sancta, quia Caput illius, ac nobiliora membra sunt vere sancta.

DIII. *Objicitur III.* contra III. Conclusionem, eadem Scripturarum authoritas. *Isaiae* Cap. LII. v. 1. de Sion, hoc est, de Ecclesia Christi dicitur: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus.* II. Eodem Capite v. 11. *Recedite exinde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* III. I. Ad Cor. Cap. X. Apostolus de universa Ecclesia scribit: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* At panis ex frumento dumtaxat perficitur. Ergo Ecclesia ex solis justis, qui nomine frumenti designantur. IV. Ad Rom. Cap. VIII. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Qui Spiritum Christi non habent,

non sunt in Ecclesia. Sed peccatores Spiritum Christi non habent. Ergo. Ita olim Donatistae. R Ad I. *S. Augustinus* Lib. contra Donatistas post Collationem Cap. VIII. et XX. citata verba intelligit de Ecclesia triumphante. *S. Cyrillus* Alexandr. in cit. Isaiae locum, in sensu litterali praedici ait, Judaeam longo tempore pace fruituram, atque ab infidelibus diu tutam futuram; in mystico autem sensu, portas inferi non praevalituras adversus Ecclesiam. Ad II. R. quod Isaias per illa verba hortetur Judaeos, ut, expleto captivitatis tempore, Babylonem deserant: mystice autem designari separationem Fidelium baptizatorum a Gentilibus in rebus ad Religionem pertinentibus, juxta illud II. Ad Cor. Cap. VI. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Ad III. R. I. Panem non ex tritico tantum, sed qualicumque frumento perfici, et quandoque vel ex negligentia, vel ex malitia pistorum, tritico grana lolii admisceri. R. II. Similitudines non in omnibus convenire, atque in hoc tantum Ecclesiam pani assimilari, quod sicut ex pluribus granis per aquam fit unus panis, ita etiam ex multis hominibus per Baptismum, vel per Spiritum Sanctum, qui etiam dicitur aqua, una fiat Ecc lesia, et unus Dei populus. Ad IV. D. M. qui Spiritum Christi non habent, non sunt in Ecclesia perfecte, sive non sunt de anima Ecclesiae, C. M. non sunt in Ecclesia vere et proprie, modo tamen minus perfecto, N. M.

DIV. *Objicitur IV.* Authoritas S. Augustini, qui negat peccatores esse in Ecclesia. Serm. II. in Psal. XC. scribit: *Corpus hujus capitis* (Christi) *Ecclesia est, non quae hoc loco; sed et quae hoc loco, et per totum orbem terrarum: nec illa quae hoc tempore, sed*

ab ipso Abel usque ad eos, qui nasciturі sunt usque in finem, et credituri in Christum, totus populus Sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quae civitas côrpus est Christi, cui caput est Christus. Similia habet Serm. III. in Psal. XXXVI. et Cap. LVI. Enchiridii. Ergo juxta Augustinum mali non sunt membra Ecclesiae, cum illorum mentionem non faciat. II. Lib. II. contra litteras Petiliani Cap. CVIII. de gravibus peccatoribus ita scribit: *Nec ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt.* III. Lib. VI. de Bapt. contra Donatistas Cap. III. scribit: *Quos non pertinere ad Sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur, ex hoc apertissime apparet, quia isti sunt, avari, raptores, foeneratores, invidi, malevoli, et caetera ejusmodi: Illa autem columba unica, pudica et casta, sponsa sine macula et ruga -- Quod non intelligitur, nisi in bonis, et sanctis, et justis.* Ergo. R. ad I. concesso textu, N. C. Augustinus non voluit ibi de omnibus membris Ecclesiae disserere, sed illustriora tantum recenset ad commendandam Ecclesiae Christianae excellentiam, ad conciliandam ei apud Neophytos venerationem et vocationis suae eminentissimae amorem, et excitandum in Catechumenis desiderium. Sic qui Regni alicujus, Reipublicae, aut Familiae encomiasten agere constituit, membra ejus nobiliora colligit, quae ad multitudinis a se laudandae dignitatem splendoremque conferre potissimum existimantur, praetermissis studio iis, qui opprobrio potius viderentur esse quam honori. Ad II. R. juxta S. Augustinum, partes constituentes sunt justi, quia ex justis Ecclesia, vivum scilicet corpus ex vivis membris constituitur: partes ve-

ro adhaerentes tantum sunt peccatores; quia cum sint membra quodammodo mortua, non possunt Ecclesiam constituere, quae est corpus mysticum Christi aeternum viventis, adeoque corpus vivum, quod non nisi ex vivis membris proprie constitui potest. Sunt tamen adhuc proprie ac vere membra adhaerentia propter ejusdem professionem fidei: sicut manus arida, quamdiu abscissa non est, pars est corporis humani, quamvis non sit pars corporis ut viventis. Ad III. R. sicut prius. S. Doctor id unum contendit, peccatores, quamvis sint in Ecclesia, non tamen esse de Ecclesia, seu partes Ecclesiam constituentes, prout illa est corpus vivum per charitatem et gratiam sanctificantem. Quod vero admiserit peccatores esse in Ecclesia, illiusque esse membra, quamvis non viva et perfecta, clare colligitur ex dictis. Num. CDXCV.

DV. *Dices*. Saltem juxta S. Augustinum, nostrasque responsiones sequeretur, quod peccatores non possent exercere Jurisdictionem Ecclesiasticam. Ergo hoc ipso non sunt membra Ecclesiae. P. A. In corpore humano partes tantum adhaerentes, sive mortuae et aridae, non sunt organa corporis vivi. Ergo etiam malus v. g. Episcopus non potest esse organum Ecclesiae. R. N. A. Ad *probat*. C. A. N. C. Anima vitales actiones exercere nequit, nisi per membra viva et animata; Ecclesia vero functiones suas exequi potest per membra mortua et arida; quia ad illas valide exercendas sufficit potestas Ordinis, vel Jurisdictionis, quarum utraque potest esse sine charitate, et vita spirituali.

DVI. *Objicitur V*. Authoritas aliorum Patrum. S. Cyprianus Epist. LXXVI. ad Magnum scribit: *In Ecclesia Dei --- non nisi concordes atque unanimes ha-*

bitant, loquente in Psalmis Spiritu Sancto, et dicente: Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo. Ergo juxta Cyprianum magni peccatores non sunt in Ecclesia. II. S. Pacianus Epist. III. ad Sympronianum. *Caeterum peccator et poenitens non est Ecclesiae macula; quia quamdiu peccat; et non poenitet, extra Ecclesiam constitutus est. Ut desinit peccare, jam sanus est.* III. S. Hieronymus in Caput V. Epistolae ad Ephes. *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, aut quid istiusmodi. Qui ergo peccator est, et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari.* IV. S. Chrysostomus Hom. III. in Cap. II. Epistolae II. ad Timotheum, illud Apostoli, *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia*, interpretans, dicit nomine domus non Ecclesiam, sed mundum esse intelligendum, *quia in Ecclesia nullum est vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia.* R. ad I. C. A. N. C. Cyprianus citatis verbis non magnos peccatores, sed schismaticos atque haereticos ab Ecclesia excludit. Ad II. R. S. Pacianum loqui de peccatoribus, qui crimina perpetraverant publicae poenitentiae obnoxia, quam si subire recusarent, extra Ecclesiam erant constituti, non ratione peccati, sed ratione excommunicationis, quae contumacibus et impoenitentibus infligebatur. Caeterum Ecclesiam etiam peccatores complecti, ibidem contra Novatianos asserit S. Pacianus, dum ait: *Ecclesia est Templum Dei, templum certe amplificum, domus magna, habens quidem vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.* Ad III. R. S. Hieronymus vult tantum, quod peccatores non sint de Ecclesia sumpta quoad animam perfecte, sicuti justi: minime autem negat pec-

catores pertinere ad corpus Ecclesiae, quod solum a nobis hic propugnatur. Vide clarissimum Hieronymi locum, quem Num. CDXCV. adduximus. Ad IV. S. Chrysostomus, ut constat ex integro contextu, non negat malos esse in Ecclesia, sed tantum ait non esse necessarium, ut sint in Ecclesia, cum illa non indigeat malis, immo in coelis nullos sit habitura. At vero Mundus ornatur malis, non per se, sed per accidens; quia per ipsos exercerentur Justorum patientia, et Dei justitia.

DVII. *Objicitur VI.* Ratio Theologica. Peccatores non sunt filii Dei. Ergo neque filii Ecclesiae. P. A. Joan. VIII. v. 44. ait Christus Judaeis. *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Et S. Augustinus Epist. CLIII. alias LIV. ad Macedonium scribit: *Utique bonos docebat* (Christus) *orare, quibus praecepit ut dicerent: Pater noster, qui es in coelis. Ex hoc enim boni, quo filii Dei non natura geniti, sed gratia facti, tanquam hi quibus recipientibus eum, dedit potestatem filios Dei fieri.* Ergo peccatores non sunt filii Dei. *Confirmat.* Peccatores pertinent ad regnum diaboli. Ergo non pertinent ad regnum Christi. R. D. A. Peccatores non sunt filii Dei adoptivi, C. A. Non sunt filii Dei simpliciter, N. A. Quilibet homo, fidelis et infidelis, praedestinatus et reprobus, justus et injustus, multiplici de causa filius Dei nominatur, ratione creationis, redemptionis, et gubernationis. Deus enim omnes ad sui similitudinem condidit, omnes conservat, gubernat, diligit: omnes alit, omnibus prospicit de mediis sufficientibus ad obtinendam salutem, ob merita Christi, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Justi autem praeter hos titulos omnibus com-

munes, peculiari quodam modo sunt filii Dei, quia a Deo adoptantur per gratiam sanctificantem. Ad *probat.* R. Judaeos illos, quos Christus ibi alloquitur, ex patre diabolo fuisse, non nascendo, sed illum imitando. Eadem responsio dari debet ad illud, quod I. Joannis Cap. III. dicitur: *Qui facit peccatum, ex diabolo est*: nimirum imitatione, non proprietate, quia diabolus neminem genuit. Quamvis autem peccator dicatur filius diaboli imitatione, non cessat ideo esse filius Dei, ed alia ratione, propter quam non est filius diaboli, nimirum ob creationem, gubernationem et redemptionem: atque idcirco Christus est caput omnium hominum, quamvis non semper eodem modo respectu omnium. S. Augustinus per illa verba, *Utique bonos docebat*, non dicit, quod Christus solos bonos docuerit orare; sed quod boni peculiari quodam modo dicere possint, *Pater noster qui es in coelis*, eo quod sint insuper filii adoptivi per gratiam. Ad *confirmat.* D. A. Pertinent ad regnum diaboli, quantum ad morum perversitatem, C. A. Quantum ad Fidei professionem, N. A. et C. Hinc S. Augustinus in Psalm XLVII. homines impios, qui sunt in Ecclesia, dicit esse filios propter formam pietatis, et alienos propter amissionem virtutum.

DIV. *Dices.* Qui non habet Deum Patrem, Ecclesiam non habet Matrem. Sed Peccatores Deum non habent Patrem. Ergo Ecclesiam non habent Matrem. Ergo non sunt membra Ecclesiae. *Confirm.* Ecclesia est corpus vivum. Ergo omnia ejus membra sunt viva R. N. M. Patres, quos inter S. Cyprianus Tract. de Unitate Ecclesiae, non dicunt, quod qui Deum non habet Patrem, Ecclesiam non habeat Matrem, sed quod ille, qui Ecclesiam non habet Matrem, Deum non possit habere

Patrem, hoc est, quod illi non sint filii Dei adoptivi, qui saltem voto non sunt in Ecclesia. Neque propositiones illae identicae sunt; possunt enim aliqui esse filii Ecclesiae, ejusque membra imperfecta ac mortua, quamvis non sint filii Dei adoptivi: quia ut quis sit filius Ecclesiae, sufficit sola externa professio fidei cum Baptismo; ut vero sit filius Dei adoptivus, requiritur insuper status gratiae. Contra nullus potest esse filius Dei adoptivus, quin saltem voto sit filius Ecclesiae, quia quilibet praecepto divino tenetur ingredi Ecclesiam. Praeterea, quamvis adversariis daretur, peccatores non esse filios Ecclesiae, minime tamen sequitur, eos esse extra Ecclesiam: in domo enim non soli filii, sed etiam servi sunt. Ad *Confirmat.* C. A. N. C. Corpus vivum saepe habet vera membra, quae sunt mortua et arida.

DIX. *Objicitur VII.* contra IV. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. I. *Joan.* Cap. II. dicitur de illis, qui ex Ecclesia prodierunt: *Sed non erant ex nobis.* Ergo antequam haeresin suam manifestarent, cumque adhuc essent haeretici occulti, non erant in Ecclesia. II. Fides est fundamentum et forma Ecclesiae, juxta illud Apostoli I. ad Cor. III. v. 10. *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Ergo infideles occulti, cum fundamento isto careant, non pertinent ad Ecclesiam. R. C. A. D. C. Non erant in Ecclesia, hoc est, non erant membra viva Ecclesiae, C. C. Non erant vere membra, sed mortua et arida, N. C. Vel aliter D. C. Non erant membra constituentia, C. Non erant membra Ecclesiae pure adhaerentia, N. C. Ad II. D. A. Fides objective sumpta pro Christo, qui est objectum fidei nostrae, est fundamentum Ecclesiae, C. A. Fides formaliter sumpta,

N. A. Fides formaliter sumpta non dicitur a Scriptura fundamentum Ecclesiae, sed justitiae et perfectionis. Et quamvis fides formaliter sumpta pro actu, vel habitu per quem creditur in Christum, diceretur esse fundamentum Ecclesiae; id tamen intelligendum esset quantum ad totum Ecclesiae corpus cellective sumptum; quia sine fide interna Ecclesia universa stare non potest; non autem intelligendum esset, quantum ad unumquodque membrum Ecclesiae distributive sumptum. Si enim sine charitate interna potest quis esse membrum Ecclesiae, poterit etiam esse sine fide interiori, cum utraque virtus ex aequo Ecclesiae sit necessaria et essentialis. Caeterum forma Ecclesiae, seu corporis Ecclesiae non est fides interna, sed externa, exterius per professionem ejusdem fidei manifestata.

DX. *Objicitur VIII.* Authoritas Patrum et Conciliorum. In Lateranensi IV. Ecclesia definitur *Congregatio Fidelium.* Ergo cum haeretici occulti non sint fideles, non sunt in Ecclesia. II. Tertullianus Lib. de Pudicitia, S. Athanasius Serm. II. contra Arianos etc. dicunt haereticos non esse vere Christianos. Ergo, cum Ecclesia constet ex Christianis, infideles occulti non pertinent ad Ecclesiam. III. S. Augustinus Tract. III. in Joan. scribit: *Omnes haeretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, de Ecclesia exeunt; sed non exirent, si ex nobis essent: antequam exirent ergo, non erant ex nobis.* R. ad I. nomine Fidelium eos omnes venire, qui Catholicam fidem exterius profitentur, eamque interius habere praesumuntur, quales sunt infideles et haeretici occulti. R. ad II. Patres illos loqui de haereticis manifestis: vel si de occultis loquuntur, eos juxta Patres illos non esse bonos Christianos, eoquod fide

interna bonisque moribus careant; esse tamen Christianos quoad professionem externam. Ad III. R. ut prius, illos, antequam haeresin suam manifestarent, fuisse de Ecclesiae corpore, non vero de anima.

DXI. *Objicitur IX.* Ratio. Ut quis sit membrum Ecclesiae, non sufficit ritus exterior Baptismi sine vero Baptismo. Ergo nec sufficit exterior professio fidei sine vera fide. II. Infideles occulti non sunt uniti Christo primario Ecclesiae Capiti. Ergo non sunt membra Ecclesiae, R. C. A. N. C. Ut quis sit membrum Ecclesiae, debet necessario prius ingredi Ecclesiam. Ergo cum solus Baptismus valide collatus sit janua, per quam ingredimur Ecclesiam, ut quis sit membrum Ecclesiae non sufficit ritus exterior, sed adhibenda est intentio debita, sine qua validum Sacramentum non conficitur. Contra cum infideles et haeretici occulti Ecclesiam jam ingressi sint per Baptismum, neque authoritate legitima ab Ecclesia praecisi esse hic supponantur, poterunt esse membra Ecclesiae, quamvis interna fide destituantur; quia occulta haeresis eos non excludit ab Ecclesia, in qua prius erant. Ad II. D. A. Non sunt uniti Christo interius, C. A. Exterius, N. A, et D. C. Ergo non sunt membra Ecclesiae viva, C. C. Mortua et arida, N. C.

CONTROVERSIA III.

AN MINISTRI ECCLESIAE A SOLO DEO ELIGANTUR, ET AN JUS ILLOS ELIGENDI JURE DIVINO AD POPULUM PERTINEAT?

Contra Wickleffitas, Hussitas, Protestantes.

DXII.

Hactenus de Ecclesiae membris in genere; nunc vero de eisdem speciatim agendum erit. Personarum in Ecclesia Christi duo sunt genera, Clericorum et Laicorum. Clerici in sortem et partem Dei vocantur, suntque Ministri Ecclesiae divino servitio authoritate legitima specialiter deputati, atque a curis et negotiis saecularibus abstracti. Eorum varia sunt genera, nempe Episcopi, quos inter eminet Summus Pontifex, Presbyteri sive Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, et minores Clerici, nempe Acolythi, Exorcistae, Lectores, Ostiarii. Ad Clericos referuntur Religiosi, sive Regulares, tum quod plurimi eorum sacris Ordinibus sint initiati: tum quia Privilegio gaudent Canonis et Fori, atque a multis jam saeculis inter corpora Clericalia numerantur. Reliquus Fidelium coetus nomine Laicorum venit.

DXIII. Joannes Wickleffus, et Joannes Hus cum assererent eos solos esse legitimos Ecclesiae ministros, qui sunt praedestinati docuerunt electionem Ministrorum Ecclesiae ad solum Deum pertinere, excluso Clero, populo, ac Principe, eoquod solus Deus electos praedestinet ad vitam aeternam: ex qua doctrina se-

queretur, Praelatos Ecclesiae malos et praescitos nullam habere potestatem Ecclesiasticam. Lutherus Lib. de Potestate Papae, et Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. III. eorumque sectatores docent, electionem Episcoporum, aliorumque Ministrorum Ecclesiae, jure divino pertinere etiam ad populum, ita ut electio, absque suffragio populi facta, nulla sit atque irrita. Wickleffi errorem damnavit *Constantiense*; Protestantium vero error proscriptus fuit a Tridentino Sess. XXIII. Can. VII. *Si quis dixerit – – – Ordines ab ipsis* (Episcopis) *collatos sine populi, vel saecularis potestatis consensu, aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica et Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit.* Et Can. VIII. *Si quis dixerit, Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.*

DXIV. *Conclusio I.* Ministri Ecclesiae non a solo Deo eliguntur, sed necessaria quoque est externa electio Ecclesiae, possuntque etiam non praedestinati eligi ad sacra ministeria. Prob. I. pars Conclusionis I. ex constanti praxi Ecclesiae, et traditione, ex qua habemus, quod Apostoli septem Diaconis, quos Fideles Jerosolymis eis adduxerant, manus imposuerint: quod Episcopos in pluribus locis constituerint, quibus potestatem dederunt Ministros Ecclesiae creandi. Sic Apostolus ad Titum Cap. I. v. 5. scribit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui.* Hinc factum est, ut nullus umquam pro legitimo ministro, Episcopo, Presbytero etc. habitus fuerit, qui exteriori caeremonia ab Ecclesia non

sit electus, et consecratus. II. Ratione. Nisi ministri Ecclesiae aliquo signo exteriori declarentur, aeque nobis essente illi ignoti, ac incogniti nobis sunt praedestinati; ideoque nec Pastores oves suas, nec oves Pastores suos agnoscerent. Ergo Ministri debent signo exteriori declarari. Atqui hoc signum exterius non sunt miracula, quae rarissime hunc in finem a Deo patrantur, cum tamen Ordinationes sint frequentissime. Ergo hoc signum exterius est electio ab Ecclesia facta.

DV. Prob. etiam altera pars Conclusionis, I. exemplo Christi, qui Judam Iscariotem, utique reprobum, ad sacri ministerii, atque Apostolatus apicem evexit. II. Ratione. Si soli praedestinati apti essent sacris ministeriis, omnes actus potestatis Ecclesiasticae, tam Ordinis, quam Jurisdictionis, essent maxime incerti ac dubii; cum nullus de sua, aut aliena praedestinatione ac salute sit certus: quod certe repugnat providentiae Dei; qua is Ecclesiam suam sapientissime gubernat.

DXVI. *Dices I.* Ecclesia non potest discernere praedestinatos a reprobis. Ergo Ministri Ecclesiae a solo Deo eliguntur. P. C. Soli praedestinati sunt capaces potestatis Ecclesiasticae, possuntque esse ministri Ecclesiae. Atqui solus Deus praedestinat. Ergo solus Deus eligit ministros Ecclesiae. P. M. Potestas ferendi leges Ecclesiasticas est supernaturalis. Ergo non potest dari in homine reprobo et peccatore. *Confirm.* Haec potestas data est a Christo ad aedificationem, et in bonum Ecclesiae Christi. Ergo non est credibile, quod inimicus Christi sit illius capax. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. M. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. In homine reprobo et impio multa possunt dari dona spiritualia,

ut fides, spes, et gratiae gratis datae. Ergo etiam potest dari potestas ferendi leges Ecclesiasticas, quamvis haec sit supernaturalis. Ad *Confirmat*. C. A. N. C. Deus potest etiam hostibus suis uti tamquam instrumento ad benefaciendum Ecclesiae suae; ceditque in utilitatem Ecclesiae, quod illius Ministri, etiam reprobi et impii, legitime tamen electi, habeant illam potestatem: alias omnes actus Jurisdictionis Ecclesiasticae essent incerti, non sine maxima perturbatione Fidelium.

DXVII. *Dices II*. Interior Dei electio potest manifestari, absque electione Ecclesiae, aliquo miraculo edito ad confirmandam Dei electionem. Ergo. P. A. Interior Dei electio potest sortibus manifestari de quibus, *Proverb. XVI*. dicitur: *Sortes mittuntur in sinu: a Domino autem temperantur*. Confirmatur exemplo Matthiae Apostoli, qui per sortes electus fuit. R. N. A. Ad *probat*. N. A. Per usum sortium vel tentaretur Deus, vel digni et indigni indiscriminatim in Sacerdotes et Pastores eligerentur. Atque hac de causa usum sortium in electionibus Ecclesia reprobavit. Textu illo ex Proverbiorum libro adducto Salomon hoc unum docet, quod omnia, etiam fortuita, a Deo regantur, saltem generali providentia qua omnes causas secundas regit, et in finem suum dirigit: neque quidquam fortuitum dici possit respectu causae primae, seu Dei. Ad *confirm*. R. vel non fuerunt sortes proprie dictae, sed lumen super Mathiam a Deo effusum, aut aliud donum divinum, ut multi explicant Scripturarum Interpretes: aut Apostoli ex peculiari inspiratione Dei, et privilegio, sortibus usi sunt; Privilegium vero non debet trahi in exemplum ordinariae electionis. Alii respondent Apostolos ea in electione sortibus usos fuisse, eoquod uterque,

Mathias et Barsabas, adeo essent pares sanctitate et meritis, ut humano judicio discerni non potuerit, uter alteri praeponendus esset: quo in casu licitum esse ajunt sortium usum; tum quia non tentatur Deus, cum ejus providentiae committitur, quod humano judicio cognosci non potest: tum quia nullum imminet Ecclesiae, vel Ecclesiastico coetui periculum, in quemcumque sors cadat, cum Ecclesiasticae dignitatis Candidati meritis pares agnoscuntur.

DXVIII. *Conclusio II.* In Electionibus Ministrorum Ecclesiae olim per plura saecula cum Clero habuerunt etiam populus et Optimates laici jus suffragii, saltem in multis regionibus. Prob. I. ex facto Apostolorum, qui Act. VI. ita fideles allocuti sunt: *Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus -- Et placuit sermo coram omni multitudine et elegerunt Stephanum.* II. Exemplo Athanasii, Basilii, Ambrosii, aliorumque, qui postulante omni populo electi sunt. III. Ex *CPolitano I.*, in quo ad votum Theodosii Imperatoris CPolitanae Ecclesiae praepositus fuit Nectarius: Ex Carthaginensi IV. Cap. I. ubi dicitur. *Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum et laicorum, et conventu totius provinciae Episcoporum -- ordinetur Episcopus.* Concil. *Toletanum XII.* A. 681. Hispaniae Regibus jus concessit eligendi Episcopos. Hanc ipsam potestatem a Romano Pontifice Zacharia sibi concessam exercuerunt Pipinus, ejusque posteri in praesentandis Regni sui Episcopis.

DXIX. Praecipua ratio, ob quam populus in electionibus Episcoporum et Ministrorum Ecclesiae admis-

sus est, alia non fuit, quam ne subditus grex Pastorem invito datum aversaretur, aut parum reverenter haberet. Caeterum in Electionibus aliae Cleri, aliae populi vices fuerunt; populus siquidem proprie non eligebat, nec ejus suffragium necessitatem inducebat, ut colligitur ex Canone III. Nicaeni II., sed potius testimonium ferebat de vita, et moribus eligendi, factaque electione consensum praebebat. Labente autem tempore, et majore experientia suffragante, paulatim populus ab electione remotus est, ut apparet ex Novella *Justiniani* CXXIII. Cap. I. et CXXXVII. Cap. II. ubi statuitur, ut Clerici et Primates tres nominent, et ex istis unum eligat Metropolitanus. Tandem omnis ad electionem accessus partim consuetudine, partim latis Canonibus populo prohibitus est. Ratio excludendi populum multiplex fuit. I. Quod, aucto fidelium numero, convocari populus sine gravi difficultate et tumultu vix posset. II. Quod discordiis ac partium studiis usque ad rixas, bellum, caedesque scinderetur. *Ammianus Marcellinus* Lib. XXVII. Cap. III. refert, post Liberii Romani Pontificis obitum, divisis Damasum inter et Ursicinum Romani Populi studiis, uno die intra Sicini Basilicam CXXXVII. homines fuisse interfectos. III. Quod affectu plerumque et favore, non merito vota conferret. IV. Quod potentiorum, qui Episcopatus aut sibi, aut suis affectabant, metu et praemiis facile vinceretur, nec tam eligeret, quam venderet. V. Quod quandoque invitos ad Episcopatum compelleret. VI. Quod unius Ecclesiae Episcopos ad aliam vocaret. VII. Quod judicium vulgi inconstans sit ac varium, ideoque vanae populi voces non sint audiendae. Vide *Ignatium Schwarz* in Coll. Histor. Parte VI. Quaest. IX.

DXX. *Conclusio III.* Hoc tamen suffragii jus, in electionibus Episcoporum ac ministrorum Ecclesiae, Laicis et populo nequaqnam competebat Jure divino, sed mere Ecclesiastico, quodque justis de causis ab Ecclesia abrogari potuit. Prob. I. negative, quia ostendi non potest, hoc jus ab ipso Deo populo et Optimatibus concessum fuisse. II. positive ex Scripturis. Christus XII. Apostolos elegit, et LXXII. Discipulos designavit inconsultis fidelibus. Paulus ad *Titum* Cap. I. v. 6. jubet ab eo constitui per civitates Presbyteros, quemadmodum et ipse Paulus fecerat, nulla facta mentione populi. *Act.* Cap. I. Apostoli propria authoritate duos statuerunt meritis pares, Mathiam et Barsabam, quorum alter, in quem sors cecidisset, Apostolatus fungeretur officio. Paulus non expectato populi suffragio Timotheum constituit Ephesiorum, Titum vero Cretensium Episcopum.

DXXI. III. Ex Historia Ecclesiastica constat ab Apostolis missos fuisse Episcopos a se ordinatos, ad populos absentes et infideles, a quibus verae fidei lumine illustrarentur. Sic Petrus, Alexandrinis ea de re nihil scientibus aut cogitantibus, Marcum Evangelistam discipulum suum Alexandrinae Ecclesiae Episcopum creavit. Immo primis tribus ferme saeculis Alexandrinum Episcopum a solis Presbyteris, inconsulta plebe, electum fuisse, testatur S. Hieronymus Epist. LXXXV. ad Evagrium, in qua scribit: *Nam et Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.*

DXXII. IV. Authoritate Conciliorum. *Nicaenum I.* Can. IV. jubet Episcopum constitui ab Episcopis com-

provincialibus, vel in eodem loco congregatis, vel si id fieri commode non possit, scripto saltem assentientibus; confirmationem vero a Metropolitano fieri. Laodicenum Can. XIII. statuit: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi.* Bracarense II. Cap. I. *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur: sed sit judicium Episcoporum, ut ipsi eum, qui ordinandus est; probent, si in sermone, et fide, et spirituali vita edoctus sit.* Nicaenum II. Can. III. *Omnis electio a Principibus facta Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat secundum regulam, quae dicit: Siquis Episcopus, saecularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, et segregentur omnes, qui illi communicant. Oportet enim, ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur, quemadmodum a Sanctis Patribus, qui apud Nicaeam convenerunt, in regula definitum est.* CPolitanum IV. Can. XXII. *Promotiones atque Consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac Decreto Episcoporum Collegii fieri, Sancta haec et universalis Synodus definit et statuit; atque jure promulgat neminem Laicorum, Principum, vel Potentum, semet inserere electioni vel promotioni Patriarchae, vel Metropolitae, aut cujuslibet Episcopi. Quisquis autem saecularium Principum, et Potentum, vel alterius dignitatis Laicus adversus communem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat, ac consentiat.*

DXIX. V. Authoritate *S. Chrysostomi*, qui Lib. III. de Sacerdotio graviter conqueritur, quod suo tempore a suffragiis populorum penderet Episcoporum ele-

etio : ideoque non esse mirandum ait, si flagitiosi praeficiantur Ecclesiis, dignissimi autem in obscuro jaceant; et delitescant; cum electionis judicium ab illis petatur, quorum animi solis temporalibus lucris, et voluptatum illecebris addicti sunt, nec nisi terrena sapiunt. Ex quo satis colligitur Chrysostomum ejus opinionis minime fuisse, quod jus suffragii in electione Ministrorum Ecclesiae ad populum et Laicos pertineat jure divino; alias in ipsum Deum injurius fuisset, incusando ejus voluntatem. VI. Ratione. Electio Episcoporum et Ministrorum Ecclesiae est actus quam maxime pertinens ad regimen et gubernationem Ecclesiae. Atqui potestatem gubernandi et regendi Ecclesiam Deus non dedit populo et Principibus, sed solis Pastoribus Ecclesiae. Ergo ad illos solos pertinet eligere Episcopos et Ministros Ecclesiae.

DXXIV. *Dices I.* Act. Cap. VI. Fidelium multitudo elegit septem Diaconos Et Act. Cap. XIV. *Et cum constituissent* (Paulus et Barnabas) *illis per singulas civitates presbyteros.* Graece dicitur χειροτονήσαντες, id est, *cum elegissent ipsis presbyteros per suffragia*; mos enim Graecorum erat, ut per elevationem manuum suffragia darent in electionibus. Ergo in electione Ministrorum Ecclesiae populus jure divino habet jus suffragii. P. C. Id ad jus divinum pertinere censendum est, quod Apostoli semper observarunt. Atqui Apostoli in electionibus semper rogarunt populi suffragia. Ergo. R. C. A. N. C. Multitudo fidelium elegit septem Diaconos ex privilegio et concessione Apostolorum, non vero ex eo capite, quod populi suffragium necessarium fuerit. Vox χειροτονία in sensu Scripturae et Sanctorum Patrum non significat electionem per suffragia,

quae manuum elevatione fieret; sed denotat impositionem manuum ad impertiendum Ordinis Sacramentum, quod a Graecis vocatur Sacramentum impositionis manuum. Certe hunc esse sensum laudati loci colligitur ex toto contextu. Act. Cap. XIV. *Et cum constituissent illis* (Paulus et Barnabas Fidelibus recens conversis) *per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Ad *probat.* N. M. Multi Apostoli observarunt, quae ad jus divinum non pertinent. Praeterea N. etiam min. Apostoli enim saepe, ut dictum fuit in probatione, Episcopos et Presbyteros constituerunt populo non consulto.

DXXV. *Dices II.* S. Cyprianus Epist. LXVIII. ad Clerum et Plebem Asturicensem scribit: *Ipsa Plebs maxime habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut Sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico testimonio comprobetur. -- De traditione divina et Apostolica observatione observandum est et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit.* Ergo juxta S. Cyprianum populus jure divino habet jus suffragii. R. N. C. S. Cyprianus plebi tribuit potestatem eligendi more testis, non more Judicis. Per illa autem verba: *De divina authoritate descendere. De traditione divina servandum est*, non intelligit jus aut praeceptum divi-

num, sed exempla dumtaxat aliqua, in sacris litteris expressa, electionis factae, approbante ac suffragium ferente populo, ut patet I. ex eo, quia electionem Eleazari, Mathiae, et septem Diaconorum commemorat. II. Quia in eadem Epistola dicit, consensum plebis non ubique requiri in electionibus. Atqui si ille jure divino necessarius esset, in omnibus omnino provinciis, et ubique requireretur.

DXXVI. *Dices III.* Modus eligendi Pastores et ministros Ecclesiae, qui conformis est Ecclesiae Apostolicae et primitivae, est omnium optimus, et merito ab Ecclesia observandus. At modus eligendi Pastores et ministros Ecclesiae, accedente suffragio populi, est conformis Ecclesiae Apostolicae ac primitivae. Ergo. *Confirm.* Leges divinae et humanae prohibent, ne invitae Sponsae assignetur Sponsus. Ergo cum Episcopus sit Sponsus Ecclesiae, non debet invitae obtrudi, sed ejus expressus consensus, adeoque et populi suffragium accedat necesse est. R. I. N. M. universaliter sumptam. Multa secum refert tempus, et rerum status multa commutavit in melius. Olim pauci Christiani in aedes privatas conveniebant oraturi; nunc in Templum publicum et consecratum. Olim in coenis sumebatur Eucharistia; nunc a jejunis in Templo. Olim in nocturnis vigiliis cursitabatur ad sepulcra Martyrum, ac saepe multa flagitia committebantur sub umbra pietatis; nunc hoc vigiliarum genus sublatum est. Olim corpus Domini dabatur viris in manus, ut domi cum vellent sumerent: nunc mutata est in melius consuetudo etc. R. II. N. m. Quod hoc frequenter ab Apostolis observatum non fuerit, ostendimus Num. DXX. Ad *Confirm.* C. A. N. C. Ecclesia equidem sponsae, Episco-

pus sponso comparatur, non tamen ea ratione, ut in omnibus perfecta detur similitudo; alias sequeretur, nullum Parochum posse eligi, inconsulta rusticana plebe: item Apostolos jura divina et humana conculcasse, quando ad provincias et urbes primum convertendas miserunt Episcopos, quos, infidelibus non consultis, ordinaverant.

CONTROVERSIA IV.

AN ORDINATIO ET VOCATIO MINISTRORUM ECCLESIAE AD POPULUM PERTINEAT, VEL LAICOS?

Contra Protestantes.

DXXVII.

Ordinatio est sacra caeremonia, qua certo ritu initiantur et consecrantur Ministri Ecclesiae, quibus confertur potestas Ordinis et Jurisdictionis, sive consecrandi, et remittendi peccata. *Vocatio*, quae alio nomine *Missio* dicitur, est collatio Jurisdictionis spiritualis ad regendos et gubernandos in spiritualibus illos populos quibus quis praeficitur. Sic Apostoli missi fuerunt in omnem terram, quando omnes populi ac Gentes a Christo illis assignabantur. Duplex solet distingui vocatio sive missio, una ordinaria, et mediata, quae fit a Deo mediante consensu et cooperatione hominum: quo pacto Parochus, v. g. vocatur ex consensu Episcopi, Episcopus ex consensu Pontificis, et Papa ex consensu Cardinalium. Altera est immediata et extraor-

dinaria, quae absque hominum ministerio immediate fit a solo Deo. Atque hoc pacto vocati fuerunt in Lege veteri Moyses et Prophetae, in Lege Evangelica vero Apostoli. Missio extraordinaria evidenti aliquo miraculo, aut pluribus etiam, si opus sit, confirmanda est: quemadmodum etiam in missione humana nulli Commissario aut Legato fides adhibetur, sine authentico testimonio ejus a quo se missum perhibet. In veteri Lege Moyses, Elias etc. ut sacrae paginae referunt, innumeris miraculis extraordinariam suam missionem contestati sunt. In Lege Evangelica Apostoli innumeris linguis locuti sunt, daemonia saepe expulerunt, mortuos ad vitam revocarunt, omnia morborum genera curarunt, ut Marci Cap. XVI. dicitur: *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Quod etiam speciatim de se testatur Apostolus ad Rom. XV. v. 19. cum ait, se Gentibus Evangelium persuasisse *in virtute signorum et prodigiorum.* Quin ipse Christus, ut Divinitatem et missionem suam Judaeis demonstraret, insolubile a miraculis argumentum petiit. Joan. Cap. X. v. 32. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.*

DXXVIII. Lutherus et Calvinus docuerunt, potestatem ordinandi Ministros Ecclesiae ad omnes fideles, tam Pastores quam laicos, atque etiam foeminas pertinere: manuum impositionem necessariam quidem non esse; servandam tamen ob antiquissimum illius usum, ab Apostolis ad nos profectum: atque hunc ritum externum peragendum esse, non a plebe, sed vitandae confusionis gratia a solis Pastoribus, qui populi nomine et authoritate recens ordinato jurisdictionem tribuunt,

ac potestatem administrandi Sacramenta, et praedicandi Verbum Dei. Neque minus circa missionem ministrorum Ecclesiae ab illis erratum fuit. Lutherus, quantumcumque ferox ob novum suum, si Superis placet, Apostolatum, cum decimosexto defectionis suae anno visitationi Saxonicae se accingeret, fassus est ad munera Episcopalia, visitationem, correctionem etc. se nullam habere missionem, quae tamen omnino necessaria esset; atque ideo ad saecularem potestatem confugit, nimirum ad Saxoniae Ducem, quem teneri dicebat ex charitate denominare Visitatores aliquos. Ita nempe a novo hoc Evangelista usurpatio indebitae potestatis vocabatur exercitium charitatis. Idem *Lutherus* Comment. in Cap. I. Epistolae ad Galatas de certitudine vocationis suae haec scribit: *Cum autem Princeps, seu alius magistratus me vocat, tum certo et cum fiducia gloriari possum, contra diabolum, et hostes Evangelii, quod mandante Deo per vocem hominis vocatus sum. Est enim ibi mandatum Dei per os Principis, quod me certum reddit, vocationem meam esse veram et divinam. Sumus igitur et nos divina authoritate vocati, non quidem immediate a Christo, ut Apostoli, sed per hominem*, Principem scilicet, vel Magistratum saecularem.

DXXIX. *Conclusio I.* Potestas ordinandi non pertinet ad Laicos, id est, populum et Optimates. Prob. I. Authoritate Scripturarum praecipue novi Testamenti, in quibus numquam legitur Laicos hanc potestatem sibi arrogasse, aut usurpasse; saepe vero in illis dicitur, Apostolos hanc potestatem exercuisse. Sic soli Apostoli ordinarunt septem Diaconos; dicunt enim multitudini fidelium Act. Cap. VI. *Considerate ergo fratres viros ex*

vobis boni testimonii septem, quos constituamus super hoc opus: non dicunt, *Quos constituatis*. Act. Cap. XIV. Paulus et Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituerunt. II. ad *Timoth* Cap. I. Apostolus testatur, Timotheum manuum suarum impositione a se ordinatum fuisse Episcopum. II. Ex Traditione, ex qua habemus populum fidelem ab Apostolorum temporibus ad Lutherum usque et Calvinum numquam hanc potestatem sibi arrogasse. III. Presbyteri ipsi non habent potestatem ordinandi Ministros Ecclesiae, ut sequenti Controversia ostendemus. Ergo multo minus eam habent Laici.

DXXX. *Dices I.* Laici omnes sunt Sacerdotes. Ergo possunt Ministros Ecclesiae ordinare. P. A. II. ad Cor. Cap. III. dicitur: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* II. ad Galat. Cap. III. v. 28. *Non est servus, neque liber, non est masculus, neque foemina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Ergo nulla datur differentia inter Episcopum et laicum, virum et foeminam in ordine ad consecrationem ministrorum Ecclesiae. III. I. Petri II. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* R. I. N. C. Quamvis daretur, omnes esse Sacerdotes; ex eo tamen minime evincitur, omnes idem jus habere, quod Episcopi, nimirum manus imponendi, ut sequenti Controversia ostendemus. R. II. N. A. Ad I. *probat.* R. Apostolum l. c. non loqui de omnibus, sed de se aliisque Apostolis praedicationis sociis. Ad II. Loquitur ibi Paulus de gratia habenda, et gloria consequenda, non vero de gradu et potestate in Ecclesia Christi. Unde cum mulier possit

habere tantam gratiam, et tantam gloriam attingere, quantam potest habere vir; sequitur quod nulla sit differentia inter masculum et foeminam, quantum ad gratiam et gloriam, non vero quantum ad ministerium exercendum in Ecclesia. Ad III. S. Petrus l. c. non loquitur de quolibet fideli seorsim spectato, sed de toto coetu fidelium, in quo plures dantur Sacerdotes; neque enim omnes fideles sunt gens sancta, et populus acquisitionis. Praeterea quilibet fidelis dici potest Sacerdos in aliquo sensu, nempe mystico. I. Quia omnes fideles cum vero Sacerdote in Missae Sacrificio Christum offerunt aeterno Patri. II. Quia spirituales hostias offerunt, dum sacrificium laudis Deo immolant corde contrito atque humiliato, Deo gratias agendo pro acceptis beneficiis, extollendo ejus misericordiam etc. Omnes itaque fideles sunt Reges et Sacerdotes, sed mystici, de quibus S. Leo M. Serm. III. in die anniversario Assumptionis suae ad Pontificatum scribit: *Omnes in Christo regeneratos Crucis signum efficit Reges; Sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes. Quid enim tam regium, quam subditum Déo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Deo conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?*

DXXXI. *Dices II.* Potest quis habere regiam potestatem ante coronationem. Ergo etiam potest aliquis esse Sacerdos, quamvis non ordinetur ab Episcopo. II. Baptismus valide confertur a quocumque. Ergo etiam Ordinatio. III. Episcopus excommunicatus et depositus potest valide ordinare. Ergo multo magis id possunt fideles pii, quamvis laici; cum incredibile sit in tali Episcopo plus potestatis esse in ordinandis Ecclesiae mi-

nistris, quam in probis laicis. R. ad I. Populus potest potestatem politicam, quam habet, transferre in Principem electivum etiam ante coronationem. Contra potestas Ordinis confertur ex voluntate Christi per ipsam manuum impositionem, vel collationem Ordinum. Ad II. Christus liberrime voluit Sacramentum Baptismi a quolibet valide, atque etiam licite in casu necessitatis conferri, adhibita legitima materia, forma et intentione, quia Sacramentum illud maxime necessarium est singulis ad salutem. Contra idem Christus noluit Sacramentum Ordinis a quocumque valide conferri. Neque in iis rebus, quae a sola voluntate Christi pendent, alia disparitas dari aut exigi potest. Ad III. R. iterum, C. A. N. C. cum ratione addita. Ecclesia, optima interpres voluntatis Christi, et incorrupta Traditionum divinarum depositaria, Ordinationes factas ab Episcopis excommunicatis et depositis habet pro validis quidem, sed tamen illicitis; eas vero, quae fiunt ab illis, qui characterem non habent Episcopalem, semper execrata est tamquam illicitas et omnino invalidas.

DXXXII. *Conclusio II.* Vocatio, missio, seu collatio Jurisdictionis spiritualis et Pastoralis, non pertinet ad Laicos, sive ad populum et Optimates. Prob. I. Ea potestas a Christo tradita est solis Apostolis, eorumque Successoribus. *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. Cap. XX. Hancque soli Apostoli, eorumque successores semper exercuerunt. Ergo populus non potest dare quod non habet. II. Potestas vocandi, et conferendi Jurisdictionem spiritualem est stricte Ecclesiastica, atque independens a potestate ci-

vili. Ergo laici non habent hanc potestatem. Vide dicta. Num. CCXLI.

DXXXIII. *Conclusio III.* Missio Lutheri et Calvini, omniumque Ministrorum Ecclesiae Protestanticae non est legitima. Prob. speciatim de missione Lutheri. Missio Lutheri neque fuit ordinaria, neque extraordinaria, neque partim ordinaria et partim extraordinaria. Ergo nullo modo est legitima. P. A. quoad I. partem. Si fuit ordinaria, vel collata illi fuit a populo et Principibus saecularibus, vel a Pastoribus Ecclesiae, praecipue quando Sacerdotio inauguratus est. Atqui haec potestas collata illi non fuit a populo aut Principibus saecularibus; quia nemo potest dare quod non habet: neque etiam collata illi fuit ab Episcopo, vel primariis Ecclesiae Pastoribus. P. m. I. Ipse Lutherus Lib. de instituendis Ministris Ecclesiae ad Senatum Pragensem, ait, Sacerdotium Papisticum non esse verum Sacerdotium, sed larvam et figmentum. Ergo ex tali Sacerdotio Lutherus evincere nequit, missionem suam fuisse legitimam. II. Juxta Lutherum ejusque sectatores, Ecclesia Catholica saeculo XVI. non erat vera Ecclesia Christi. Ergo non habuit potestatem mittendi veros ministros, quia haec potestas non nisi verae Ecclesiae data est. III. Quamvis Lutherus ab Episcopo Catholico in Ordinatione sua acceperit potestatem consecrandi, et absolvendi a peccatis, numquam tamen accepit potestatem exercendi illud ministerium, quod post defectionem suam a fide Catholica exercuit, nimirum impugnandi Ecclesiam Catholicam, abrogandi Missam, complura Sacramenta abolendi, tollendi jejunia, et vota Monastica. Ergo hanc potestatem non habuit, vel si habuit, a quo eam accepit?

Prob. quoad II. partem. Quicumque hactenus vel in veteri, vel in novo Testamento a Deo immediate et extraordinarie missi sunt, missionem suam plurimis miraculis comprobarunt, ut Moyses, Elias, Prophetae, Apostoli etc. et qui id facere non poterant, pro impostoribus habebantur. At vero Lutherus nullo prorsus ostento missionem hanc suam umquam confirmavit. Ergo pro impostore habendus est. Quod si Protestantes objiciant, Joannem Baptistam extraordinarie a Deo missum fuisse ad baptizandum et praedicandum, quin ille missionem suam aliquo miraculo confirmarit; R. Tametsi sanctissimus Christi Praecursor nullum miraculum edidisse legatur; Deus tamen multis ostentis illius sanctitatem, vocationem et missionem testatus est. Apparuit enim Angelus, annuntiavitque Zachariae prodigiosam illius conceptionem: repletus fuit Baptista Spiritu Sancto ab utero Matris, in quo exultavit adveniente Virgine: Pater ejus, antea mutus, nato puero viva voce prophetavit, multaque alia contigere, ob quae vicini stupore defixi dicebant Lucae Cap. I. v. 66. *Quis, putas, puer iste erit?* Accedebat summa vitae sanctitas, et austeritas toti Judeae nota: accedebant miracula Christi, quae commendabant eum, qui Christo testimonium perhibuerat, dicens: *Ecce Agnus Dei.*

Prob. quoad 3.tiam partem. Non potest dici, quod Lutheri missio fuerit partim ordinaria, partim extraordinaria. Superius enim ostendimus, Lutherum neque ab hominibus legitimam potestatem habentibus, neque ab ipso Deo vocatum fuisse ad reformandam Ecclesiam. Quare unus fuerit ex illis necesse est, de quibus Jeremiae Cap. XXIII. v. 21. dicitur: *Non mittebam*

prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.

DXXXIV. Quod de Luthero diximus, aliisque Protestantibus, qui ante defectionem suam a fide Catholica ab Episcopo Catholico Sacerdotio inaugurati sunt, multo magis dicendum est de illis, qui non fuere ab Episcopo Catholico legitime ordinati; et de Calvino, qui gloriatur foetido Papistarum oleo se inquinatum non fuisse: nimirum illorum vocationem nec extraordinariam esse, quia eam nullo evidenti signo ac miraculo possunt comprobare: nec ordinariam, quia eam non accepere a Praelatis Ecclesiae, penes quos solos residet tamquam in fonte Jurisdictio Ecclesiastica, et a quibus solis communicari potest. Ideoque quid de Protestanticae Ecclesiae ministris sentiendum sit, ex verbis Christi perspicue dignoscitur Joannis Cap. X. v. 1. *Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* Vide *Martinum Becanum* in Manuali Controversiarum Lib. I. Cap. XII.

CONTROVERSIA V.

AN EPISCOPI JURE DIVINO SINT PRESBYTERIS SUPERIORES?

Contra Aerium, Waldenses, Wickleffum, Protestantes.

DXXXV.

Aerius Arianus Presbyter, testibus *S. Augustino* Lib. de Haeresibus Cap. LIII. et *S. Epiphanio* Haer. LXXV, dolens, se praeterito, alium electum fuisse Episcopum, se ipsum solaturus Arianae impietati aliam addidit, docens, nullum discrimen esse Presbyterum inter et Episcopum, paremque esse amborum dignitatem et honorem. Eamdem insaniam insanierunt Waldenses, Petri Waldonis Mercatoris Lugdunensis sectatores, et Joannes Wickleffus Anglus Presbyter, Episcopali anthoritati perquam infensus, quod Vigorniensem in Anglia Episcopatum consecutus non fuerit. Hinc furor ille, quo in Episcopos bacchatus est, asserens, Confirmationem Juvenum, Clericorum Ordinationem, locorum consecrationem reservari Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, cum omnia haec etiam a Presbyteris praestari possent. Wickleffi errorem ratum habuit *Lutherus*, qui in libello contra falsa nomina ita scribit: *Episcopi sunt introductae larvae Papales, quae solum ad veritatem opprimendam creatae sunt, sicut et creator ipsorum. Ideo deleri debet Episcoporum regimen, et devastari Episcopatus.* Et Lib. de Captivit. Babylon. *Omnes quotquot baptizati sumus, et quilibet*

laicus potest Ecclesias consecrare, pueros confirmare etc. Neque intra verba tantum stetit Lutherus, sed etiam inaudito ausu aggressus est Nicolaum Ambsdorffium discipulum suum ordinare Episcopum Naumburgensem in Saxonia, donans illi, virtute missionis suae extraordinariae, characterem quem ipse non habebat. Joannes Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. IV. pariter negat, Episcopum dignitate, honore et potestate majorem esse Presbyteris. Eamdem sententiam totis viribus propugnat improba et seditiosa Puritanorum colluvies in Anglia, cui tum in civilium communitatum Principes, tum in Ecclesiasticos Magistratus, id est, Episcopos, inveteratum et implacabile insitum est odium, quod saturari non videtur posse, nisi iis penitus extinctis. Haereticam hanc insaniam libris editis confirmare conati sunt duo prae reliquis celebres Calviniani, David Blondellus, et Claudius Salmasius sub ementito Messalini Wallonis nomine, quem tamen luculenter omnino confutavit Dogmaticae Thelogiae parens ille, *Dionysius Petavius* Aurelianensis, quinque libris de Ecclesiastica Hierarchia. Caeterum Aerii errorem, a Novatoribus Saeculi XVI. ab inferis denuo excitatum, solemni Decreto proscripsit *Tridentina* Synodus, quae Sess. XXIII. Can. VI. de Sacramento Ordinis ita statuit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris; anathema sit.* Et Can. VII. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem --- anathema sit.*

DXXXVI. Alii Episcopatus hostes nostris temporibus exorti sunt, nempe Janseniani, quibus scrupulum non movent Tridentina Decreta, aut Pontificum, Constitutiones. Quando callidissimis his novatoribus sermo est de Episcopis comparate ad Pontificem Romanum, tum enimvero in depraedicanda et extollenda Episcoporum potestate omnes moderationis et aequitatis limites excedunt, ac quaestiones movent non ad aliud aptas, quam ad collidendos Episcopos cum Pontifice, Episcoporum aeque ac Romani Pontificis hostes jurati. Tot apud illos sunt Monarchae, quot Episcopi, tot Ecclesiae independentes, ac Romano Pontifici non obnoxiae, quot Episcopatus. At vero quando illis sermo est de Episcoporum dignitate simpliciter et sine comparatione, liberas linguae et calamo habenas permittunt, munus Episcopale suae dignitatis gradu dejiciunt; idque non divinae institutioni, sed humanis tantum consiliis et rationibus originem suam debere cum Calvino affirmant. Episcopum, ajunt, non nisi simplicem esse fidei Ecclesiae suae testem, aut Legatum, cui id muneris demandatum est, ut hoc vel illud in Ecclesia sua credi testetur. Presbyteros, praesertim illos, qui animarum curam exercent, v. g. Parochus et Curiones, perfecte Episcopis aequant ex eo capite, quod Episcopi in Apostolorum, Curiones in septuaginta duorum Discipulorum locum suffecti sint; nec Jesus Christus inter jura et potestatem, quam Apostolis, et illam quam Discipulis largitus est, discrimen ullum statuerit. Ex quo inferunt I. Parochos et Curiones esse Pastores Ecclesiae, et Jesu Christi Vicarios, aeque ac Papa et Episcopi. II. Presbyteris illis injuriam fieri, cum a ferendo, pari cum Episcopis jure,

in Conciliis de doctrina judicio excluduntur. III. Sententiam Episcopi, qui Presbyterorum suorum renuit consilia, et suo arbitrio aliquid statuit, nulla Episcopali authoritate praeditam esse, nullamque ad obstringendos fideles vim ac pondus habere. IV. Episcopum in nulla Parochia suae Dioecesis, nisi fiat illi prius a Parocho potestas, seu per se ipsum, seu per alios ullam functionem obire posse. Atque hae sunt artes, quibus Presbyteros adversus Episcopos suos concitare, atque incautos sectae suae adjungere conantur Janseniani, oblata vana quadam Episcopatus specie animarum Rectoribus. Verum exploratum est omnibus, qui mysterium iniquitatis norunt, non nisi fumos vendi a sycophantis. Janseniani enim authoritatem Ecclesiae, quam Romano Pontifici et Episcopis adimunt, non concedunt Presbyteris, quos paulo ante ad Episcopale solium evehere videbantur, sed ad ipsos laicos transferunt. Populus enim, juxta horum mentem, authoritatem hanc Romano Pontifici Episcopis et Presbyteris confert, atque ideo eam penes populum residere pronuntiant. Populum volunt vere ac proprie Ecclesiam esse, cui datae sint claves a Christo; Pastores vero esse caput ministeriale, sive administros Ecclesiae vel populi.

DXXXVII. Antequam statuantur Conclusiones, observo, Episcopos triplicem habere potestatem. Prima est potestas Ordinis, vi cujus non tantum ipsi Sacrificium peragere, verum etiam alios, qui id peragant, aut peragentibus ministrent, nimirum Sacerdotes, Diaconos, aliosque ministros ordinare possunt, et Sacramenta perficere, praecipue Ordinis et Confirmationis. Altera est potestas Jurisdictionis internae, seu in foro conscientiae, qua peccata remittere vel retinere possunt,

juxta illud Joan. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Tertia est potestas Jurisdictionis externae, in foro exteriori, vi cujus Episcopi jus dicunt in subditos, etiam invitos, dirigendo illos, atque censuris etiam, aliisque spiritualibus poenis, si opus fuerit, in illos animadvertendo. Quaeritur jam, an Episcopi sint jure non modo Ecclesiastico, sed etiam divino, Presbyteris superiores, tam potestate Ordinis quam Jurisdictionis?

DXXXVIII. *Conclusio I.* Episcopi sunt Presbyteris superiores potestate Ordinis, et quidem Jure divino. Prob. Soli Episcopi jure divino, et vi suae Ordinationis, ordinant Episcopos, Presbyteros, et ministros Ecclesiae. Ergo Episcopi sunt jure divino Presbyteris superiores, potestate Ordinis. P. A. I. Authoritate Scripturarum, ex quibus constat, solis Apostolis, eorumque successoribus Episcopis collatam fuisse a Christo, atque ab ipsis exercitam potestatem creandi Ecclesiae ministros. Sic Apostoli Act. VI. Diaconos septem, a multitudine fidelium electos; per manuum impositionem ordinarunt. Act. XIV. Paulus et Barnabas per singulas Ecclesias constituerunt Presbyteros. Paulus tres ordinasse Episcopos in Scripturis dicitur, Timotheum Ephesiorum, Titum Cretensium, et Epaphroditum Philippensium. Timotheo et Tito, tamquam Episcopis, declaravit in suis Epistolis, quibusnam manus imponere, hoc est, quosnam Episcopos aut Presbyteros ordinare deberent, nimirum viros sanctitate conspicuos. Ergo cum soli Apostoli, eorumque Successores Episcopi hanc potestatem exercuerint, legitime infertur, eam solis Episcopis a Christo fuisse concessam. Prob. II. Ex constanti Ecclesiae praxi, cujus probe conscius No-

vatianus saeculo III., facto schismate, a tribus Episcopis rudibus et temulentis, eoquod aliorum copia non esset, Episcopus inaugurari coluit, ut scribit *S. Cornelius* Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum. Prob. III. Authoritate antiquorum Canonum, Patrum, et Conciliorum. Canones qui dicuntur *Apostolorum*, quamvis non Apostolici, antiquitate tamen sua venerandi, statuunt Can. I. *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur; Presbyter ab uno Episcopo; item Diaconus, et reliqui Clerici.* Concilium Alexandrinum sub S. Athanasio, in Epistola ad omnes Episcopos, cum probare vellet, quemdam nomine Ischyram, cujus calicem ab Athanasio confractum fuisse criminabantur Eusebiani, numquam fuisse Sacerdotem, id ex eo evincit; quod Ischyras non ab aliquo Episcopo, sed a Collutho Presbytero fuerit ordinatus. *Unde*, inquiunt Patres, *Presbyter est Ischyras, aut a quonam ordinatus? Utrum a Collutho? Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum fuisse, et omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque quos ille in schismate ordinaverat, ad laicorum gradum redactos notum est, nec ulli omnino dubium. Quomodo ergo privatus homo, et privatam domunculam incolens, mysticum credatur habere poculum?* S. Epiphanius Haeresi LXXV. Aerii errorem vocat *dogma supra hominis captum, furiosum et immane.* Ac dein subjungit: *Episcoporum Ordo est ad gignendos Patres, nam Ecclesiae Patres, id est, Sacerdotes progignit. At Sacerdotum Ordo, cum nequeat Patres progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Ecclesiae. Quomodo enim posset Patres progignere, potestate carens manuum impositionis?* S. Hieronymus Epist.

LXXXV. ad Evagrium. *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Concilium Hispalense II. A. 619. irritam judicavit esse Ordinationem, in qua Presbyter formam Ordinationis pronuntiavit, dum Episcopus, qui prae oculorum dolore legere non poterat, manus imponebat ordinandis. *Quamvis cum Episcopis*, inquiunt Patres Hispalenses Cap. VII., *plurima illis* (Presbyteris) *mysteriorum communis sit dispensatio; quaedam tamen auctoritate Legis, quaedam novellis et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut Presbyterorum, et Diaconorum, ac Virginum consecratio etc.*

DXXXIX. *Conclusio II.* Episcopi sunt Presbyteris superiores etiam potestate Jurisdictionis, et quidem Jure divino. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Scripturae totam regendi, judicandi, leges statuendi, excommunicandi refractarios potestatem Episcopo tribuunt, non autem Presbyteris, nisi ubi Episcopi ultro in societatem consiliorum et regiminis assumere voluerint Collegium Presbyterorum. Ergo jure divino, sive ex voluntate Christi, Episcopi sunt Presbyteris superiores potestate Jurisdictionis. P. A. I. ad Timoth. Cap. V. v. 1. scribit Apostolus: *Seniorem ne increpaveris.* Et v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.* Quae verba expendens S. Epiphanius Haer. LXXV. adversus Aerium scribit: *Quid attinebat Episcopo* (Timotheo) *vetare, ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret? Quare deinceps admonet, Adversus Presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus? Non alicui ex Presbyteris praecepit, ut accusationem contra Episco-*

pum non admitteret, aut Episcopum non objurgaret. Epist. ad Titum Cap. I. v. 5. soli Tito, quia Episcopus erat tribuitur potestas corrigendi et ordinandi in Insula Creta. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Christus Dominus legitur in Evangelio Apostolos suos in primo dignitatis gradu collocasse, septuaginta vero discipulos in secundo; solis enim Apostolis dixit Joan. Cap. XX. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Atqui unanimis est Patrum sententia, Episcopos Apostolis, Presbyteros vero Discipulis succedere. Ergo. —

DXL. Prob. II. Ex facto Apostolorum. Ipsi Apostoli in primariis Civitatibus, ut Romae, Antiochiae, Alexandriae, Ephesi, Jerosolymis etc. constituerunt Episcopos, quorum successio ad multa saecula fuit propagata: Atque ex hac ipsa successione Episcoporum invictum contra Haereticos argumentum depromunt S. Irenaeus, Tertullianus, Eusebius etc. Ergo Episcopi illi ab Apostolis constituti, praeter eminentiam honoris, habuerunt etiam eminentiam authoritatis et jurisdictionis, sine qua dioecesis ab uno recte gubernari non potest.

DXLI. Prob. III. Authoritate Patrum. S. Ignatius Martyr, Apostolorum discipulus, in Epist. ad Ephesios scribit: *Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia, ut et Episcopi per terrae terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chordae cytharae.* In Epist. ad Magnesianos. *Hortor vos in Dei*

concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco et Presbyteris loco Senatus Apostolici. In Epist. ad Trallianos. *Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi: et Episcopum ut eum, qui est figura Patris, Presbyteros autem ut consessum Dei, et ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.* In Epist. ad Smyrnaeos. *Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, et Presbyterorum Collegium ut Apostolos; sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia. - - - - Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo praestat obsequium.* Ita genuinae Ignatii Epistolae, quas Vossius ex codice Medicaeo descripsit. Praeter S. Ignatium praeeminentiae Jurisdictionis Episcopalis testes sunt. *S. Irenaeus* Lib. III. adv. Haer. Cap. III. *S. Cyprianus* in variis Epistolis, *S. Epiphanius* Haer. LXXV., qui testatur Aerium inter haereticos numeratum fuisse, quod Presbyteros Episcopis pares esse assereret.

DXLII. Prob. IV. Ex constanti et nunquam interrupta praxi Ecclesiae. Concilia omnia, tam Generalia quam particularia, celebrata fuerunt a solis Episcopis: et si quando cum Episcopis Praesbyteri sederunt in Concilio, non suo, sed Episcoporum absentium nomine, quos repraesentabant, vel ex legitima consuetudine ac privilegio sederunt ut v. g. Cardinales non Episcopi, et Generales Ordinum. Atqui in Conciliis maxime exercetur Jurisdictio Ecclesiastica, quia ibi le-

ges conduntur, et poenae contra transgressores statuuntur. Ex quo conficitur, jurisdictionem Ecclesiasticam non in Presbyteri, sed in Episcopis residere. Et sane jurisdictio penes Principem residet, non penes subditos. Atqui Episcopi sunt Ecclesiae Principes, qui, ut paulo ante ex S. Ignatio M. audivimus, Christum Dominum ac Deum Patrem nobis exhibent: Presbyteri vero sunt subditi, qui parere debent Episcopis, sicut Apostoli Christo. Ergo. Caeterum Episcopos potestate Jurisdictionis Presbyteris superiores esse non jure tantum Ecclesiastico, sed etiam divino, ostendunt tum allatae rationes ex Scriptura et Patribus, tum decantata illa regula Augustiniana: Quod semper et ubique in Ecclesia fuit observatum, nec in ullo Concilio invenitur institutum, illud censeri debet esse institutionis Apostolicae et divinae. Atqui talis est praeeminentia dignitatis, et Jurisdictionis Episcopalis. Ergo.

OBJECTIONES.

DXLIII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Ordinatio a Presbyteris facta. Presbyteri possunt ordinare ministros Ecclesiae. Ergo Episcopi non sunt jure divino superiores Presbyteris potestate Ordinis. P. A. *Nicaenum I.* in Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, et Fratres Aegypti, Lybiae, et Pentapolis, iis qui a Meletio Episcopo schismatico Lycopoleos ordinati fuerant, nec tamen schismati adhaeserant, jus dat ordinandi et nominandi Clericos. *Illi autem, qui Dei gratia ad nullum schisma defecisse comperti sunt, et se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habeant et ordinandi, et eos qui Clero digni fue-*

rint nominandi. Ergo. R. D. A. Presbyteri possunt ordinare Episcopos, Presbyteros et Diaconos, N. A. Ministros Ecclesiae inferiores, subdist. Ex privilegio Romani Pontificis, et potestate extraordinaria, C. A. Vi ordinationis suae, et potestate ordinaria, N. A. et Conseq. Ad *probat.* R. Per jus ordinandi non intelligi a Nicaenis Patribus jus consecrandi, sed tantum suo suffragio eligendi, probandi, confirmandi ministros a populo electos et nominatos, etiam non expectata caeterorum de Clero approbatione et confirmatione.

DXLIV. *Dices I.* Clericis a Meletio ordinatis, qui, postquam schismati adhaeserunt, ad Catholicam Ecclesiam revertebantur, ademit Nicaenum jus ordinandi. Ergo jus ordinandi non significat jus suo suffràgio eligendi, sed consecrandi. P. C. Non est credibile, quod Nicaenum jus illud Clericis illis adimere voluerit, quod etiam Laicis concedebatur. Atqui jus eligendi suo suffragio Ministros Ecclesiae concedebatur etiam Laicis. Ergo Nicaenum noluit Clericis illis in schisma lapsis adimere jus eligendi. Ergo jus ordinandi idem est, ac jus consecrandi. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. ultimam conseq. Nicaenum Clericis illis in schisma olim lapsis non ademit jus eligendi, etiam laicis concessum; sed solum prohibuit, ne suo solo suffragio electionem Ministrorum Ecclesiae a populo factam approbarent ac confirmarent, non expectata aliorum Clericorum sententia: quod tamen facere poterant Clerici a Meletio ordinati, qui schismati non adhaeserant.

DXLV. *Dices II.* Ex Historia Ecclesiastica habetur, saepius Presbyteros ab àliis Presbyteris fuisse ordinatos. Ergo. P. A *Cassianus* Collat. IV. Cap. I. refert, quod Paphnutius Abbas Danielem discipulum ordinave-

rit primo Diaconum, deinde Presbyterum. *S. Gregorius Turonensis* Lib. X. Hist. Cap. XXXI. narrat, Turonenses, ejecto suo Episcopo Brictio, Justinianum ordinasse. *Theodoretus* Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XII. scribit, pulsis a Valente Imperatore Ariano e Sedibus suis Episcopis Catholicis, Clericos Orientis in viduatis Ecclesiis alios sibi ministros constituisse. R. N. A. Ad *probat*. R, nec Danielem a Paphnutio, nec Justinianum a Turonensibus, nec ministros Ecclesiae a Clericis Orientalibus proprie ordinatos, seu consecratos fuisse: sed tantum electos, designatos, praesentatos; sacram vero caeremoniam ab aliquo Episcopo peractam fuisse. Certe l. c. testatur *Theodoretus*, S. Eusebium Samosatensem Episcopum, cum multas Ecclesias Pastoribus privatas comperisset, sumpto militari habitu Syriam, Phoeniciam, ac Palaestinam peragrasse, Presbyteros, Diaconos, aliosque Ecclesiae ministros ordinasse.

DXLVI. *Dices III.* Chorepiscopi, licet Episcopalem characterem non habuerint, ordinabant tamen ministros Ecclesiae, etiam Presbyteros, saltem consulto prius et permittente Episcopo. Ergo. R. plures Chorepiscopos, non tantum per accidens, quia a Sede sua pulsi fuerant, vel ab haeresi ad Ecclesiam Catholicam redierant, verum etiam petentibus ac volentibus Episcopis, qui ob Dioecesium suarum amplitudinem ubique praesto esse non poterant, consecrationem Episcopalem habuisse, adeoque mirum non esse, quod Presbyteros etiam saepe ordinaverint. Veritas assertionis nostrae ex variis Ecclesiasticis monumentis comprobatur. Concilium Ancyranum, interprete Dionysio Exiguo, Can. XII. ait, *Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris Civitatis, sine praecepto*

Episcopi vel litteris, in unaquaque Parochia aliquid imperare; nec sine authoritate litterarum ejus, in unaquaque Parochia aliquid agere. Antiochenum Can. X. *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, et ut Episcopi consecrati sint, tamen Sanctae Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores et Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istae sufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, praeter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.* S Isidorus Hispalensis Lib. II. de Officiis Ecclesiast. Cap. VI. de isdem Chorepiscopis scribit: *Hi in vicis et villis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas; Presbyteros autem et Diaconos ordinare non audeant, praeter conscientiam Episcopi, in cujus regione praeesse noscuntur.* Verum haec de aliquibus tantum, non de omnibus Chorepiscopis dicta volumus; constat enim complures eorum simplices fuisse Presbyteros, nullo Episcopali charactere insignitos, quorum officium erat, in vicis et regionibus, quibus praesidebant, invisere parochias, et non plebem solum, sed et ipsos Parochos, et Clericos inferiores in officio continere, disciplinae et Decretorum Synodalium observationi invigilare, et Ordines Diaconatu minores conferre. Caeterum Chorepiscopi nono exeunte saeculo, aut certe circa medium saeculi X., ubique abrogati fuerunt in Occidente, ac paulo post etiam in Oriente, magna utriusque Ecclesiae consensione, tum ob turbas ab eis excitatas; tum ad ex-

sutiendam Episcoporum desidiam, qui reditibus temporalibus Episcopatuum contenti, Sacerdotii onera in Chorepiscopos passim rejiciebant.

DXLVII. *Dices IV.* Simplices Presbyteri et Abbates possunt, juxta gravium Theologorum sententiam, ex privilegio Romani Pontificis conferre Diaconatum et Presbyteratum. Ergo Episcopi non sunt jure divino Presbyteris superiores potestate Ordinis. P. A. *Innocentius VIII.* A. 1489. concessit Abbati Cisterciensi potestatem conferendi Monachis suis Diaconatum. Ergo. *Confirm. Eugenius* in Florentino, in Decreto pro Armenis ait, ordinarium Ministrum Ordinis esse Episcopum. Ergo supponit simplicem Presbyterum, ex concessione Apostolica esse posse ministrum Ordinationis extraordinarium. R. 1. N. C. Episcopi habent potestatem ordinandi Presbyteros et Diaconos, ut Ministri ordinarii, ac vi Ordinationis suae; simplices vero Presbyteri et Abbates, si verum foret, quod in antecedente affirmatur, eam potestatem haberent ex Apostolico privilegio, non vi Ordinationis suae, et tamquam ministri extraordinarii. Ergo verum est, quod Episcopi, vi Ordinationis suae, sint Presbyteris superiores potestate Ordinis. R. II. N. A. Quamvis Joannes Morinus, aliique pauci id asserant, Vasquius vero dubitare videatur, communissima tamen est Theologorum sententia, eum qui Episcopalem characterem non habet, non posse esse ministrum etiam extraordinarium Diaconatus et Presbyteratus, nec validam fore ipsius etiam Romani Pontificis concessionem. Ratio est, quia Scriptura divina et traditio Ecclesiae non alium assignant eorum Ordinum ministrum, quam solum Episcopum, et nulli alteri umquam legitur talis facultas concessa, quacumque urgente necessitate. Hinc

a divina omnino institutione pendere merito censendum est, quod Diaconatus et Presbyteratus a nemine alio, quam ab Episcopo conferri possint. Ad *probat*. R. Privilegium illud, quantum ad Diaconatus collationem attinet, incertae omnino authoritatis esse, rejicique a Turnelio, Sylvio, Hallerio, aliisque viris doctissimis. Certe Bulla illa nec in Bullario Romae edito invenitur, nec in publicis monumentis, quibus Pontificum Constitutiones referuntur; ipsique Cistercienses Abbates praetenso illo privilegio numquam sunt usi. *Benzonius* Lib. II. de Jubilaeo Cap. XXIII. refert, Sacram Cardinalium Congregationem Concilii Tridentini Interpretum Anno 1592. declarasse, eam fuisse Innocentii VIII. mentem, ut Abbates Cistercenses cuilibet Antistiti Catholico rite promoto facultatem dare possent ordinandi Monachos sibi subditos, etiam absque Ordinarii consensu. Ad *Confirmat*. C. A. D. C. Posse esse ministrum extraordinarium aliquorum Ordinum, nempe minorum, et Subdiaconatus, quae non sunt verum ac proprie dictum Sacramentum, C. C. Diaconatos et Presbyteratus, N. C. Quod si dicas, Presbyteros ex privilegio Pontificis posse esse ministros extraordinarius Sacramenti Confirmationis, modo utantur chrismate ab Episcopo consecrato. Ergo etiam Sacramenti Ordinis. R. N. C. Prius illud Presbyteris quibusdam concessum fuisse a S. Gregorio M, aliisque Romanis Pontificibus, atque in Ecclesia Orientali jam a multis saeculis in morem transiisse, certum atque indubitatum est: At vero ratum aliquando habuisse Ecclesiam Diaconatum vel Presbyteratum ab aliis quam ab Episcopis collatum, nullo solido argumento evinci potest. In his autem, quae a sola volun-

tate Christi instituentis pendent, infirmum est argumentum, quod a paritate ducitur.

DXLVIII. *Dices V.* Simplices Presbyteri manus imponunt Sacerdotibus ordinandis. Ergo sunt saltem comministri Ordinis cum Episcopo. *Confirmat.* Qui potest majus, potest et minus. Atqui Presbyteri possunt quod est majus, nempe Eucharistiam conficere, et absolvere a peccatis. Ergo etiam possunt quod est minus, nimirum ordinare Diaconos et Presbyteros. R. C. A. N. C. Impositio manuum, quam adhibent Presbyteri, non est Sacramentalis, ut vel ex eo patet, quod nulla verba proferant; sed mere caeremonialis, ad demonstrandam fraternitatem et consensionem, quam cum Presbyteris de novo consecratis ineunt. Huic ritui apud Graecos respondet salutatio, quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis de novo consecratis exhibent. Ad *Confirmat.* D. M. Qui potest majus in eodem genere, potest etiam quod est minus, C. M. Qui potest majus in diverso genere, N. M; alias sequeretur, quod Sacerdotes possent etiam mortuos suscitare, cum istud longe minus sit, quam Eucharistiam conficere, vel peccatores absolvere a peccatis.

DXLIX. *Dices VI.* Presbyteri possunt consecrare Episcopos. Ergo multo magis ordinare possunt alios Presbyteros. P. A. *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus, Scriptor saeculi X. circa Annum 936. in Chronico suo Arabico, quod Latinum dedit nobis Joannes Seldenus Anglus, testatur, praeter Alexandrinum Antistitem in tota Aegypto nullum exstitisse Episcopum usque ad Demetrium, cui in Alexandrina Cathedra successit Heraclas circa Annum 234.: ideoque Alexandrinus Episcopos a Presbyteris suis fuisse consecratos. R. N. A. Ad

probat. ajo, Eutychium Patriarcham Schismaticum nullam prorsus hac in re mereri fidem. Est enim omnino incredibile, quod D. Marcus, qui Alexandrinam Cathedram pluribus annis tenuit, Apostolos imitatus non fuerit plures ordinando Episcopos in Aegypto. II. *Tertullianus* initio libri contra Valentinianos testatur, quod Valentinus Aegyptius novam haeresin invexerit, aegre ferens alium in Episcopatu sibi praepositum fuisse. III. Alexander Alexandrinus Episcopus, annis circiter LXX. post mortem Demetrii, teste *Socrate* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. III., ad omnes totius Orbis Episcopos scripsit: *Nos quidem una cum Aegypti ac Lybiae Episcopis, prope centum numero, in unum congregatis, tum ipsum* (Arium) *tum eos, qui illi adhaeserunt, anathemate perculimus.* Incredibile autem est, intra annos LXX. adeo in Aegypto increbuisse Episcoporum numerum, si quidem usque ad Demetrium, vel Heraclam nulli extitissent. IV. Nullus omnino Scriptorum primis X. saeculis, ante Eutychium, rem tam insolitam et infrequentem memoriae prodidit. V. Vicinae Aegypto regiones, Palaestina et Africa saeculo II. et III. Episcopis abundabant, ut vel ex solis Cypriani Conciliis Charthagine habitis manifeste dignoscitur. Vide hac de re *Bollandianos* Tomo V. Junii in praevia Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum, qui referunt, Abrahamum Echellensem Maronitam, Arabicae linguae peritissimum, in suo Eutychio vindicato Romae edito saepius malam fidem interpretis, Joannis Seldeni Puritani, accusasse. Ubi enim legendum erat *Constituere*, quod Presbyteris convenire poterat semper Seldenus vertit *Creare*, quod iis nequaquam competit. Caeterum fabulam illam Eutychii, quod B. Marcus duodecim

Presbyterorum Collegium instituerit, jusseritque non alium, quam unum ex duodecim Alexandrinum Antistitem creari, apertae falsitatis arguunt tum Scriptorum omnium per X. omnino saecula silentium, tum aliquorum opposita authoritas. Certe ex Chronico Orientali constat Anianum Successorem Marci ab ipso Marco ordinatum fuisse. Verba Chronici sunt: *Constituit* (Marcus) *Anianum Episcopum Alexandriae, et cum eo tres Presbyteros, et Diaconos septem.* Severus autem Historiae Patriarchalis collector S. Agrippinum saeculo II. non a Presbyteris illis duodecim, sed a populo electum fuisse tradit.

DL. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ad Philippenses Cap. I. dicitur: *Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus.* Ergo cum Apostolus per Episcopos intellexerit Presbyteros, nullum est illos inter et Episcopos discrimen, saltem quoad potestatem Jurisdictionis. II. Act. Cap. XX. v. 28. Paulus majores natu Ecclesiae Ephesinae ita alloquitur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo Presbyteri simplices eamdem habent jurisdictionem, quam Episcopi. R. ad I. C. A. N. C. Dico enim nomine Episcoporum intelligi etiam Presbyteros, non quod dignitatem et characterem Episcopalem habuerint, sed quod gubernarent cum Episcopo Philippensem Ecclesiam, quamvis illi subordinati. Ad II. N. C. Nam I. congrue ac verisimiliter dici potest, quod Paulus convocaverit Episcopos vere tales ex vicinis locis, ut scribit S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer. Cap. XIV. *In Mileto convocatis Episcopis et Pre-*

sbyteris , qui erant Ephesi , et in maximis civitatibus , dixit etc. Dici potest II. etiam Presbyteros vocari Episcopos , non quod Episcopalem characterem habuerint , sed quia ab Episcopis in partem sollicitudinis Pastoralis vocati erant , sine quorum consilio nullum gravius negotium ab Episcopo gerebatur , quamvis origo et fons regiminis in sola Episcopo esset. Cum igitur Episcopi nomen Inspectorem ac Visitatorem significet, poterat hoc nomen etiam Presbyteris illis concedi. Et quemadmodum ex eo, quod olim Episcopi *Papae* dicti fuerint, non evincitur paris illos fuisse potestatis cum Romano Pontifice: ita ex eo, quod Presbyteri dicti fuerint Episcopi, minime sequitur, eos aequales fuisse Episcopis proprie talibus. Dici potest III, cum Scriptura sumi debeat in sensu proprio, probabilius Ephesi, atque in celeberrimis Civitatibus plures fuisse primis Ecclesiae temporibus Episcopos vere tales, qui eamdem administrabant Ecclesiam unanimi consilio et authoritate, prout etiam Romae contigit, cujus eodem tempore Episcopi fuerunt Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Petro tamen subordinati. Ut enim observat *Petavius* in Dissertation. Ecclesiasticis Lib. I. Cap. II., primis statim Ecclesiae, temporibus Presbyteri omnes vel plerique eorum sic ordinabantur ab Apostolis, ut Episcopi pariter ac Presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod cum Religio Christiana progressionem in dies faceret, perque Civitates et populos propagaretur, opus fuerit paratam esse copiam Episcoporum, qui ad urbes et provincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur, ut ea, quae a solis Episcopis administrabantur, praestare possent: cujusmodi sunt Clericorum Ordinatio per manuum im-

positionem, Confirmationis Sacramentum, et alia quaedam, quae simplices Presbyteri non attingebant.

DLI. Neque dicas, ex Scriptura potius colligi, paucos ab Apostolis fuisse ordinatos Episcopos, eo quod Samaria inclyta Civitas, Jerosolymitanae aemula, et in ipso Judaeae confinio sita, nullum habuerit peculiarem Episcopum; cum necesse fuerit ad eam mitti Petrum et Joannem, ut munus obirent Episcopale, ministrando Sacramentum Confirmationis. Respondeo enim, eo tempore Apostolos omnes in Judaea versatos fuisse, eosdemque nondum terrarum orbem inter se praedicatione illustrandum partitos fuisse: hinc nondum opportunum tempus Apostolis visum esse plures creandi Episcopos pro locis vicinis, cum ipsi praesenti tunc necessitati abunde sufficerent. At vero, dispersis per orbem Apostolis, alia via Ecclesiae consulendum erat, pluresque in celeberrimis urbibus creandi erant Episcopi, quos necessitate exigente jam paratos, et regendae Ecclesiae jam assuetos, populis ad Christum recens perductis praeficerent. Paulo post tamen, viventibus adhuc Apostolis quibusdam, cum refrigescente charitate contentiones et rixae populum inter et Episcopos exortae essent, in remedium schismatis, unum aliquem e numero Presbyterorum eligi placuit, qui praeesset reliquis: atque ita desiere pari non solum dignitate, sed etiam Ordine ac potestate plures creari, translata in unum tam honoris, quam functionis praerogativa, ut colligitur ex Cap. II. Apocalypsis B. Joannis, in quo scribit septem Angelis, id est, totidem Ecclesiarum Episcopis, singulis singillatim: ac perpetuae successiones Episcoporum in plerisque civitatibus splendidioribus, memoriae ab antiquissimis, et fide dignissimis Scriptoribus proditae, id te-

O 2

stantur, quarum exordium ab ipsis primis Christianae Religionis temporibus deducitur.

DLII. *Objicitur III.* Authoritas S. Hieronymi, qui in Caput I Epistolae ad Titum scribit: *Idem est ergo Presbyter, qui et Episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabatur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.* II Eodem loco pergit S. Doctor. *Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate Presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* III. Epist. LXXXV. ad Evagrium scribit: *Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Presbyteri Episcopum nominabant: quomodo si Exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent.* Ergo juxta Hieronymum nulla erat prioribus Ecclesiae temporibus Episcopi consecratio. IV. In eadem Epistola superbiam damnans Diaconorum Romanae Ecclesiae, qui cum essent Aerario Ecclesiastico praefecti, impensius a populo colebantur, atque ideo supra Presbyteros se extollebant, scribit: *Audio quem-*

piam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos, quis patiatur, mensarum et viduarum minister ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur?

DLIII. Antequam ad textus illos in objectione adductos respondeam, observo I. B. Hieronymum clare asserere, Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores potestate Ordinis. Nam eadem illa Epist. LXXXV. ad Evagrium scribit: *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Et in Dial. contra Luciferianos asserit, ad solos Episcopos pertinere jus dandi Spiritum Sanctum per Sacramentum Confirmationis, et quidem ex institutione Christi. *Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.* Observo II. B. Hieronymum clare docuisse, Episcopos esse superiores Presbyteris etiam potestate Jurisdictionis. In Dialogo enim contra Luciferianos scribit, Episcopos supremos esse Sacerdotes, in quibus summa residet potestas: *Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam, et ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes.* Utrum vero Hieronymus existimarit Episcopos superiores esse Presbyteris potestate Jurisdictionis, jure divino, an ex Ecclesiastica tantum institutione, graves authores dubitant. Quidquid tamen Hieronymus senserit, certe ab Aerii errore remotissimus fuit, qui docebat Presbyteros aequales esse Episcopis potestate Ordinis et Jurisdictionis, spectata institutione Christi; male autem fecisse Ecclesiam, quod majorem Episcopis

potestatem concesserit, quam Presbyteris. Mihi multo probabilius videtur, a B. Hieronymo praeminentiam Jurisdictionis Episcopalis assertam fuisse ex ipsius etiam Christi institutione. Ratio id dicendi petitur I. ex Epist. LXXXV. ad Evagrium, in qua scribit S. Doctor: *Ut sciamus Traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus, atque Levitae in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, et Presbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia.* Ergo cum Episcopos comparet cum Aarone, Presbyteros cum filiis Aaron, et Diaconos cum Levitis, et Aaron jure divino fuerit illis superior potestate jurisdictionis, idem omnino affirmare videtur etiam de Episcopis. II. Comment. in Cap. III. Epistolae ad Titum ait, Episcopum similem esse Moysi, Presbyteros LXX. Senioribus: In Epistola vero ad Marcellam: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent.* Atqui Moyses et Apostoli jure divino erant superiores. Ergo etiam Episcopi.

DLIV. His praemissis, R. ad I. B. Hieronymi textum, eumdem esse Presbyterum, qui et Episcopus, non quoad characterem et Ordinem, sed quoad functionem administrandae et gubernandae Ecclesiae. Etenim in primordiis Ecclesiae Presbyterorum Collegium, ex Episcopi consensu et voluntate, ac potestate communicata, Ecclesiam gubernabat, leges decretaque sanciebat, poenas infligebat; ita ut nemo unus suopte nomine, et authoritate illa praestaret, sed in commune omnia, deque totius Collegii sententia fierent. Hanc autem potestatem non habebant Presbyteri vi Ordinationis suae, sicut eam Episcopus habet, sed ex mera delegatione, et libera voluntate Episcoporum. Ad II. R. verbis illis id solum innuit Hieronymus, Episcopos partim institutione divina

majores esse Presbyteris, scilicet quoad primariam et radicalem institutionem Jurisdictionis Episcopalis, quae ex ratione sua tendit ad regendos fideles: partim ex consuetudine Ecclesiae, quae ad tollenda schismata mutavit disciplinam, decrevitque, ut deinceps ad solum Episcopum, excluso Presbyterorum Collegio, Ecclesiae cura pertineret. Recole dicta priore Numero. Ad III. R. Comparationem a S. Doctore non institui circa ritum inaugurationis Episcopi, et Archidiaconi, vel Imperatoris, sed circa ipsam electionem. Sicut nimirum ex militibus Imperator, ex Diaconis Archidiaconus: ita olim ex solo ordine Presbyterorum assumebatur a Presbyteris, qui consecraretur in Episcopum. Caeterum quod B. Hieronymus agnoverit, Presbyterum in Episcopum electum indigere nova consecratione, patet ex eadem Epistola LXXXV. ad Evagrium, in qua agnoscit in Episcopo potestatem ordinandi Sacerdotes, et Ecclesiae ministros, quam non habet Presbyter: ad quam proinde obtinendam non sufficit consecratio Presbyteralis, sed requiritur alia a Christo instituta, nimirum Episcopalis, sine qua non potest aliis communicari potestas conficiendi corpus et sanguinem Domini, et absolvendi a peccatis. Ad IV. R. sicut ad I. Nimirum Presbyteros fuisse Episcopos, non quoad characterem, sed nuncupatione et regimine, quamvis fons et origo regiminis in solo esset Episcopo. Ea quippe moderatio primis Ecclesiae temporibus in Episcopis erat, ut in commune bonum omnia cum Sacerdotum coetu gererent, neque his inconsultis Praesules quidquam aggrederentur. Eadem responsione solvuntur, quae Blondellus, aliique novatores nobis opponunt ex Primasio, Sedulio, S. Isidoro, Ven. Beda, Alcuino, Amalario, et Hincmaro.

O 4

DLV. *Dices. I. S. Hieronymus* Epist. LXXXV. ad Evagrium arguit superbiam Diaconorum Ecclesiae Romanae sui temporis, aitque Presbyteros sui temporis praeponendos esse Diaconis, eoquod Presbyteri non tantum in primitiva Ecclesia, sed etiam aetate Hieronymi sint Episcopi. Ergo. II. Presbyteros esse Episcopos probat ex eo, quod in primitiva Ecclesia non alius ad Episcopatum promotus fuerit, quam ex Ordine Presbyterorum. Ergo exclusit a Presbytero in Episcopum electo necessitatem novae consecrationis; alias etiam Diaconi vocari possent Episcopi, quia quandoque ex Ordine Diaconorum evecti sunt ad Episcopalem Cathedram, ut v. g. S. Athanasius Alexandrinus. III. Episcoporum institutionem, ait in Comment. in Cap. I. Epist. ad Titum, factam fuisse ad sedandas turbas tempore schismatis Corinthiaci. Ergo juxta Hieronymum institutio Episcoporum non est juris divini, sed Ecclesiastici. Ergo Episcopi non jure divino, sed Ecclesiastico sunt Presbyteris superiores. R. ad I. D. A. Eoquod Presbyteri sint Episcopi quoad characterem, N. A. Quoad potestatem jurisdictionis, si haec ipsis ab Episcopo communicetur, prout olim factum erat, C. A. N. C. Ad II. N. C. Idcirco Presbyteri vocabantur Episcopi, quia cum Episcopo gubernabant Ecclesiam communi consilio; non vi Ordinationis suae, sed vi potestatis libere communicatae, et ab Episcopo dependentis, in quo solo erat fons potestatis: et quia, mortuo Episcopo, jus habebant eligendi Episcopum. Contra vero Diaconi, cum fuerint in ordine Ministrorum, hoc jure carebant, nec Ecclesiam cum Episcopo gubernabant. Ad III. N. A. Hieronymus nusquam scripsit, Episcopos fuisse ab Apostolis institutos occasione schismatis Corinthiaci; sed tantum occasione illius curam

Ecclesiae totam solis Episcopis demandatam fuisse. Optime enim noverat, ante schisma illud Corinthiacum, Jacobum Fratrem Domini Jerosolymorum Episcopum creatum fuisse, Petrum Antiochiae sedisse, et antequam discederet, Evodium suum in ea Sede Successorem ordinasse, Marcum Alexandriae Episcopum fuisse etc.

DLVI. *Objicitur IV.* Authoritas aliorum Patrum. S. Ambrosius Comment. in Cap. IV Epistolae ad Ephesios scribit: *Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat; quia primum Presbyteri Episcopi vocabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet. Denique apud Aegyptum Presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus.* II. S. Chrysostomus Hom. XI. in Caput III. I. ad Timotheum: *Inter Episcopum atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe et Presbyteris Ecclesiae cura permissa est, et quae de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe Ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Ergo juxta S. Chrysostomum Episcopi sola potestate Ordinis, non vero Jurisdictionis sunt Episcopis superiores. III. S. Augustinus Epist. LXXXII. alias XIX. ad S. Hieronymum scribit: *Quamvis enim secundum honorum vocabula, quae jam Ecclesiae usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit: in multis rebus tamen Augustinus Hieronymo minor est.* Ergo consuetudine tantum Ecclesiae Episcopus major est Presbytero. *Confirm. Michael Medina* Theologus Catholicus Lib. I. de sacrorum hominum origine et continentia, Cap. V. fatetur, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theophilactum, Oecumenium etc. idem cum Aerio sensisse. R. ad I. Authorem commentarii illius non

O 5

esse S. Ambrosium, sed Hilarium Diaconum Luciferianum, aut certe alium ignoti nominis, qui Ambrosiaster communiter appellatur, hominem nullius prorsus in Ecclesia authoritatis, cujus libri scatent erroribus. Ad II. N. C. Ex citatis verbis clare dignoscitur, S. Chrysostomum loqui de ea potestate, in qua Episcopi necessario et essentialiter superiores sunt Presbyteris, et quae nullo modo simplici Sacerdoti potest communicari, qualis est sola potestas ordinandi Diaconos, Presbyteros et Episcopos. At vero potestas jurisdictionis tam pro foro interno quam externo, non est ita agglutinata Episcopatui, ut communicari nequeat Presbyteris secundi ordinis, et saepe ab Episcopis, vel Romano Pontifice illis non communicetur. Atque ita explicandi sunt Theophilactus et Oecumenius, qui idem dicunt, quod Chrysostomus. Ad III. N. C. S. Augustinus non ait, characterem Episcopalem, sed nomen Episcopi ex usu Ecclesiae evasisse honoris titulum, cum ante Christiana tempora apud Gentiles nomen Episcopi fuerit tantum nomen officii, non autem honoris et dignitatis, sicut modo in Ecclesia. Ad *Confirm.* R. hanc Medinae assertionem fuisse inconsideratam, ac temerariam, maleque illum id circo audire apud Catholicos Doctores, Valentiam, Bellarminum, Petavium, Cabassutium etc.

DLVII. *Objicitur V.* Silentium *Tridentini*, quod Sess. XXIII. Can VII. de Sacramento Ordinis, definivit quidem Episcopos Presbyteris superiores esse, expresse tamen decidere noluit, quamvis complures ex Patribus id optarent, an Episcopi Presbyteris sint superiores jure divino. Ergo Concilium putavit eam superioritatem oriri ex jure tantum Ecclesiastico. R. C. A. N. C. Tridentinum satis mentem suam prodidit,

dum Canone VI. Anathema dixit illis, qui negaverint in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris. Si enim Episcopi non essent jure divino superiores Presbyteris, Hierarchia Ecclesiae non foret divina, sed Ecclesiastica ordinatione instituta. Caeterum Canone VII. noluit Concilium definire expresse, Episcopos Presbyteris superiores esse jure divino, I. ne disputatio de jure residendi iterum suscitaretur, an nimirum Episcopi praecepto divino, vel Ecclesiastico teneantur residere in suis Ecclesiis. II. Ne videretur aliquibus per hoc definire, quod Episcopis potestas jurisdictionis conferatur immediate a Christo, non autem, ut communior tenet sententia, immediate a Romano Pontifice. Vide Cardinalem *Pallavicinum* in Hist. Conc. Tridentini Lib. XVIII. Cap. XII. Quamvis vero hoc a Tridentino expresse definitum non fuisse fateamur, si non de fide, certa tamen et fidei proxima est ea sententia, quae docet Episcopos potestate Ordinis et Jurisdictionis esse *jure divino* Presbyteris superiores, ut satis ostendunt rationes, quas in probatione geminae Conclusionis adduximus.

DLVIII. *Objicitur VI.* Ratio. Presbyteri vi Ordinationis suae habent potestatem remittendi peccata, sive solvendi et ligandi. Ergo potestate Jurisdictionis non sunt inferiores Episcopis. R. D. A. Habent potestatem remittendi peccata radicalem, C. proxime expeditam N. A. et Conseq. Ut Presbyteri licite et valide remittere possint peccata in Sacramento Poenitentiae, requiritur approbatio Episcopi. Contra vero Episcopus vi Ordinationis suae acquirit potestatem regendi et gubernandi Ecclesiam, cui praeficitur, et quidem proxime expedi-

O 6

tam: potestque reservare sibi graviora quaedam crimina, a quibus nullus Presbyter, quamvis ab Episcopo approbatus, absolvere potest, nisi specialem ab illo id faciendi facultatem obtinuerit. Ergo Episcopus superior est quolibet Presbytero potestate jurisdictionis pro foro interno. Praeterea Episcopus jurisdictionem etiam externam exercet, leges ferendo Ecclesiasticas, excommunicando, etc. quam simplex Sacerdos non habet, nisi delegatam a suo Episcopo, vel Romano Pontifice.

CONTROVERSIA VI.

DE COELIBATU MINISTRORUM ECCLESIAE.

Contra Protestantes.

DLIX.

Primi contra Coelibatum Clericorum vexillum extulere Jovinianus Monachus Mediolanensis, ad finem IV, et Vigilantius Presbyter Gallus ad initium V. saeculi. Jovinianus, praeter alios errores, asserebat Virginitatem non praestare Matrimonio, ideoque fas esse, etiam post emissum castitatis votum, ad nuptias convolare: ipse tamen, teste *S. Augustino* Lib. de Haeres. Cap. LXXXII. uxorem ducere noluit: non quod majus se apud Deum meritum habiturum inde speraret, sed ne nuptiarum pateretur molestias. Vigilantius docuit, Clericos ordinandos non esse, nisi prius uxorem duxerint, ut cónstat ex *B. Hieronymo*, qui initio Libri contra Vigilantium scribit: *Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi*

sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint: nulli coelibi credentes pudicitiam, immo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur: et nisi praegnantes uxores viderint Clericorum, infantes de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Saeculo XIV. Joannes Wickleffus docere non erubuit, legem perpetuae continentiae Juri naturali, ac divino positivo contrariam esse: quem errorem Novatores saeculi XVI. adoptarunt, ad nuptias passim adhinnientes adeo, ut, quemadmodum observavit Erasmus Roterodamus, totum reformationis negotium ideo susceptum fuisse videatur, ut excucullentur Monachi quidam disciplinae religiosae impatientes, et matrimonio jungantur Sacerdotes: qui alias Comoediarum solet esse epilogus. Primus Sacerdotum uxorem publice ausus fuit ducere Andreas Carolostadius Archidiaconus Vittembergensis, Lutheri discipulus, cujus sacrilegas nuptias Vittembergenses Lutherani proprio Missae officio prosecuti sunt (hanc enim Lutherus nondum abrogaverat) quod impietatis et lasciviae impudentissimae monumentum ac trophaeum jure dixeris. In Missae illius introitu, ut referunt *Joannes Cochlaeus* in lib. de actis et scriptis Lutheri, et *Florimundus Raemundus* in Hist. de ortu ac progressu Haereseon Saec. XVI. Lib. II. Cap. VII. verba haec decantata fuere: *Dixit Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Oratio autem sive Collecta, fuit haec: *Deus, qui post tam longam et impiam Sacerdotum tuorum coecitatem, Beatum Andream Carolostadium ea gratia donare dignatus es, ut primus, nulla habita Papistici juris ratione, uxorem ducere ausus fuerit: da quaesumus, ut omnes Sacerdo-*

tes, recepta sana mente, ejus vestigia sequentes, ejectis concubinis, aut eisdem ductis, ad legitimi consortium thori convertantur. Per Dominum nostrum J. C. Filium tuum etc.

DLX. Paulo post, Anno 1525. Discipulum strenue secutus est Magister, Martinus Lutherus, annorum jam XLV, et uxorem duxit, Monachus Monialem Catharinam Boracam ex Nimicensi Monasterio profugam, quacum, accinente Hymenaeum Marte rustico, sacrilegas nuptias celebravit. Quae mens fuerit *Lutheri* de continentia Clericorum, et facta ostendunt, et libri ab eo scripti abunde testantur. Libro de servo arbitrio ait: *Quid carnalius, immo quid magis impium, sacrilegum et blasphemum dici potest, quam id, quod Hieronymus scribit: Viginitas coelum, conjugium terram implet.* Tomo V. Editionis Vittembergensis in Sermone de Matrimonio, quem Vittembergae habuit. *Ut non est in meis viribus situm*, inquit, *ut vir non sim, tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim. Rursum, ut in tua manu non est, ut foemina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas. Nec enim libera est electio aut consilium, sed res natura necessaria, ut marem foeminae, foeminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quo Deus ait: Crescite et multiplicamini, non est praeceptum, sed plus quam praeceptum divinum, puta opus, quod non est nostrarum virium vel ut impediatur, vel ut omittatur, sed tam est necessarium, quam edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno et excubiis intentum esse.* Et in Epist. ad Card. Albertum Archiepiscopum Moguntinum: *Nisi Deus miraculum faciat, et ex viro Angelum, non video quomodo sine offensa et ira Dei possit manere*

sine conjuge. Et horribile est, si absque uxore inveniatur in morte. Quid enim respondebit Deo interroganti. Ego te creavi marem, qui non solus, sed cum uxore debet esse: ubi tua uxor? Ita spurcissimus hic et salacissimus Evangelista. Joan. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XII. coelibatum Sacerdotum vocat *Sanctitatem foetidam*, et prohibitionem Matrimonii Sacerdotibus factam, *impiam tyrannidem, non modo contra Dei Verbum, sed etiam contra omnem aequitatem.* Sanctum Hieronymum ait, nimis luculentum perversi ingenii specimen edidisse, quod virginitatem matrimonio anteposuerit.

Ut praesens de Coelibatu Clericorum materia magis eliquetur, sex statuemus Conclusiones, quarum duae ultimae dumtaxat ad dogma pertinent, quatuor autem priores inter ipsos Catholicos patronos habent, et oppugnatores.

DLXI. *Conclusio I.* Coelibatus jure divino non est adnexus sacris Ordinibus. Ita communissima Theologorum et Canonistarum contrà Joan. Major, Turrianum, Thomam Waldensem. Prob. I. argumento negativo, quia id neque ex Verbo scripto, neque ex Verbo tradito sufficienter probari potest. II. positive. Si coelibatus jure divino esset adnexus sacris Ordinibus, Ecclesia justis de causis non posset dispensare, aut immutare coelibatus disciplinam. Atqui hoc est falsum, cum Ecclesia permittat Presbyteris et Diaconis Graecis usum matrimonii ante Ordinationem sacram contracti. III. Concilium *Tridentinum* prohibitionem Matrimonii Clericis factam non a jure divino, sed Ecclesiastico repetit, dum Canone IX. de Matrimonio anathema dicit illi, qui asseruerit, Clericos in sacris Ordini-

bus constitutos, *non obstante lege Ecclesiastica, vel voto*, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse.

DLXII. *Conclusio II.* Coelibatus Sacris Ordinibus adnexus fuit jure Ecclesiastico antiquissimo, jam inde ab Apostolorum temporibus; adeoque longe ante Siricii Pontificis tempora. Prob. Conclusio. Quod semper in Ecclesia observatum fuit, nec ab ullo Concilio legitur institutum, id censetur esse Apostolicae traditionis. Atqui coelibatus semper fuit statui Clericorum adnexus. Ergo coelibatus Clericorum est Apostolicae traditionis. P. min. I. Authoritate Scripturarum. Apostolus ad *Titum*. Cap. I. v. 7. et 8. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum etc., sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem*, id est, ab uxore abstinentem, quo sensu Apostolus vocem illam usurpavit I. ad Cor. VII. *Si non se continent, nubant.* Idem Apostolus pluribus locis implicite insinuat. II. ad Timoth. II. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* At quod negotium saeculare magis, quam opus conjugii? I. ad Cor. VII. v. 33. *Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* S. Hieronymus ex illo Apostoli loco I. ad Cor. VII. v. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, hoc instruit argumentum Lib. I. contra Jovinianum Cap. XIX. *Si Laicus, et quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in*

veteri Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, et vinum et siceram non bibebant, quae solent libidinem provocare.

DLXIII. Prob. II. Authoritate Patrum, qui ante Siricium scripsere. Origenes Hom. XXIII. in Lib. Numer. *Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt: unde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati.* Eusebius Lib. I. Demonstrat. Evangelicae Cap. IX. *Verumtamen eos, qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps se ipsos a commercio uxoris decet.* S. Cyrillus Jerosolimit. Catech. XII. *Decebat purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet a muliere: quomodo ipse Jesus e muliere prodiisset?* S. Gregorius Nyssenus Lib. de Virginitate Cap. ult. scribit, Sacerdotem *non obtemperare legi prohibenti*, qui nuptiali opere impurus sacrificium offert. S. Epiphanius, qui circa A. 371 Panarium suum scripsit, Haeresi LIX., quae est Catharorum sive Novatianorum, ait: *Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit: sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus. Quod in illis locis praecipue fit, ubi Ecclesiastici Canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, et Hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex Canonis authoritate fieri,*

sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere, ac connivere solet; ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur. Idem Haer. XLVIII. ait, Christum ipsum hujus disciplinae esse authorem, atque de ea Apostolos leges condidisse, et Canones. *Id quod Apostoli deinde honeste et religiose decreverunt per Ecclesiasticam Sacerdotii regulam.* S. Ambrosius Lib. de officiis Cap. ult. Sacerdotes alloquens asserit, inoffensum et immaculatum ministerium exhibendum esse, nec ullo *conjugali coitu violandum.*

DLXIV. Prob. III. ex Conciliis ante Siricium habitis. Concilium Eliberitanum, initio saeculi IV. in Hispania celebratum, Canone XXXIII. decrevit: *Placuit, in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios; quicumque vero fecerit ab honore Clericatus exterminetur.* Concilium Nicaenum I. Can. III. ita statuit: *Vetuit magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus illorum, qui sunt in Clero, introductam habere mulierem, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas mulieres, quae omnem suspicionem effugiunt.* Ubi nomine mulieris introductae uxor significatur, ut inferius patebit ex responsionibus ad objectiones.

DLXV. *Conclusio III.* Lex continentiae in Ecclesia non Latina tantum, sed etiam Orientali, saltem usque ad tempora fere Trullanae Synodi, comprehendebat Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, qui post Ordinationem nec novum conjugium, saltem sine dispensatione Episcopi, contrahere licite poterant, nec

jam ante contracto uti. Dicitur I. quod *licite* post Ordinationem novum matrimonium contrahere non potuerint; priusquam enim matrimonium post Ordinationem contractum ab Ecclesia irritaretur, quod primum saeculo XII. contigit, illicitum quidem erat, sed tamen validum. Dicitur II. *Saltem sine dispensatione Episcopi*, intelligendo id de solis Diaconis: in Ancyrano enim Concilio circa Annum 314. habito, Canone X. juxta versionem Dionysii Exiqui dicitur: *Diaconi quicumque, cum ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere; hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerunt, et susceperunt manuum impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio vel Clero cessare debebunt, laicam recipientes communionem.* Ex quibus verbis colligi videtur, licitum fuisse Diaconis, etiam post Ordinationem, novum contrahere matrimonium, si quidem in Ordinatione Episcopus cum illis dispensasset. Verum illud hic observandum est, Martinum Bracarensem in sua collectione Canonum Cap. XXXIX. longe aliter Canonum hunc Ancyranum legere, nempe ut extat apud Gratianum C. *Diaconus* Dist. XXVII. *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio; et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in Ordinatione tacuerit, et ordinatus fuerit, et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio, et vacet a Clero.* Dicitur III. Hanc disciplinam etiam in Ecclesia Orientali viguisse fere usque ad tempora Trullanae Synodi, quae CPoli in Trullo, seu palatio

Imperatoris habita est, saeculo VII. ad finem vergente. Circa illa tempora mos hic apud Graecos invaluit, exceptis Monachis, nullos Ecclesiae ministros ordinandi, nisi jam conjugatos. Ex una enim parte probe noverant Graeci, post Ordines licite non posse contrahi matrimonium: ex altera vero parte erronee ac perperam sibi persuadebant, continentiam esse suprà vires suorum Clericorum. Unde Synodus Trullana voluit quidem, ut Episcopi a consortio uxorum abstinerent; quoad Presbyteros autem et Diaconos, reprobans Canones Romanae Ecclesiae, statuit ne ab illis exigatur promissum de vitanda consuetudine uxorum, quas ante Ordinationem duxerunt. Et quamquam Trullana Synodus, utpote a Sergio Romano Pontifice reprobata, facultatem hanc Clericis suis dare non potuerit, matrimonio jam ante Ordinationem contracto utendi: licite nihilominus eam exercent Graeci, quia hunc ipsis morem Ecclesia Romana permittit, ut legitur etiam Constitut. LVII. Tomi I. Bullarii *Benedicti* XIV. Exigitur tamen in illa, ut Presbyter Graecus conjugatus, antequam Sacrificium Missae peragat, per hebdomadam, vel saltem per triduum ab uxore abstineat, declaraturque, Matrimonium post Ordines Subdiaconatus, Diaconatus, vel Presbyteratus contractum, irritum esse ac nullum.

DLXVI. Probatur jam Conclusio sic explicata speciatim de Ecclesia Latina I. Authoritate Pontificum. S. Siricius ad Himerium Tarraconensem Cap. VII. scribit: *Dominus Jesus, cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur: quia legem venit implere, non solvere; ideo Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare,*

ut in die judicii sine macula et ruga eam possit reperire. Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Levitae insolubili lege adstringimur, ut a die Ordinationis nostrae sobrietati et pudicitiae, et corda nostra mancipemus, et corpora: dummodo per omnia Deo nostro, in his, quae quotidie offerimus, Sacrificiis placeamus. Quibus verbis non novam legem condit Siricius, sed antiquam vindicat, quam ad ipsum Christum refert. Postea subjungit: *Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum: si quilibet Episcopus, Presbyter atque Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiae per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam.* S. Leo Magnus Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem Cap. III. *Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae Episcopis atque Presbyteris. Qui cum essent laici, sive Lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad praedictos pervenerint gradus, coepit eis non licere, quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere, quo et salva sit charitas conjugiorum, et cessent opera nuptiarum.*

DLXVII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus Epist. L. scribit: *Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in aeternum pudici.* S. Augustinus Lib. II. de adulterinis Conjugiis Cap. ult. *Istos, qui virilem excellentiam non putant, nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis conjugiis haerendo*

pereant in aeternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. S. Isidorus Lib. II. de Offic. divinis Cap. X. *Placuit Sanctis Patribus, ut qui sacra mysteria contrectant, casti sint, et continentes ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia sint liberi.*

DLXVIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Carthaginense II., quod A. 390. sub Genethlio Episcopo Carthaginensi celebratum est, Can. II. statuit: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet ut in omnibus, et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.* Carthaginense V. A. 401. Cap. III. *Praeterea cum de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos et Presbyteros et Diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quid nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Caeteros autem Clericos ad hoc non cogi; sed secundum uniuscujusque Ecclesiae consuetudinem observari debere.* Idem praescribitur a Toletano I. A. 400. Can. I. ab Arausicano I. A. 441. Can. XII. XXIII. XXIV. ab Arelatensi II. A. 452. Can. II. a Turonensi I. A. 461. Can. I. a Venetico A. 465. Can. II. ab Agathensi A. 506. Can. IX. ab Arvernensi A. 595. Can. XIII. ab Aurelianensi III. A. 538. Can. II. ab Aurelianensi V. A. 549. Can. IV. a Turonensi II. A. 567. Can. XII. a Lugdunensi III. A. 583. Can. I. a Toletano VIII. A. 653. Can. V. et VI. a Toletano IX. A. 655. Can. X. aliisque.

DLXIX. Probatur etiam Conclusio speciatim de Ecclesia Graeca. Authoritate Patrum. S. Epiphanius in Expositione fidei Catholicae Cap. XXI. scribit: *Sacerdotium ex Virginum ordine praecipue constat, aut si minus ex Virginibus, certe ex Monachis, aut si minus ex Monachorum ordine; ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis vero nuptiis implicitus in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi, inquam, ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi gradu rejicitur.* S. Hieronymus, diu in Oriente versatus, in libro contra Vigilantium scribit: *Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti, et Sedis Apostolicae? quae aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* S. Chrisostomus Hom. II. de patientia Job. *Dixit unius uxoris virum, non ea ratione, ut id nunc in Ecclesia observaretur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.* Ergo apud Graecos, Sacerdotes et Ministri Ecclesiae ante Trullanam Synodum, vel potius antequam id ipsis a Romana Ecclesia permitteretur, uti non poterat matrimonio ante Ordinationem contracto.

DLXX. Probatur etiam altera pars Conclusionis, quod apud Graecos ministri Ecclesiae post Ordinationem numquam potuerint licite contrahere matrimonium. I, Authoritate Conciliorum. Concilium Neocaesariense circa A. 314. Can. I. statuit: *Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad poenitentiam redigi.* Trullana Synodus, praeterquam

quod Episcopis prohibuerit, ne matrimonio ante Ordinationem contracto utantur, Canone VI. ait: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui Ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyteri ordinetur, hoc faciat.* II. Ex Jure Caesareo. Novella XXII. Cap. XLII. *Sed et siquis inter reverendissimos constitutus Clericos (ultra Lectorem aut Cantorem dicimus) omnino contraxerit nuptias: hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus, atque volumus.* Et Novella CXXIII. Cap. XIV. *Si vero futurus Diaconus non habuerit uxorem, sicut prius dictum est, conjunctam sibi: non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus promiserit, posse post Ordinationem et sine legitima uxore honeste vivere: non valente eo, qui ordinat, in tempore Ordinationis permittere Diaconum, aut Subdiaconum post Ordinationem uxorem accipere. Is autem, qui permittit, Episcopus, expellatur ab Episcopatu. Si vero post Ordinationem Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus uxorem duxerit, expellatur a Clero, et curiae civitatis illius, in qua Clericus erat, cum propriis rebus tradatur.* Quamvis autem omnino fatendum sit, Justinianum hic pro more suo potestatis suae limites transgressum fuisse, eoquod ad Laicos Principes minime pertineat decernere de Matrimonio, praesertim personarum Ecclesiasticarum:

V

satis tamen colligitur, quae disciplina saeculo VI. in Oriente viguerit. Porro matrimonium post Ordinationem a Presbyteris, Diaconis, vel Subdiaconis contractum, quod prius erat solummodo illicitum, modo est etiam invalidum, ut statutum fuit in *Lateranensi* I. A. 1123. Can. XXI. Quod Decretum postea confirmatum fuit ab *Eugenio III.* in *Rhemensi* A. 1148. Can. VII. ab *Alexandro III.* in *Lateranensi III.* Can. VI, et *Tridentino* Sess. XXIV. Can. IX. de Sacramento Matrimonii.

DLXXI. *Conclusio IV.* Valde probabile est, etiam Subdiaconos semper in tota ferme Ecclesia adstrictos fuisse ad continentiam: Certum vero omnino est, saltem ab eo tempore, quo Subdiaconatus inter majores Ordines computatus est, eamdem legem etiam ad Subdiaconos in Latina Ecclesia fuisse extensam. Prob. I. pars Conclusionis, I. Authoritate Patrum. *S. Epiphanius* Haer. LIX. et in Expositione fidei Catholicae Cap. XX. quae loca adduximus Num. DLXIII. et DLXIX, id ipsum quod de Presbyteris et Diaconis, etiam de Subdiaconis dicit. *S. Leo M.* Epist. LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem scribit: *Ad exibendam perfectae continentiae puritatem, ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares.* S. Gregorius M. Lib. III. Epist. XXXIV. ad Leonem Catanensem. *De caetero fraternitas tua sit omnino sollicita, ut quos ad hoc jam officium* (Subdiaconatus) *contigerit premoveri, hoc quam maxime diligenter inspiciat, ne si uxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem Sedis Apostolicae eos cuncta observare, sua nihilominus distri-*

ctione constituat. Prob. II. Authoritate Conciliorum. *Eliberitanum* Canone XXXIII, praecipit omnibus Presbyteris, Diaconibus, et Clericis positis in ministerio, quos inter certe sunt etiam Subdiaconi abstinentiam ab uxoribus. Vide Num. DLXIV. Aurelianense IV. A. 538. Can. II. *Nullus Clericorum a Subdiacono et supra, qui uxores in proposito accipere inhibentur, propriae, si forte jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, Laica communione contentus, juxta priorum Canonum statuta, ab officio deponatur.* Toletanum VIII. A. 653. Can. VI. *Relatum est nobis, quosdam Subdiaconos, postquam ad sacri hujus Ordinis pervenerint gradum, non solum carnis immunditia sordidari, -- sed etiam, quod dictu quoque nefas est, novis uxoribus copulari: asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedictionem a Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omnium excusationum discisso velamine, id praecipimus observari, ut cum iidem Subdiacones ordinantur cum vasis ministerii, benedictio eis ab Episcopis detur, omni penitus ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remota. Quod si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub poenitentiae oneribus usque ad extremum vitae Monasteriis religandi.* Concilium Aquisgranense A. 816. Cap. VI. *Placuit Patribus* (Subdiaconos) *quia sacra mysteria contrectant, castos et continentes esse debere ab uxoribus.* Vormatiense A. 868. Cap. IX. *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi abstineant se ab uxoribus, et non generent filios.*

DLXXII. Dixi in Conclusione, valde probabile esse, quod Subdiaconi semper ad continentiam adstricti fuerint in tota ferme Ecclesia. De Graecis enim constat, eorum Subdiaconos post Trullanam Synodum usos

fuisse, atque etiamnum uti matrimonio ante Ordinationem contracto: immo abusum hunc in aliquas olim irrepsisse Ecclesias Patriarchatui Occidentis subjectas facile concedimus. Certum est, factitatum id fuisse a Subdiaconis Siciliae, quibus Pelagius II. Papa usum matrimonii ante Ordinationem contracti prohibuit. At S. Gregorius M. triennio post legem Praedecessoris sui mitigavit, sanxitque, ut Subdiaconis Siciliae uxores, quas ante Ordinationem duxerant, relinquerentur; Episcopi vero nullum deinceps Subdiaconum ordinare praesumant, nisi qui se victurum caste promiserit. Eadem corruptela in vicina Calabria invaluerat. Hinc S. Gregorius M. Lib. III. Epist. V. Bonifacio Episcopo Rhegiensi scripsit: *Subdiaconis tuis hoc, quod de Siculis statuimus, decernimus observari.* Cumque ad alias Occidentis Ecclesias nihil hac de re scripsit S. Gregorius, legitime infertur, continentiam in aliis Ecclesiis, more Ecclesiae Romanae, a Subdiaconis tunc fuisse servatam.

CLXXIII. Prob. II. pars Conclusionis. In Concilio Amalphitano II. A. 1089. Can. XII. dicitur: *Eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro Ordine removemus, officio atque beneficio Ecclesiae carere decernimus.* Idem statutum fuit in *Lateranensi I.* Oecumenico A. 1123. sub Callisto II, Can. III., in Rhemensi sub Innocentio II. A. 1131. Can. IV. *Hi, qui a Subdiaconatu, et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant: cum ipsi enim Templum Dei, vasa Domini, Sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, et dici, indignum est, eos cubilibus et immunditiis deservire.* In Lateranensi II. Oecumenico A. 1139. sub eodem Innocen-

tio II. Can. VI, et Rhemensi sub Eugenio III. A. 1148. Can. III. *Qui in Ordine Subdiaconatus, et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico beneficio careant.* Et quamvis forsitan Subdiaconi etiam post saeculum XII. in aliquibus locis matrimonium post Ordinationem contrahere attentarint, aut jam antea contracto usi fuerint, nequaquam sequitur hoc ipsis licitum fuisse, protestante semper per suos Canones Ecclesia.

DLXXIV. *Quaeres I.* An eadem lege continentiae adstricti fuerint etiam minores Clerici? R. variam circa hos fuisse Ecclesiae disciplinam. In Carthaginensi III. A. 397. Cap. XIX. statuitur, ut *Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Carthaginense V. A. 401. Cap. III. postquam de Sacris ministris ad continentiam cogendis pronuntiavit, de caeteris Clericis haec addit: *Caeteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiae consuetudinem observari debere.* Chalcedonense Oecumenicum A. 451. Can. XIV. testatur variam fuisse Ecclesiarum disciplinam circa continentiam inferiorum Clericorum. *Benedictus VIII.* in Concilio *Ticinensi* A. 1020. omnes prorsus Clericos, etiam minores, eadem continentiae lege adstrinxit. *Si*, inquit, *Sacerdotes Legis Mosaicae ad tempus Templo deserviebant, cur Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, et omnibus qui sunt in Clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge et verum est Sacrificium?* Modo autem, ita statuentibus *Alexandro III.* et *Innocentio III*, quia quamvis ordines minores deputentur ad aliqua spiritualia; non tamen immediate accessum habent ad tractanda sacra, Clerici etiam post susceptos minores or-

dines, gaudent adhuc libertate matrimonium contrahendi; immo gerentes habitum et tonsuram, contractis jam nuptiis, nisi bigami sint, fruuntur privilegio fori et Canonis ex concessione Bonifacii VIII, sub nova tamen per Concilium *Tridentinum* Sess. XXIII. Cap. VI. de Reformat. adjecta conditione, ut ex deputatione Episcopi alicui Ecclesiae inserviant. Quod si tamen minores ejusmodi Clerici matrimonium contrahant; amittunt beneficia, quae habent, ipso jure ante omnem sententiam Judicis, tenenturque restituere fructus a die conjugii perceptos, siquidem matrimonium illud valide inierint: insuper excidunt pensionibus, quae ipsis titulo Clericali fuerunt assignatae, et quibuslibet aliis juribus ad Beneficia Ecclesiastica, ad quae etiam in posterum consequenda redduntur inhabiles. Atque hanc privationem operatur matrimonium non tantum consummatum, sed etiam ratum. Ratio hujus Ecclesiasticae dispositionis est, quia non alia intentione aut conditione, quam coelibatus, beneficium Ecclesiasticum confertur, censeturque illi renuntiare, qui statum alium pugnantem cum Clericatu assumendo, conditionem non implet.

DLXXV. *Quaeres II.* An majoribus Ordinibus initiati obligentur ad continentiam immediate per praeceptum Ecclesiasticum, an vero per votum continentiae? R. probabilius eos obligari immediate per legem Ecclesiasticam. Ratio id dicendi est, quia lex Ecclesiastica sacris Ordinibus initiando, non obligat ad emittendum votum castitatis, sed eis ex motivo Religionis prohibet omnem actum venereum, et per Episcopum intimat eis incapacitatem contrahendi matrimonium, lege Ecclesiastica adnexam susceptioni Subdiaconatus. Proprie itaque ac stricte loquendo, Subdiaconatu initiandus non vovet,

saltem expresse et formaliter, continentiam; vult tamen suscipere sacros Ordines sub onere continentiam servandi, quam imponit Ecclesia ex motivo religionis. Jura autem significant votum continentiae adnexum esse sacris Ordinibus, quia Clerici majores eodem modo ad servandam continentiam obligantur, ac si expresse et formaliter continentiam vovissent: fornicando enim peccant tum contra castitatem, tum contra religionem, quia Ecclesia ex motivo religionis, ob excellentiam nempe Ordinis sacri, ad quem Subdiaconi promoventur, praeceptum tulit continentiae.

DLXXVI. *Conclusio V.* Lex continentiae nec juri divino naturali, nec positivo repugnat. Prob. tum negative, quia id a Protestantibus ostendi nequit, tum etiam positive. Ac I. quidem authoritate Scripturarum. Apostolus I. ad Cor. VII. v. 7. scribit: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum.* Hoc est, optarem, si fieri posset, ut omnes essetis coelibes, sine uxore, sicuti et ego sum. Atqui Paulus non potuit optare aliquid, quod juri divino naturali ac positivo contrarium est. Ergo. In eadem Epistola et Capite bona coelibatus describit Apostolus v. 8. *Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego.* v. 25. et seq. *De Virginibus autem proeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus se ab uxore? noli quaerere uxorem.* v. 32. *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo.* v. 34. *Mulier innupta, et Virgo, cogitat quae Domini*

sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem juri divino naturali et positivo contraria sunt, certe Deo non placent, nec ad sanctitatem manuducunt. v. 38. *Igitur et qui matrimonio jungit Virginem suam, benefacit: et qui non jungit, melius facit.* Ille autem melius non facit, qui jus divinum naturale et positivum violat. II. Ex traditione et praxi Ecclesiae, quae jam ab Apostolorum temporibus non alios elegit ministros, et mysteriorum dispensatores, quam Virgines, aut post Ordinationem continentes. Nullus autem sanae mentis somniabit, Ecclesiam universam turpiter ignorasse, quae jure divino naturali ac positivo prohibeantur. III. Authoritate Patrum, qui toti sunt in extollenda ac depraedicanda virginitate, praecipue S. Cyprianus, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, aliique. S. Cyprianus Lib. de Disciplina et habitu Virginum ait: *Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* S. Hieronym. in Lib. adv. Jovinianum. *Tantum est igitur inter nuptias et Virginitatem, quantum inter non peccare, et benefacere; immo ut levius dicam, quantam inter bonum et melius.* S. Ambrosius Lib. I. de Virginibus. *Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus authorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, Divinitas non est experta contagionem? Videte igitur, quanta Virginitatis merita sint.* IV. Exem-

P 4

plo Sactissimorum virorum, qui promissionum Christi memores Matth. Cap. XIX. v. 29. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*, perpetuam servarunt continentiam, vestigiis insistentes Christi Domini, B. Mariae Dei Genitricis, S. Joannis Baptistae, et Apostolorum, qui certe necesse non habebant a Protestantibus discere, quae juri divino naturali ac positivo opponantur.

DLXXVII. *Conclusio VI.* Lex continentiae ab Ecclesia convenienter justeque Sacris Ordinibus adnexa fuit. *Probatur* Conclusio enumerando justissimas causas, ob quas Ecclesia ministris suis continentiam imperavit. I. ratio est sanctitas Mysteriorum, quae ab Ecclesiae ministris peraguntur et dispensantur. Non enim decet, ut ad divinissimum Sacrificium se accingant Sacerdotes ab uxoriis amplexibus recens divulsi, atque ad immolandum aeterno Patri Agnum immaculatum ex conjugali thoro ad altare prorepant. Certe in veteri Testamento Sacerdotes in Templo per vices suas ministrare soliti, a domo et uxore toto eo tempore aberant, quo ministrabant in Tabernaculo, quemadmodum praeceperat Dominus Exodi Cap. XIX. v. 22. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur*, id est, ab uxoribus abstineant. Hinc S. Innocentius I. in Epist. ad Exsuperium Tolosanum scribit: *Quanto magis hi Sacerdotes et Levitae* (novae Legis) *pudicitiam ex die Ordinationis suae servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, quae vel a Sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacet.* Praeterea in veteri Lege licitum non erat

laicis comedere panem sanctificatum, nisi ab uxoribus abstinuissent, ut patet ex verbis Achimelech Sacerdotis ad David, I. Reg. Cap. XXI. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* Ergo multo magis haec abstinentia exigitur a Sacerdotibus, qui panem vitae, panem Angelorum quotidie conficiunt, et sumunt. In nova Lege Apostolus I. ad *Cor.* Cap. VII. v. 5. laicos conjugatos hortatur, ut ex consensu ad tempus se separent, et orationi vacare possint. Ex quo argumentum instruunt Patres pro continentia Clericorum. S. Epiphanius Haer. LIX. scribit: *Presbyter, et Diaconus, et Episcopus Deo penitus vacent. Nam si illis etiam, qui de populo sunt, id ipsum Apostolus praecepit, ut, inquit, ad tempus vacent orationi, quanto id magis Sacerdoti praescribit ? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur.* Et S. Siricius Epist. IV. ad Africanos Episcopos. *Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes videri; quanto magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiae puritate securus?*

DLXXVIII. II. ratio est, arduitas et numerus officiorum, quae totum hominem occupant. Sacerdotum est enim sacrificium offerre, orare, exhortari, ad concionem dicere, rudes instruere, Sacramenta ministrare, aegrotos invisere, curam pauperum habere etc. At qui vinculo conjugati constrictus est, nec idoneus, nec satis liber est ad haec officia, utpote sollicitus quomodo placeat uxori, domesticis curis ac saecularibus negotiis distentus, ut familiam suam in congruo statu collocet. III. ratio est, ineluctabile Ecclesiae damnum, quod ex conjugiis Clericorum oriretur. Nisi enim continentia sacris ministris praescripta foret, luride plerumque ac

perfunctorie sacra munia peragerentur, neque eo zelo propagandae gloriae divinae animarentur Sacerdotes, quem profligata multorum vita exigit. Langueret eorum authoritas apud populum, idque hodiedum contingeret, quod saeculo XI. temporibus S. Gregorii VII. et Henrici IV. Imperatoris in Germania contigisse *Nauclerus*, aliique memoriae prodiderunt, quibus tantus fuit Sacerdotum ad nuptias passim adhinnientium contemptus, ut Sacramenta frequenter a Laicis administrarentur. Praeterea nisi Ecclesiae ministri cum paupertate plerumque luctari vellent, non modo Ecclesiastici proventus ex beneficiis, sed ipsa etîam bona Ecclesiarum in rem familiarem ab illis absumerentur, et turpissima fieret rerum sacrarum nundinatio.

OBJECTIONES.

DLXXIX. *Objicitur I.* contra I. Conclusîonem. Apostolus ad Titum Cap. I. v. 8. scribit: *Oportet enîm Episcopum sine crîmine esse – – hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.* II. ad Timoth. Cap. II. v. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Ergo jure divino praecipitur Clericis continentia. *Confirm.* S. Epiphanius Haer. XL. S. Hieronymus in Apologia Lib. adv. Jovinianum, et S. Siricius in Epistola ad Himerium dicunt, continentiam fuisse ministris Ecclesiae ab Apostolis praeceptam. Ergo. R. C. A. N. C. Non omnia, quae in Epistolis Canonicîs Apostolorum, aut Sacris Scripturis continentur, sunt praecepta divina: alias etiam abstinentia a sanguine et suffocato, cujus maminerunt *Actus* Apostolorum Cap. XV. fuisset jure divino Chri-

stianis praecepta, ideoque ab Ecclesia, mutatis etiam temporum circumstantiis, abrogari non potuisset: Sed ea tantummodo censentur esse juris divini, quae Apostoli promulgarunt tamquam sibi a Christo tradita. Nullibi autem Apostolis insinuat, hoc esse praeceptum Christi, ut Clerici a nuptiali opere abstineant: nec Ecclesia, infallibilis Scripturarum interpres, ministrorum suorum continentiam ad jus divinum spectare judicavit, neminem alioqui ab hac lege exemptura. Ad *Confirmat*. D. A. Fuisse ab Apostolis praeceptam, tamquam Pastoribus Ecclesiae, per legem mere humanam et Ecclesiasticam, C. A. Tamquam praeconibus Evangelii, et Chri ti interpretibus, volentis ministros Ecclesiae obligare per legem divinam, N. A., et Conseq.

DLXXX. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Exemplum Apostolorum. Ipsi Apostoli habuerunt uxores, atque inter hos etiam Paulus, ut Clemens Alexandrinus Lib. III. Stromatum, et S. Ignatius Martyr Epist. ad Philadelphios testantur. Ergo dici non potest, quod jure Apostolico, seu per legem Ecclesiasticam ab Apostolis praescripta fuerit Clericis continentia. *Confirmat*. Apostolus I. Ad Cor. Cap. IX. v. 4. scribit de se et Apostolis Collegis suis. *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Ergo Apostoli retinuerunt uxores suas, quas prius duxerant. P. C. Mulier soror denotat uxorem. R. I. Ex Scripturis tantum constat, Petrum uxoratum fuisse, ut observat Tertullianus Lib. de Monogamia Cap. VIII. scribens: *Petrum solum invenio maritum per socrum; caeteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes*. Idem sentit S. Hieronymus

Lib. I. contra Jovinianum Cap. XIV. *Quamquam excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint. Et cum de uno scriptum sit, ac de caeteris tacitum, intelligere debemus eos sine uxoribus fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet.* Libro tamen de Scriptor. Ecclesiasticis Cap. XLV. docet, Philippum etiam Apostolum matrimonio fuisse junctum. *Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormivit Hierapoli, et duas filias ejus, quae Virgines senuerunt, et aliam ejus filiam, quae Spiritu Sancto plena in Epheso occubuit.* Paulum numquam uxorem habuisse, praeter ferme unanimem totius antiquitatis assensum, Clemente Alexandrino excepto, et ipsiusmet Apostoli verbis videtur colligi, I. ad Cor. VII. *Innuptis et viduis dico: Bonum est illis, si sic permanserint, sicut et ego.* Testimonium Ignatii Martyris quod attinet, Respondeo cum *Baronio* Tomo I. Annalium ad A. 57. nomen Pauli a posterioribus Graecis per fraudem insertum fuisse Epistolae ad Philadelphios; nam in Exemplaribus Vaticanis Sfortianis, aliisque antiquioribus nomen Pauli non reperitur. Clemens vero Alexandrinus, licet Paulum fuisse uxoratum scribat, diserte tamen addit, eum post conversionem suam ab uxore semper abstinuisse. R. II. verbis S. Hieronymi Lib. I. contra Jovinianum. *Petrus et caeteri Apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant. Qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium conjugale.* Idque manifeste colligitur ex illis Petri verbis ad Christum Matth. Cap. XIX. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Si omnia reliquerunt Apostoli: er-

go etiam uxorem, siquam habebant. Ad *Confirmat.* C. A. N. C. Ad *prob.* N. A. Mulier soror juxta Patres, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Isidorum Pelusiotam etc. non denotat uxorem, sed pias foeminas, aut matronas, quae sequebantur Apostolos, ut olim Christum; eisque de suis facultatibus subministrabant, quae necessaria erant, atque operam suam conferebant in istruendo sexu foemineo. Quare mulieres illae dictae sunt sorores eo sensu, quo viri in Actibus Apostolorum dicuntur *Viri fratres.*

DLXXXI. *Objicitur III.* Silentium Scriptorum II. saeculi, Justini, Athenagorae, Irenaei, qui nullibi mentionem hujus disciplinae faciunt, etiam quando commoda offerebatur occasio continentiam Clericorum depraedicandi, ad depellendam calumniam Gentilium criminantium Christianos, quod nocte, extincta lucerna, promiscua venere utantur. Ergo cum nullam Scriptores illi hujus continentiae Clericorum mentionem faciant, signum est, eam ab Ecclesia saeculo II. nondum fuisse sancitam. R. C. A. N. C. Calumniam omnibus Christianis impactam refellunt Scriptores illi pudicos Christianorum mores exponendo: neque Clericos singularis criminis postulabant Gentiles. Ergo non debuit a Justino, Athenagora, aut Irenaeo peculiaris fieri Clericorum mentio. Caeterum quamvis illi siluerint, non tamen silent Paulinae Epistolae, aliique Patres a nobis in probatione adducti.

DLXXXII. *Objicitur IV.* Authoritas Canonum et Conciliorum. Canon VI. Apostolorum ita statuit: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.* Ergo licitum erat illis ju-

re matrimonii uti. II. Synodus Gangrensis saeculo IV. habita contra Eustathianos, Manichaeorum progeniem, Canone IV. decrevit: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, et ab ejus oblatione ideo se abstinet, anathema sit.* Ergo saeculo IV. Presbyteri Orientalis Ecclesiae utebantur matrimonio. III. *Carthaginense V.* Canone III., ut referunt Patres Trullanae Synodi, statuit, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi abstineant ab uxoribus *in propriis terminis*, seu *in ordine vicis suae*, id est, eo tempore, quo sacris ministrabant. Ergo aliis diebus permissus erat illis usus uxorum. R. ad I. C. A. N. C. Sensum hujus Canonis, antiqui quidem, sed non Apostolici, explicavit Humbertus Cardinalis in libro contra Nicetam Pectoratum Graecum Episcopum: *Omnino confitemur, non licere Episcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam uxorem, causa religionis, abjicere a cura sua, sed ut ei victum et vestitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat.* Unde etiam S. Leo M. Epist. XCII. Ad Rusticum Narbonensem scribit: *De carnali fiat spirituale conjugium. Oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere: quo et salva sit charitas conjugiorum, et cessent opera nuptiarum.* Habebantur itaque ministris Ecclesiae post sacram Ordinationem non uxorum loco, sed sororum. Ad II. N. C. Gangrensis Synodus anathema dicit illi, qui communionem renuit accipere a Presbyteris, non actu habentibus uxorem, et cum ea maritali jure conversantibus, sed qui olim habuerunt uxorem. Eustathiani enim ab Eustathio quodam sic appellati, quem plures viri eruditi alium fuisse contendunt ab Eustathio

Sebasteno Episcopo, renuebant a tali Presbytero communionem accipere, quia illum ut profanum habebant, quod omnes nuptias tamquam ex se malas Manichaica protervia exsecrarentur. Ad III. Canon hic Carthaginensis Latinus male in Graecam linguam versus fuit, pessimeque adductus a Synedrino Trullano: non enim in eo Canone dicitur *in proprii terminis*, vel *in ordine vicis suae*, sed, *secundum statuta priora*, id est, juxta decreta priorum Conciliorum Carthaginensium, quibus absolute praecipiebatur Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, ut ab uxoribus abstinerent. Canonem III. Carthaginensis V. integrum adduximus Num. DLXVIII.

DLXXXIII. *Objicitur V.* Authoritas Patrum, et veterum Scriptorum *S. Basilius* scribit, solos Monachos emittere professionem coelibatus. II. *S. Epiphanius* Haer. LIX scribit, a Presbyteris et Diaconis in aliquibus locis liberos procreari. III. *Clemens* Alexandrinus Lib. III. Stromatum ait, admitti ab Apostolo ad Episcopatum unius uxoris virum, *seu Presbyter*, *seu Diaconus*, *seu laicus sit*, *utens matrimonio citra reprehensionem*. IV. *S. Athanasius* Epist. ad Dracontium asserit, Episcopos factos esse filiorum patres V. *Tertullianus* Presbyter Carthaginensis duos ad uxorem libros scripsit, quibus eam hortatur ad continentiam servandam. VI. *S. Cyprianus* Epist. XLIX. ad Cornelium data, inter scelera, quae Novato Carthaginensi Presbytero schismatico exprobrat, refert, quod uterum uxoris praegnantis calce percusserit. Ergo saeculo III. Presbyteris in Africa permittebatur usus conjugii; alioqui S. Cyprianus non modo immane hoc facinus, sed etiam intemperantiam et libidinem Novato exprobrasset. VII. *Socrates* Lib. V.

Histor. Eccles. Cap. XXI. scribit, in Oriente nulla lege Presbyteros fuisse coactos ad continentiam : immo quod Episcopi legitimos liberos procrearint. R. ad I. Quamvis Clerici olim non emiserint, neque hodiedum emittent professionem ac votum coelibatus, obligantur tamen ad servandam continentiam ex praecepto Ecclesiae, quae continentiam suis Clericis praescribit ex motivo Religionis. Ad II. Consuetudo ille, seu potius corruptela l. c. improbatur a S. Epiphanio, qui ait hoc fieri contra Canones. Locum illum S. Epiphanii adduximus Num. DLXIII. Ad III. Verba illa Clementis Alexandrini, *utens matrimonio citra reprehensionem* referuntur ad illos, quos antea immediate nominaverat, nimirum laicos, ita ut sensus sit, ab Apostolo admitti ad Episcopatum non tantum Presbyterum et Diaconum, sed etiam laicum unius uxoris virum, quacum vixerit in matrimonio sine reprehensione: sic tamen, ut post Ordinationem ab illa abstineat. Ad IV. R. S. Athanasium intelligendum esse de uxoribus ductis, deque filiis procreatis ante Episcopatum. Huncque sensum esse S. Athanasii ex eo colligitur, quod eodem modo de Episcopis, ac de Monachis loquatur. At certum est, nusquam permissa fuisse Monachis connubia, et rei uxoriae usum, ex quo monasticam vitam professi sunt: igitur nec Episcopis, ex quo sunt ad Episcopatum promoti. Ad V. R. incertum esse, an Tertullianus libros illos scripserit, posteaquam Sacerdotio initiatus fuit. Verum Clericus an laicus tunc fuerit, hortatus est libris illis Uxorem, juvenem adhuc et formosam, ut in proposito continentiae perseveraret etiam post mortem viri sui, repudiatis secundis nuptiis. Potuisset enim, pro disciplina illius saeculi Tertulliani uxor; quae con-

tinentiae propositum ante ipsius consecrationem amplexa fuerat, ad secundas nuptias post illius obitum convolare, cum nullo voto se obstrinxisset, sed simplex iniisset propositum servandae continentiae, quamdiu vir ejus esset superstes. Ad VI. R. Scelus illud Novati probabilius contigisse ante illius Ordinationem, fuisseque occultum: excitato autem schismate, cum diligentius in ejus vitam inquireretur, demum fuisse detectum. Ad VII. R. Falsa a Socrate narrari; siquidem et Canones Nicaeni, aliique Patres, praecipue S. Epiphanius Haer. LIX, et S. Hieronymus in libro contra Vigilantium, Socrate antiquiores, contrarium diserte testantur.

DLXXXIV. *Objicitur VI.* Exemplum veterum Episcoporum. *Synesius* ordinatus fuit Episcopus Ptolemaidis, licet profiteretur nolle se uxorem dimittere, nec a procreandis liberis cessare, ut ipse testatur Epist. CV. ad Fratrem data. *II. S. Gregorius Nyssenus* Lib. de Virgin. fatetur, se virginitatis laudem non habere. *III. S. Hilarius* Pictaviensis Episcopus, et S. Spiridion Tremituntinus in Cypro uxorem et liberos habuerunt. Constat pariter S. Paulinum Nolanum, Sidonium Apollinarem Arvenorum Episcopum, et juxta Pontium, S. Cyprianum Carthaginensem uxorem habuisse. R. ad I. Ex hac ipsa contestatione Synesii clare colligitur, licitum non fuisse Episcopis usum matrimonii; alias ut Episcopatum declinaret, non fuisset contestatus, se nolle ab uxore sua separari. Caeterum Synesius vere illud propositum non habuit utendi uxore, et procreandi liberos, cum Episcopus inauguratus esset; sed simulate egit, quasi in illa esset animi sententia, ut ea arte sese ab onere Episcopatus, quo se indignum existimabat, liberaret. Nec vero Ecclesiasticae disciplinae tam adversa

dumtaxat inculcavit; sed et quaedam fidei repugnantia sentire se finxit, nempe se de resurrectione, eo quo praedicabatur in Ecclesia Catholica modo facienda, dubitare. Sicut ergo verisimile non est, quod Synesius eo errore imbutus esset, ac resurrectionem non credens Episcopus sit inauguratus: ita nec par est existimare, ipsum vere fuisse in eo animi proposito, scilicet vacandi rei uxoriae, et procreandi liberos post susceptum Episcopatum, et illius tenacem propositi fuisse consecratum. Quare illud omnino statuendum est, Synesium simulate protestatum esse ad subterfugiendum onus Episcopale, ut colligitur ex illa ipsa Epistola CV. ad Fratrem: cumque nihil proficeret hac sua simulatione, et consecratus fuisset Episcopus, continentiam Ecclesiastica lege praeceptam servasse; nullus enim Scriptorum tradidit, eum in Episcopatu cum uxore commercium habuisse. Ad II. Ex verbis S. Gregorii Nysseni legitime quidem infertur, eum ante Ordinationem suam fuisse matrimonio conjunctum, non autem, quod post susceptos sacros Ordines procreandis liberis vacaverit. Ad III. eadem est responsio. Ultro admittitur: non virgines tantum, sed uxoratos etiam promotos fuisse ad sacros Ordines et Episcopatum; ita tamen ut post Ordinationem abstinere debuerint ab uxoribus: nec exempla allata plus probant, quam liberos ab illis susceptos fuisse ante Ordinationem. S. Cyprianum uxorem habuisse admittit quidem *Baronius* ad Annum 250; sed *Pagius* in Critica sua ad Annum 248. ostendit male ab eo Pontium, Scriptorem vitae Cypriani, intellectum fuisse. Paulinum et Sidonium Apollinarem uxorem in eadem quidem domo secum retinuisse constat, sublato tamen omni carnali commercio. Verum posterioribus temporibus, ob peri-

culum incontinentiae, neve sinistri aliquid suspicandi occasio daretur, decretum fuit ab *Aurelianensi IV.* A. 541. Can. XVII. *Ut Sacerdotes, sive Diaconi, cum suis non habeant communionem, lectum, et cellulam: ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur: quod qui fecerint, juxta priscos Canones ab officio regradentur.* Et a Lugdunensi III. A. 585. Can. I. *Placuit etiam, ut si quicumque uxoribus juncti ad Diaconatus aut Presbyteratus Ordinem quoquo modo pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana, debeant de uxoribus suis sequestrari.*

DLXXXV. *Dices.* S. Gregorius senior, Nazianzenus Episcopus, post inaugurationem suam Episcopalem filium genuit ex legitima sua uxore S. Gregorium Theologum, postea Episcopum Nazianzenum, ac dein CPolitanum. Theologus enim in carmine de vita sua Gregorium Patrem his verbis se alloquentem inducit: *Nondum tot anni vitae totius tuae, quot in sacris mihi sunt peracti victimis.* Vel ut alii magis ad litteram vertunt: *Nondum tantam emensus es vitam, quantum praeteriit mihi Sacrificiorum tempus.* R. N. A. Ratio id negandi est, I. Quia S. Gregorius Theologus in carmine de rebus suis, quod elucubravit A. 472. conqueritur de senectute sua: fuisset autem in eorum sententia, qui eum natum esse volunt A. 329., annorum tantum XLIII. sicque querimonia illa valde ridicula fuisset. S. Basilius etiam, Nazianzeno fere aequalis, sed tamen minor aetate, ut ex Epistola XXXIII. S. Gregorii Nazianzeni colligitur, tum alibi, tum etiam Epistola CCIII, quam scripsit A. 375., meminit de senectute sua, cum tamen XLVI. aetatis annum vix attigisset,

quod perabsurdum foret. II. Ex Oratione XIX. S. Gregorii Nazianzeni constat, Gregorium seniorem eo anno baptizatum fuisse, quo Nicaena Synodus habita est, nempe A. 325. dum aetatis suae annum numeraret LIV, S. Nonnam vero ejus uxorem paris fuisse cum marito aetatis. Atqui LIV. annorum aetas praecipue in foeminis, non videtur apta procreandae soboli. Ergo Nazianzenus natus est, non tantum ante Episcopatum, verum etiam annis aliquot ante baptismum Gregorii senioris. III. Eadem Oratione XIX, exponit Nazianzenus nativitatem suam, ac demum Matris Nonnae afflictionem, lacrymas, et suspiria ad Deum (erat enim Christiana) ob infidelitatem viri sui Gregorii senioris adhuc idololatrae: nec ratio dari potest congrua, dicendo, quod Nazianzenus rerum gestarum ordinem in narratione sua perturbaverit. IV. Idem Nazianzenus in carmine de vita sua scribit, post triginta annorum studia Athenis se discessisse, quod contigit circa finem anni 355. Demus liberaliter, eum decimo aetatis anno studia inchoasse: numerabat igitur A. 355. annos aetatis suae XL. Ergo longe ante baptismum Gregorii senioris, qui contigit A. 325, natus est. Lucem itaque adspexit Nazianzenus saltem A. 315, id est, decennio ante baptismum Patris. Versiculi illi, quibus Gregorius senior filium hortatur, ut in administrando Episcopatu parentem jam decrepitum, ac fere centenarium juvaret, sic in Latinam linguam congrue et commode verti possunt. *Necdum tantam penitus considerasti vitam: mihi praeteriit quodcumque tempus sacrificandi.* Quorum verborum sensus hic est. Filii, non ne vides parentem tuum aetate jam decrepita esse? Ego certe nequeo deinceps sacrificare, et Episcopalia munia obire.

Vide *Joannis Stiltingi* Socii Bollandiani Dissertationem praeviam ad Acta Sanctorum Tomi III. Mensis Septembris, de tempore natali S. Gregorii Nazianzeni.

DLXXXVI. *Objicitur VII.* Infirmitas argumenti, quod ex Canone III. Concilii Nicaeni I. instruitur. *Nicaenum* per *subintroductas* non intelligit uxores, sed extraneas tantum mulieres. Ergo authoritas Nicaeni nobis non suffragatur. P. A. Si intelligerentur uxores, neque licitum fuisset Clericis habitare in eadem domo cum uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant, quamvis cum illis nullum commercium carnale haberent: Atqui contrarium factitatum est a Clericis, qui in eadem domo cum uxoribus habitabant: ut constat de S. Paulino Nolano, Sidonio Apollinari Arvernorum Episcopo, aliisque. Ergo. R. N. A. Nicaenum introductas, vel subintroductas vocat etiam matrem, sororem, amitam, quas ab hac lege excipit. Ergo multo magis uxores, quas primo loco oportuisset excipere, siquidem Concilium Clericis Majoribus non prohibuisset matrimonio uti. Praeterea nisi Concilium Clericos majores continentes esse voluisset, potiorem non habuisset rationem ab illorum domibus excludendi mulieres extraneas, quam a domibus laicorum. Ad *probat*. R. illicitum fuisse per Nicaenos Canones habitare Clericis in eadem domo cum uxoribus, quamvis matrimonio non uterentur. Hinc *S. Basilius* Epist. XVII. Paregorium decrepitae jam aetatis Sacerdotem gravissime increpuit, quod uxorem suam, quam ante Ordinationem duxerat, in domo sua retineat, excommunicationem ei comminatus, nisi quantocius eamdem dimitteret. *Nec primi*, inquit, *nec soli*, *Paregori*, *statuimus ne mulieres cum viris cohabitarent. Sed lege Canonem*, *qui a Sanctis*

Patribus nostris Nicaenae traditus est, qui aperte prohibet, ne sint subintroductae. - - Ejice illam de domo tua, et statue ipsam in Monasterio. Sit illa cum Virginibus, et viri tibi famulentur: ne nomen Dei per vos blasphemetur. Verum in Occidente Canon hic non continuo in viridi fuit observantia. Siquidem exemplo Paulini, Sinodii, aliorumque constat, Clericos, quamvis continentiam servarent, in eadem tamen cum uxoribus suis domo habitasse. Tandem saeculo VI. Canon hic Nicaenus renovatus fuit ab Aurelianensi IV. et Lugdunensi III, ut ad finem Numeri DLXXXIV. ostendimus.

DLXXXVII. *Dices.* S. Paphnutius Thebaidos Episcopus, cum Patres Nicaeni vellent continentiam majoribus Clericis praescribere, negavit hoc jugum illis imponendum esse; satisque esse ajebat, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiae traditionem jam non amplius uxores ducerent: non tamen quemquam sejungendum esse ab ea uxore, quam ante Ordinationem legitime duxisset. Qua in re assentientem habuit Patrum Senatum. Ita *Socrates* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XI, atque ex eo *Sozomenus* Lib. I. Cap. XXIII. *Gelasius Cyzicenus* in Hist. Conc. Nicaeni Lib. II. Cap. XXXII. *Cassiodorus* Hist. Tripartitae Lib. II. Cap. XIV. *Suidas* in Lexico, verbo *Paphnutius*. *Nicephorus Callistus* Lib. VIII. Cap. XIX. Ergo Nicaenum non prohibuit Clericis usum matrimonii, ac multo minus habitationem cum uxoribus in eadem domo. R. cum *Baronio*, *Bellarmino*, *Thomassino*, *Simonnet*, aliisque Viris doctissimis, fabulosam esse hanc Socratis narrationem. Prob. assertio I. Ante Socratem, qui circa A. 440, adeoque annis 115. post tempora Nicaeni

Concilii, Historiam suam Ecclesiasticam conscripsit, nullus Scriptorum, qui intermedio illo tempore Socratem inter et Nicaenum floruerunt, quamvis et numero et dignitate conspicui fuerint, ut S. Athanasius, S. Cyrillus Jerosolymitanus, S. Ephraem, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, Rufinus, Severus Sulpitius, Paulus Orosius etc. nullus, inquam, omnino ante Socratem meminit hujus rei, quamvis ea maximi momenti fuisset, et ad Clerum totius orbis pertinens. II. Etiam post tempora Socratis fabula haec fidem non invenit apud Episcopos Orientales in Trullo CPoli congregatos, qui cum Ecclesiae Romanae consuetudinem improbarent, usum matrimonii Clericis suis prohibentis, in favorem sui Decreti absque dubio allegassent judicium Paphnutii, et Nicaenae Synodi authoritatem, si quam huic fabulae fidem adhibuissent. Atqui altum est hac de re apud illos silentium. III. Narrationem hanc falsitatis arguunt clarissimi textus Patrum, praecipue *S. Epiphanii* Haer. LIX. (vide Num. DLXIII.) et *S. Hieronymi* (vide Num. DLXVII.) Certe Epiphanio et Hieronymo magis credendum est, utpote propinquioribus Nicaeno Concilio, quam Socrati. IV. Ex hac narratione sequeretur, a Nicaeno etiam Episcopis permissum fuisse usum conjugii, quod tamen illis numquam licitum fuisse satis prodit B. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum scribens. *Certe confiteris non posse Episcopum esse, qui in Episcopatu filios faciat: alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* V. Socrates probabilius fabulam hanc accepit ab Auxanone sene quodam jam decrepito, Presbytero

Novatiano, ac nugatore. Quamvis enim Socrates non dicat, se factum hoc Paphnutii ab Auxanone audivisse, refert tamen illud inter duo alia ab Auxanone audita fere intermedium. Cap. X. editionis Valesianae varia refert de Acesio Novatianorum Episcopo, quem Concilio Nicaeno interfuisse dicit, ibique cum Constantino Imperatore, comitante ipsum Auxanone adhuc admodum adolescente, familiariter egisse. Cap. XI. sequitur fabulosa narratio de Paphnutio. Cap. XIII. ex relatione Auxanonis scribit, multa miracula ab Eutychiano monacho Novatiano fuisse patrata, quae apud neminem Catholicorum fidem invenient. Vide Continuatores *Bollandi* in Actis Sanctorum Tomo III. Septembris in Vita S. Paphnutii, Cap. IV. et *Antonium Sandinum* Disputatione Historica. XIII.

DLXXXVIII. *Objicitur VIII.* contra IV. Conclusionem. Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non numerabatur inter Ordines majores: sed hoc primum contigit saeculo XII. Ergo non fuit illi adnexa continentia. II. Siricius in Epist. ad Himerium concedit Subdiacono uxorem, quae fuerit Virgo. III. Alexander III. in Concilio Lateranensi III. tolerandum censuit, ut quidam Subdiaconi nuptias celebrarent. IV. Plura Concilia Presbyteris et Diaconis praecipiunt continentiam, nulla Subdiaconorum mentione facta. R. ad I. N. C. Quamvis Subdiaconatus non nisi ad finem saeculi XI, aut primum saeculo XII. fuerit inter majores Ordines numeratus, potuit tamen et voluit Ecclesia obligationem continentiae Subdiaconatui adnectere, ut patet ex Epistolis S. Leonis M., Pelagii II, S. Gregorii M., atque ex Canonibus Conciliorum, quos in probatione adduximus. Ad II. N. A. S. Siricius in Epist. cit. scribit. ad Subdiaconatum promo-

veri posse eum, qui cum una tantum, eaque virgine fuerit copulatus: nullibi autem asserit, quod post Ordinationem matrimonio uti possit, immo contrarium haud obscure indicat; ait enim: *Post quae ad Diaconi gradum, si se ipse primitus, continentia praeeunte, dignum probarit, accedat.* Ad III. R. quod *Alexander III.* Parte XVIII. Collectionis Concilii Lateranensis III. Cap. XIII. aperte dicat, matrimonia Subdiaconorum esse contra sacros Canones; dissimulari tamen posse ab Episcopo Exoniensi, pro graviori lapsu vitando; ita tamen, ut altaris ministerium, et Ecclesiastica beneficia relinquant. *Aut Ecclesias, aut uxores prorsus dimittere cogendi sunt.* Ad IV. R. Subdiaconos ab aliquibus Conciliis non expresse quidem, sed aequivalenter nominari, ut v. g. ab Eliberitano per ea verba, *Omnibus Clericis positis in ministerio*: ab aliis vero Conciliis nomine Diaconorum intelligi etiam Subdiaconos; quia olim dum pauciores essent fideles, aut Ministri Ecclesiarum, Diaconi officium peragebant Subdiaconorum, sicut hodiedum etiam Sacerdotes saepe in ordine Levitico ministrant. Caeterum multa Concilia nominatim exprimunt Subdiaconos; seu Hypodiaconos. Igitur valde probabile est, ferme ubique antiquissimo jure Ecclesiastico adactos illos fuisse ad continentiam.

DLXXXIX. *Objicitur IX.* contra V. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Gen. Cap. I. dicitur: *Crescite et multiplicamini.* II. Genes. Cap. II. *Non est bonum esse hominem solum.* III. Matth. XIX. ait Christus: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* IV. Apostolus ad Titum Cap. I. inter virtutes Episcopi et Presbyteri numerat conjugium. *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir.* V. I. ad Timoth. Cap. IV. qui pro-

hibent nuptias, dicuntur habere *doctrinam daemoniorum*. VI. I. ad Cor. Cap. VII. v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* VII. ad Hebr. Cap. VIII. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus.* VIII. I. ad Cor. Cap. VII. v. 9. *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Ergo matrimonium jure divino praeceptum est, ideoque coelibatus jure divino repugnat. R. C. A. N. C. Ad I. Verba illa, *Crescite et multiplicamini*, nullum continent praeceptum, cum directa fuerint a Deo etiam ad aves, pisces, et bruta, praecepti proprie talis incapacia; sed benedictionem Dei, et foecunditatem indicabant. Quod si etiam praeceptum continere dicantur, referendum id esset, ad prima illa tempora, quibus terra erat inanis et vacua, non vero ad nostra, quibus eadem incolis abundat. Secus B. Virgo Maria, S. Joannes Baptista, S. Joannes Evangelista, S. Paulus, aliique viri sanctissimi, perpetuo coelibes, mandatum Dei neglexissent. Ad II. Deus per illa verba significavit, ad multiplicationem generis humani tunc temporis vere necessariam fuisse Adamo uxorem; quae necessitas modo non urget, cum Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. affirmet, *Bonum est homini mulierem non tangere.* Ad III. Sermo ibi non est de matrimonio contrahendo, sed de jam contracto; et quidem de indissolubili vinculo matrimonii, non de separatione a thoro et habitatione. Ad IV. Apostolus non praecipit, ut nullus ordinetur Episcopus vel Presbyter, nisi uxorem prius duxerit; sed neminem admittendum esse ad hanc dignitatem, qui plures uxores simul, aut successive duxerit. Hinc Ecclesia primis statim temporibus bigamos, tamquam irregulares, a sacris exclusit

Ordinibus. Ad V. Apostolus ibi insectatur haereticos, qui nuptias absolute ut malas prohibebant; quales erant, temporibus B. Pauli, Simoniani, ac postea Ebionitae, Marcionitae, Tatiani, Manichaei, et Eustathiani: hoc autem non facit Ecclesia Catholica, quae nuptias laudat ut bonas ex natura sua, et a Deo institutas; neminemque absolute cogit ad coelibatum, sed conditionate tantum, si nimirum ille ad sacros Ordines promoveri velit, quod ipsi liberum relinquitur. Ad VI. Paulus loquitur de uxoratis tantum, qui, si ab uxoribus quas jam duxerant, abstinuissent, saepe periculo peccandi expositi fuissent: minime autem haec verba dirigit ad coelibes, de quibus inferius ait v. 27. *Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem.* Ad VII. Sensus litteralis hujus loci est iste. Conjugium sit omnibus vobis honorabile, et thorus immaculatus, id est, praecipio, ut omnes qui in conjugio estis, servetis honorem conjugii, et thorum sine macula: id vero fiet, si non violetur conjugii fides per adulterium, nec quidquam ab ipsis conjugibus inter se committatur, quo thori conjugalis pudicitia et sanctimonia maculetur. Ad. VIII. *Uri* non idem significat, ac tentari, sed idem quod ardere libidine, et tentationi consentire, ac laedi consentiendo. Vult igitur Apostolus, ut fideles, siquidem sui juris sunt, nubant potius, quam tentationi succumbant. Clerici et Monachi, qui casticatis voto obstricti sunt, sui juris amplius non sunt, possuntque, siquidem gratiae divinae cooperentur, et pericula atque occasiones devitent, tentationi resistere, cum Deus tentari nos non patiatur supra id, quod possumus: sicque non uri exemplo Pauli, qui gratia Dei adjutus fortiter restitit Angelo Satanae se colaphizanti, quin propterea uxorem duceret.

DXC. *Objicitur* X. Ratio. Continentia res est difficillima. Ergo non deberet Clericis omnibus promiscue imponi. P. A. ex quotidiana experientia; constat enim plurima scelera perpetrari a Clericis, horumque coelibatum prodigiosas libidines parere. R. Continentiam illis, qui neglecta custodia sensuum pericula peccandi amant, difficillimam esse, ac moraliter impossibilem; facilem vero illis, qui praescripta adhibent media, nempe ferventem orationem, cautam periculorum fugam, jugem sensuum mortificationem, decentem et continuam occupationem, sinceram animi demissionem. Ex quo legitime non infertur, male ab Ecclesia Clericis majoribus continentiam imponi; sed id tantum sequitur, pessime illos agere, qui cum propria experientia cognoscant, sibi continentiam difficillimam futuram, eoquod jam prava peccandi consuetudine irretiti sint, in Sacrarium tamen illotis manibus ac conscientia inquinata irrumpunt, et majores Ordines contra mentem Ecclesiae suffurantur, non promovendae divinae gloriae causa, sed urgente necessitate, aut percipiendi commodi temporalis ergo. Neque ex eo, quod contra intentionem Ecclesiae, ac per accidens multa mala sequantur, Ecclesia potest imprudentiae aut tyrannidis argui, secus Christus e iam a talium hominum censura immunis non abiret, quod viris unicam tantum uxorem eodem tempore permiserit; cum quotidiana ostendat experientia, occasione hujus legis a Christo confirmatae per accidens multa nasci adulteria, rixas, discordias, caedes ex malitia hominum. Neque dicas, scandala illa per se oriri ex coelibatu. Fructus enim coelibatus non sunt infandae illae libidines, sed, teste Apostolo I. ad *Cor.* Cap. VII., cogitare quae Dei

sunt, sanctum esse corpore et spiritu etc., habentque Clerici eadem media ad superandum stimulum carnis, quae conjugati habent, uxore vel absente, vel aegrotante, nempe ferventem orationem, afflictionem carnis etc. Ad *probat*. R. hoc esse aliquorum vitium, non omnium. Gravia quandoque ab aliquibus patrantur scelera; plurimi tamen vitam ducunt integerrimam, quos nulla sinistri rumoris suspicio afflat: maligneque agunt illi, qui ex se se Clericos omnes metiuntur.

DXCI. *Dices*. Quae coelibatum Clericorum consequantur incommoda ac libidines, satis dignoscitur ex Epistola *S. Udalrici* Episcopi Augustani ad Nicolaum Papam, in qua narrat S. Episcopus, temporibus S. Gregorii M., qui uxores Sacerdotibus ademerat, ex piscina quadam sex millia capitum infantum suffocatorum extracta fuisse: cumque Gregorius intellexisset, eos infantes ex Sacerdotibus progenitos fuisse, eum amaris lacrymis peccatum suum deflevisse, legemque coelibatus abrogasse. R. Epistolam illam putidissimum esse fabulonum Magdeburgensium commentum, quod nec umbram habet verisimilitudinis. Prob. assertio I. Epistola illa dari a S. Udalrico non potuit ad Nicolaum I., cum ille, antequam Udalricus nasceretur: mortuus fuerit. Obiit enim S. Nicolaus I. A. 867., Udalricus vero annos natus XXXI. Episcopus Augustanus inauguratus est. A. 924. mortuus A. 973. Neque dari potuit ad Nicolaum II., cum ille, mortuo jamdiu Udalrico, ad Pontificatum pervenerit A. 1058., mortuus A. 1061. II. Prorsus inverisimile est, sexies mille capita infantum in unam eamdemque piscinam dejecta fuisse. Praeterea quanam arte dignosci potuere filii Presbyterorum a filiis laicorum? An forte et illi,

Patrum suorum instituto, rasa habuerunt capita? III. Allata a nobis Conclusione II. et III. Patrum et Conciliorum testimonia manifestae falsitatis arguunt hanc narratiunculam; cum certum sit, continentiae legem Presbyteris et Diaconis nec a Gregorio primum impositam, ac multo minus abrogatam fuisse. At non vacat pluribus stolidissimae huic fabulae immorari.

DXCII. *Objicitur XI.* contra VI. Conclusionem, Infirmitas argumenti. In veteri Lege Sacerdotes contrahebant matrimonia, omnique maritali jure utebantur. Ergo si illos matrimonium non dedecuit, neque dedecet illud Sacerdotes novae Legis, cum isti eidem serviant Domino, cui serviebat Synagoga. R. C. A. N. C. In veteri Lege Sacerdotium Leviticae tribui, et familiae Aaronis alligatum erat; nostrum vero Sacerdotium non carnali propagatione transmittitur ad posteros, sed Ecclesiae electione, ac consecratione. II. In veteri Lege hirci et vituli immolabantur: in nova Agnus immaculatus omnipotenti Deo offertur. III. Lex antiqua rudior erat: Evangelica vero sanctior, purior, magisque spiritualis. IV. In nova Lege quotidie Sacratissima peraguntur mysteria fere ab omnibus Sacerdotibus: contra Sacerdotes Synagogae diebus tantum vicis suae ad sacrificandum accedebant, quo tempore et ipsis nefas erat uxorum frui consuetudine.

DXCIII. *Dices I.* Temporalis jurisdictio est negotium magis saeculare, quam conjugium, quod apud Catholicos est Sacramentum. Ergo si Clericos non dedecet temporalis jurisdictio, nec dedecet illos matrimonium. R. N. A. Temporalis jurisdictio potest etiam per alios exerceri: non vero conjugium, quod est onus prorsus personale. Accedit, quod per conjugii usum

mens a Deo magis peregrinetur, et ad terrena magis dejicitur, quam per moderatum usum jurisdictionis temporalis: neque matrimonii usus est Sacramentum, sed solummodo ipse contractus matrimonialis coram Ministro Ecclesiae factus.

DXCIV. *Dices II.* Si ex matrimonio Clericorum orirentur ea incommoda, quae jactant Catholici, turbarenturque munia Ecclesiastica, coelibatus Clericorum esset juris omnino divini; neque Ecclesia Romana posset Graecos Sacerdotes a coelibatu eximere, aut Latinis quandoque facultatem dare contrahendi matrimonium. Atqui utrumque factum est ab Ecclesia Romana. Ergo. Resp. N. M. Ecclesia Romana metu majoris mali permisit ministris Ecclesiae Graecae usum matrimonii, ante Ordinationem sacram contracti, quia juxta eorum disciplinam incommoda a nobis superius recensita maximam partem mitigari deprehendit. Episcopi enim Graecorum, et Monachi coelibem ducunt vitam; Sacerdotes vero eorum rarissime Altaris mysterium peragunt, secus ac Latini in more positum habent, et octiduo, aut saltem triduo, antequam rem divinam faciant, ab uxoribus abstinere jubentur. Quare etiam apud Graecos Ecclesiastica munia decenti modo peraguntur, quamvis ea sanctius et purius in Latina Ecclesia celebrentur. Latinis Clericis quandoque, sed rarissime, nec nisi gravissimis de causis, indulsit Ecclesia, ut ad saecularia vota transeat; hac tamen lege, ut et beneficium et officium Ecclesiasticum relinquant, saltem quamdiu matrimonio impliciti sunt. Vide *Jos. Biner* in Apparatu Eruditionis Parte V. Artic. V.

CONTROVERSIA VII.

DE VOTIS, PRAECIPUE MONASTICIS.

Contra Protestantes.

DXCV.

Status *religiosus*, seu regularis, a Catholicis Doctoribus communiter definiri solet, stabilis in commune vivendi modus fidelium, ad Christianae charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis, Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae, ab Ecclesia approbatus. Haec approbatio pertinebat olim ad Episcopos pro religiosis suae dioecesis. Sed haeretici Waldenses, alias dicti Pauperes de Lugduno, qui superstitiosum vivendi modum tamquam religiosum sectabantur, seque secundum Evangelicam doctrinam vivere jactabant, occasionem dederunt Constitutioni *Lateranensis IV.* Concilii sub Innocentio III. *Ne quis de caetero novam inveniat Religionem*, scilicet absque speciali Sedis Apostolicae confirmatione.

DXCVI. *Votum* est religiosa promissio de meliori bono, Deo facta libera voluntate. Dicitur *promissio*, quia includit obligationem hominis ad Deum, quae ex solo proposito non nascitur, sed ex promissione. *Religiosa*, ut significetur spectare ad virtutem religionis, si consideretur quoad actionem formalem, quae est ipsa promissio rei; quamvis materia, circa quam votum versatur, ad aliam virtutem spectare possit. *De meliori bono*, ita ut melius sit id facere, quam omittere, aut oppositum agere. Unde materia voti non sunt pec-

cata, opera indifferentia, impossibilia, necessaria, aut etiam opera bona, quae majus bonum impediunt. *Deo facta.* Ac per hoc distinguitur votum a juramento: etsi enim utrumque sit actus religionis, vota tamen fiunt Deo, juramenta per Deum hominibus. *Libera voluntate.* Cum enim votum sit quasi lex privata, non obligat nisi sponte ac libere consentientem; nemoque censetur obligationem gravem sibi velle imponere, nisi eam cognoverit, et elegerit, contra ac fieri solet in lege communi, quae invitum etiam ac nolentem obligat.

DXCVII. Origo religiosi status antiquissima est. In veteri Lege eumdem adumbratum deprehendimus in Nazaraeis, Rechabitis, et filiis Prophetarum, praecipue in Elia, Eliseo, ac Joanne Baptista, quem S. Chrysostomus Hom. I. in Marcum, *Principem Monachorum* vocat. In nova Lege a Christo, non praecipiente, sed consulente institutum fuisse patet ex eo, quia ad tria illa consilia Evangelica fideles hortatus est, ut paulo post inferius ostendemus. Hinc de primis Christianis, temporibus Apostolorum, antequam illi provincias fidei lumine illustrandas inter se partirentur, scribit B. Hieronymus Lib. de Script. Ecclesiast. in Philone: *Talis primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur, et cupiunt; ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur et Psalmis, doctrinaeque et continentiae.* Quae quidem de multis primorum Christianorum intelligenda sunt, non tamen de omnibus, ut patet ex verbis S. Petri ad Ananiam Act. Cap. V. *Nonne manens tibi manebat et venumdatum in tua erat potestate?* Quod Apostoli ipsi, atque alii etiam permulti eamdem vitae rationem voti sacramento firma-

verint, prodere videntur loquendi formulae, quibus antiqui Scriptores utuntur. *S. Augustinus* Lib. XVII. de Civitate Dei Cap. IV. scribit de Apostolis: *Dixerant enim potentes illi, Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te: hoc votum potentissime voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo dictum est, Dans votum voventi?* Athenagoras in Apologia pro Christianis: *Invenies multos ex nostris, et viros, et foeminas, qui in coelibatu consenescunt, quod Deo conjunctiores se futuros sperent.* Tertullianus Lib. I. ad Uxorem Cap. VI. scribit: *Quot sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant? Quot, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt?* Porro haec vivendi ratio, quamvis primis statim temporibus post Christi ascensionem apud fideles viguerit, externi tamen Religiosorum ritus, Monasteriorum claustra, Regularium sancita, praescripta singularum actionum tempora saeculo IV. originem suam debent, quo Ecclesia gravissimis Caesarum persecutionibus agitata, pacem tamdem a Constantino obtinuit.

DXCVIII. Primus, qui Monachos in Thebaidis deserto Tabennensi, accepta ab Angelo regula, congregavit, fuit S. Pachomius, cujus exemplum secuti sunt S. Antonius in Aegypto, S. Hilarion in Syria et Palaestina, S. Basilius in regione Pontica, fructu sane uberrimo, ut testatur S. Epiphanius ejusdem saeculi Scriptor Haer. LVIII: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt, propter regnum coelorum. Quinam illi esse possunt, nisi egregii illi, primum Apostoli, tum Monachi, ac reliqui Virginitatis custodes? Cujusmodi fuere Joannes et Jacobus Zebedaei filii; secundum quos infinita hominum millia, quae in hoc mundo Monasticam vi-*

tam amplexa sunt in Monasteriis, Virginumque in coenobiis, quae ejusdem certaminis decus adepta sunt.

DXCIX. Monasticum institutum ad Occidentem pervasit eo tempore, quo S. Athanasius Julii Papae litteris evocatus Romam se contulit. Fortissimi Antistitis comites duo erant, Ammonius et Isidorus Monachi, quorum integra rerum periturarum abdicatio, perpetua jejunia, assiduae orationes, constans corporis afflictatio ita quorumdam Romanorum animos rapiebant, ut parem disciplinam colere inciperent. Et quamquam primo horror quidam de tam aspera et ignominiosa, ut putabant, vita conceptus, plures a sequela retardaret; major tamen deinceps concursus factus est, ex quo Athanasius vitam S. Antonii Abbatis a se scriptam evulgaverat, ab Evagrio Antiocheno Presbytero Latina lingua donatám. S. Hieronymus fructuum, qui ex ista semente enati sunt, testis et admirator fuit, cum circa A. 382. Romae per triennium sub Damaso Papa viveret. Vidit ibi crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilem multitudinem, purpuratos Consulum Nepotes furva Religiosorum tunica pullatos, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiae fuerat, esset postea gloriae. Vide *Hadriani Daude* Hierarchiam Ecclesiasticam.

DC. Eodem saeculo IV. ejusmodi vivendi ratio etiam inter Clericos Ecclesiarum in urbibus introducta fuit, ut rebus suis propriis sponte renuntiantes, ad primitivae Ecclesiae Jerosolymitanae exemplum in commune viverent. Unde Canonicorum, seu regularium ipsis nomen accessit. Auctores hujus instituti, seu potius restauratores vitae sub Apostolis actae perhibentur S. Eusebius Vercellensis in Ecclesia sua Vercellensi, ut te-

statur *S. Ambrosius* Epist. XXV. ad Ecclesiam Vercellensem, et S. Augustinus in Hipponensi, ut scribit *Possidius* Calamensis Episcopus in Vita S. Augustini, Cap. XXV.

DCI. Porro Monachorum, qui saeculo IV. et V. in Oriente potissimum floruerunt, diversa fuerunt genera, diverso vivendi modo inter se distincta. I. *Anachoretarum*, qui societatem hominum fugientes in eremo privatas cellulas incolebant. II. *Coenobitarum*, qui unum simul incolebant domicilium, et sub Abbate ac regula in commune viventes omnia habebant communia. III. *Sarabaytarum*, qui bini, vel terni, nec multo plures simul habitabant suo arbitratu viventes. Hi mala laborabant fama apud rerum spiritualium peritos. IV. *Gyrovagorum*, qui tota vita sua per diversas provincias, ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitabantur, semper vagi, et numquam stabiles, per omnia deteriores Sarabaytis. V. *Stylitarum*, qui nomen trahebant a singulari super columnam vivendi ratione, quam primus invexit Simeon; paucos tamen habuit imitatores. VI. *Acoemetarum*, id est, insomnium, quod divina officia diu noctuque sine ulla intermissione peragerent, in tres scilicet coetus distributi, atque ita aliis stata hora succedentes. His celebre monasterium saeculo V. CPoli extruxit Flavius Studius Vir Consularis, *Studium* ab hoc fundatore appellatum, indeque etiam Monachi illi *Studitae* dicti. Vide *P. Franc. Xaver. Zech.* Hierarchiam Ecclesiasticam, Tit. XXXIII.

DCII. Saeculo VI. circa annum 530. S. Benedictus Italus, Monachorum in Occidente Patriarcha, regulam conscripsit, *discretione praecipuam*, *sermone luculentam*, ut eam vocat *S. Gregorius M.* Lib. II. Dia-

log. Cap. XXXVI, quae antiquatis caeteris regulis monasticis celeriter per totum Occidentem propagata est, adnitentibus Wilfrido Eboracensi in Concilio Anglicano A. 701, S. Bonifacio Martyre in Concilio Germanico A. 742. aliisque Episcopis in Francofordiensi A. 794. in Turonensi, Cabilonensi II. et Rhemensi II. A. 813. in Aquisgranensi A. 817, ac caventibus, ne posthac Monachi alia uterentur, quam sola S. Benedicti regula. Saeculo X. et XI. quatuor alii religiosi Ordines, sub regula S. Benedicti militantes, erecti sunt, Camaldulensium, Cluniacensium, Vallis umbrosae, et Cisterciensium.

DCIII. Posterioribus temporibus providentissimum Numen Ecclesiam suam novo subsidio roboravit, novis nimirum Religiosis familiis, quas longum foret enumerare. Hae vel per contemplationem in Deum feruntur, eique inhaerent: vel per actionem Deo in membris ejus serviunt, ut pauperes alendo, aegrotis inserviendo: aut denique utrumque vitae institutum, contemplativum nempe et activum, felici foedere inter se jungunt; idque vivendi genus mixtum sectantur illi, qui populo Sacramenta ministrant, qui ad concionem verba faciunt, aut juventutem litteris; bonisque moribus imbuunt. Quanta vero commoda ex Religiosis familiis in Ecclesiam universam redundarint, nemo est qui ignoret, nisi qui in Ecclesiastica ac politica historia peregrinus sit, aut iniquissimo partium studio laboret. Ex illis enim innumeri prodierunt viri, pietate et litteris illustrissimi, sanctissimi Episcopi, Heroes ad clades Haeresibus inferendas nati, Apostolico zelo et charitate succensi, fortissimi Martyres, Catholicae fidei propugnatores.

DCIV. Verissimum esse Magni Antonii effatum, ut refert *S. Athanasius* in ejus Vita, *Omnes quidem Christianos diabolus odit; sed probos Monachos, Christique Virgines tolerare nullo modo potest*, satis ostendit inveteratum illud odium, quo haeretici, et profligatae conscientiae homines religiosas familias semper sunt prosecuti. Julianus Apostata Imperator in Monachos detonabat, velut homines Cynicos ac nequissimos. Calumniis supplicia adjecit, dum hanc innocuam turbam, et praesertim Virgines Deo sacras infestare, ac foedissimis modis in illas grassari non desinebat: quin eam rabiem tandem abreptus est, ut, facto Diis suis sacramento, ultimum Monachis omnibus exterminium intentarit. Circumcelliones, Donatistica progenies in Africa, pari furore grassati sunt in Monachos. Valens Imperator Arianus jussit, ut religiosas leges professi capitalibus poenis ad militiam adigerentur, aliisque diris animadversionibus divexarentur. Constantinus Copronymus Imperator Iconomachus nullum atrocitatis genus praetermisit, nullumque cruciatum, quo Monachis internecinam cladem afferret. Populum CPolitanum jure jurando super Evangelia, et Sanctam Crucem, ac divinam Eucharistiam concepto adstrinxit, quo promitteret, se Monachis numquam communicaturum, obviosque lapidibus appetiturum.

DCV. Doctrina Novatorum de votis Monasticis e diametro opposita est doctrinae Catholicae. Waldenses docebant, religiones mendicantium esse malorum daemonum inventum. Gerardi Segarelli Parmensis, et Dulcini Novariensis sectatores vota monastica ut humanae libertati contraria reijciebant, sociosque erroris habuere Arnoldum Villanovanum, et *Joannem Wicklefjum*, ut

patet ex ejus Articulis a *Constantiensi* Concilio damnatis. XX. *Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.* XXI. *Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur inhabilior ad observationem mandatorum Dei.* XXII. *Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.* XXIII. *Religiosi viventes in religionibus privatis; non sunt de Religione Christiana.* XXXI. *Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.* XLIV. *Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerit de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.* XLV. *Omnes religiones indifferenter introdructae sunt a diabolo.* Lutherus, excucullatus Monachus, ut jure se a religioso Ordine defecisse ostenderet, effreni licentiae ac furore in omne Monasticum nomen bacchatus est, praecipue in libro de Votis Monasticis, in quo ita scribit turpissimus apostata: *Vota monastica sunt impia, Gentilia, Judaica, sacrilega, mendacia, erronea, hypocrita, apostatica, etiam Sanctorum exemplis adversantia. Quare cum fiducia revocanda, et deserenda sunt, etiamsi pia et seria opinione emissa fuerint.* Eodem libro inhumanum, immo furiosum suum desiderium prodit: *Cupio eradicata, extincta, et abolita omnia Monasteria, quae utinam Deus igne, et sulphure coelesti, ad exemplum Sodomae et Gomorrhae demergat; adeo ut ne memoria quidem illorum supersit: neque enim satis fuerit illis anathema imprecari.*

DCVI. Luthero subscribunt Calvinus, Melanch-

ton, Centuriatores Magdeburgici, Pomeranus, Occhinus, caeterique Protestantes, qui docent communiter cum Luthero et Calvino haec tria. I. Vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus praeceptis; ideoque unum esse fidelium omnium votum in Baptismo emissum. II. Vota de rebus a Deo non praeceptis posse fieri, non quidem ad colendum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis, sed ad negotia hujus vitae expeditius peragenda, aut vitanda peccata, vel ad alios fines bonos. III. Vota Monachorum impia, irrita, et omnino solvenda esse, quod fiant cum intentione colendi Deum, et satisfaciendi pro peccatis; cum tamen illa vota non sint de rebus a Deo praeceptis, aut a Christo commendatis.

DCVII. *Conclusio I.* Paupertas, Castitas, et Obedientia sunt Consilia Evangelica. Conclusio haec est tum contra Protestantes, qui nullum admittunt dari consilium Evangelicum: tum contra antiquiores haereticos Jovinianum, Vigilantium, et Lampetianos. Jovinianus ejusdem meriti esse ajebat Virgines, et conjugatas. Vigilantius idem asserebat de paupertate. Lampetiani Monachos in Coenobiis liberos esse debere contendebant, nec pendere e Praepositi alicujus arbitrio. Prob. Conclusio. Illud est consilium Evangelicum, quod Christus Dominus in Evangelio non quidem praecepit, sed commendavit tamquam perfectius. Atqui ejusmodi sunt Castitas, Paupertas, et Obedientia. Ergo. Prob. minor. I. Authoritate Scripturarum. De *Castitate*. Matth. Cap. XIX. *Dicunt ei Discipuli ejus: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eu-*

nuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat. Ubi per illa verba, *Non omnes capiunt verbum istud.* Et. *Qui potest capere, capiat*, denotatur consilium non praeceptum: quia de praeceptis justitiae non dicitur, qui potest facere, faciat. Porro per *regnum coelorum* non ibi intelligitur praedicatio Evangelii, ut inepte quidam cum Petro Vermilio contendunt; sed aeterna in coelis felicitas, ut passim Patres interpretantur, *S. Cyprianus* Lib. de habitu Virginum, *S. Chrysostomus* in hunc locum, *S. Hieronymus* Lib. I. contra Jovinianum, et S. Augustinus Lib. de Sancta Virginitate Cap. XXIV. *Christo laudanti eos, qui se ipsos castraverunt, non propter hoc saeculum, sed propter regnum coelorum, Christianus contradicat, affirmans hoc praesenti vitae esse utile, non futurae?* Aperte nobis suffragatur Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. v. 25. scribens: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et v. 27. *Solutus est ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Ergo continentia non est a Christo et Apostolis praecepta, sed commendata tamquam aliquid melius.

XCVIII. De *Paupertate.* Matth. Cap. XIX. v. 21. Christus ait adolescenti, qui praecepta se a juventute sua diligenter custodivisse asserebat: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus: et habebis thesaurum in coelo.* Id est, si non es contentus vita aeterna, quam observatione mandatorum promereri poteris; sed ad excellentem gradum gloriae in coelis adspiras, vade, vende quae habes, et da pauperibus. Ita Christus respondit Juveni illi, non tentanti, sed serio interroganti Dominum qui *intuitus eum, dilexit*

eum Marci Cap. X. v. 21. Nec illi tantum, sed omnibus suasit Christus vendere omnia, et dare pauperibus, quia non illi tantum, sed omnibus dictum est, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Neque dicas, imitationem Christi esse omnibus vere piis necessariam, adeoque verba illa: *Vade, vende quae habes, et da pauperibus. — Et veni, sequere me*, fuisse praecepti, non consilii. R. enim, aliquam imitationem et sequelam Christi quae peccatum grave excludit, omnibus esse ad salutem necessariam: non vero perfectissimam illam imitationem ac sequelam Christi nudi, spreti, afflicti, crucifixi, quae non nisi paucorum est, ad supremum sanctitatis apicem eluctantium. Eodem Cap. S. Matt. v. 27. etc. dicitur: *Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Ergo Christus tam nobile praemium pollicendo suasit paupertatem voluntariam.

DCIX. De *Obedientia*. Matt. Cap. XVI. v. 24. ait Christus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me.* Porro *abnegare se* nihil aliud est, quam valedicere suo judicio, suisque affectibus, et accommodare se alterius judicio et voluntati. Sicut autem imitatio Christi, ita etiam obedientia est duplex. Una communis et omnibus

fidelibus necessaria, quae Deo praestari debet in rebus praeceptis: altera perfectorum, et consilii tantum, qua Deo suadenti obtemperatur.

DCX. Prob. II. authoritate Patrum. Origenes in Cap. XV. ad Romanos scribit: *Ea quae supra debitum facimus, non facimus ex praeceptis. Verbi causa, Virginitas non ex debito solvitur; neque enim per praeceptum expetitur, sed suprà debitum offertur.* S. Basilius in Lib. de Virginitate. *Voluit enim Dominus non praeceptum esse ipsum virginitatis recte factum, sed insigne animae virtutis studiosae, ex propria ac libera potestate, id quod supra mandatum, ac supra naturam est, a se ipsa perpetrantis.* S. Chrysostomus Hom. VIII. de Poenitentia: *Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia: multi et ipsa superant mandata.* Et infra, posteaquam exempla posuit de continentia et paupertate, ait in persona Dei: *Non cogo, non gravo, sed proficientem quidem coronabo: non proficientem non punio.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. I. in Julianum. *Quomodo illud non animadvertis omnium sapientissime et ingeniosissime, atque ad virtutum arcem et verticem Christianos coarctans, quod in legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo praetermitti possunt, alia non necessitate constringunt, sed in electione et voluntate posita sunt, ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore et praemiis exornentur, qui autem minus ea expleverint, nihil periculi permitescant.* S. Cyprianus Lib. de habitu Virginum. *Neque hoc jubet Dominus, sed hortatur: neque jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum: sed cum habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia*

demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis; carnis desideria castrantes, majoris gratiae praemium in coelestibus obtinetis. S. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum. *Proponit Agonothetes praemium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamitat: Si quis sitit; veniat et bibat: non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum; sed qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur: et ideo plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, majorisque gratiae est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris.* Ergo dantur consilia Evangelica, atque inter illa praecipuum locum obtinent Paupertas, Castitas et Obedientia.

DCXI. *Conclusio II.* Omne votum, vel promissio voluntaria Deo facta de meliori bono, etiamsi illud non sit praeceptum, est vere ac proprie cultus Dei. Prob. Conclusio I. authoritate Scripturarum haec vota commendantium. Jacob Patriarcha Gen. Cap. XXVIII. v. 20. *Vovit votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi.* Hoc votum non fuisse de re praecepta, ex eo patet, quia erat conditionatum. Psal. CXXX. David Rex *Votum vovit Deo Jacob: si introiero in tabernaculum domus meae - - donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*, nimirum pro templo extruendo. Votum hoc,

quamvis de re non praecepta, Deus remuneratus est magnifica illa promissione II. Regum Cap. VII. v. 16. *Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.* Deuteron. Cap. XXIII. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Ergo illa vota, de quibus ibi est sermo, non erant de re praecepta, alias Judaei illi non fuissent absque peccato. Isaiae Cap. XIX. v. 21. *Et colent eum* (Dominum) *in hostiis et in muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent.* Ecclesiastis Cap. V. v. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde.*

DCXII. Prob. II. Authoritate Patrum, Tertulliani Lib. de Resurrectione carnis, S. Epiphanii Haer. XLVIII. S. Hieronymi Lib. contra Jovinianum, et S. Augustini qui Sermone CXLVIII. Cap. II. scribit: *Potest Virgini sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua numquid manens tibi manebat, et antequam eam voveres, in tua fuerat potestate? Quaecumque autem hoc fecerint, voverint talia, et non reddiderint, non se putent temporalibus mortibus corripi, sed aeterno igne damnari.* Et serm. CCCLV. Cap. IV. *Ego scio, quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vovete, inquit, et reddite Domino Deo vestro. Et melius est non vovere, quam vovere, et non reddere.* Idem Serm. CLXI. de verbis Apostoli Cap. IV. *Virginibus major amor imposuit majus onus. Virgines quod licebat noluerunt, ut plus place-*

rent ei cui se devoverunt. Et in Psalm. LXXV. Num. XVI. *Alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, et ire in communem vitam, in societatem Sanctorum : magnum votum vovet, Vovete, et reddite Domino Deo nostro. Quisque, quod vovere voluerit voveat : illud attendat, ut quod voverit reddat. Unusquisque Deo, quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.*

DCXIII. Prob. III. Ratione, eaque multiplici. I. Promissio Deo facta, est testificatio quaedam nostrae observantiae, reverentiae, et obsequii erga Deum. Atqui votum, etiam de re non praecepta, est promissio Deo facta de meliori bono. Ergo votum, etiam de re non praecepta, est testificatio quaedam nostrae observantiae, reverentiae, et obsequii erga Deum. Atqui talis testificatio est verus Dei cultus, et actus latriae. Ergo votum, etiam de re non praecepta, est vere ac proprie cultus Dei. II. Omne votum est promissio Deo facta. Ergo votum quodcumque implere, est fidem Deo datam servare. Atqui fidem servare Deo, est Deum immediate colere : sicut e contrario fidem ei non servare, est injuriam illi inferre. Ergo cujuslibet voti observantia est cultus Dei. III. Omni actu virtutis, etiam non praecepto, qui non ex voto, sed tamen propter Deum elicitur, colitur Deus. Ergo multo magis, si actus ille fiat ex voto. IV. Vovere est actus religionis, ut communissime etiam ipsi Protestantes admittunt. Ergo, cum vovere nusquam sit praeceptum, facere rem non praeceptam, potest esse actus religionis, seu cultus Dei.

DCXIV. *Conclusio III.* Paupertas, Castitas, et Obedientia recte voventur a Religiosis. Prob. Illa recte Deo voventur; quae ex ejus testimonio scimus esse bo-

na, illique grata. Sed talis est Paupertas voluntaria, Castitas, et Obedientia. Ergo. Prob. minor propositio I. iis Scripturarum locis, quae adduximus in prima Conclusione. Matthaei XIX. *Non omnes capiunt verbum istud etc. Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus. -- Et veni, sequere me etc.* II. Exemplo primorum Christianorum Jerosolymis degentium, ut legitur in Actibus Apostolorum, ac praecipue ipsius Deiparae, quae per illa verba Lucae Cap. I. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ac per Angeli responsum, *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi*, satis clare ostenditur, Virginitatem suam voto obsignasse; alias inepta et ridicula fuisset haec Virginis interrogatio, cui facile responderi potuisset dicendo: Etsi hactenus virum non cognoveris, cognosces tamen postea. Votum servandae Virginitatis a B. Maria editum fuisse testantur Patres. *S. Gregorius Nyssenus* in Orat. de Nativitate Domini, *S. Augustinus* Lib. de sancta Virginitate Cap. IV. *Ven. Beda* in Caput I. Lucae, *S. Anselmus* Lib. de excellentia Virginis, *Rupertus Tuitiensis* Lib. III. in Cantica, *S. Bernardus* Serm. IV. super *Missus est*, aliique. III. Authoritate Patrum antiquissimorum, qui vota haec maximis laudibus efferunt, eaque non absque gravissimo scelere violari posse asserunt. S. Cyprianus Epist. LXII. ad Pomponium ait: *Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur, et fremit, et per zeli dolorem fortassis et gladium in manus sumit? Quid Christus Dominus et Judex noster, cum Virginem suam sibi dicatam et sanctitati suae destinatam jacere cum altero cernit, quam indigna-*

tur, et irascitur? et quas poenas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur? S. Epiphanius Haer. LXI. quae est Apostolicorum: *Tradiderunt Sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam Virginitatem ad nuptias converti.* S. Augustinus Epist. CLVII. alias LXXXIX. ad Hilarium Cap. IV. *Ego, qui haec scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me, vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci. - - - Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quam quisquam alius homo; sed magis Deus, quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Et Serm. CCCLV. *Volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent: nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet.* Laudari possent innumeri alii ex Patribus, *Tertullianus* Lib. de Monogamia, et de velandis Virginibus, *Clemens Alexandrinus* Lib. III. Stromatum, *S. Hilarius* in Psalm. LXIV. *S. Basilius* in proemio Constitutionum, *S. Gregorius Nazianzenus* in Orat. de obitu Patris sui, *S. Chrysostom.* Hom. XV. in I. ad Timotheum, *S. Hieronymus* in Epist. ad Sabinianum etc.

DCXV. IV. Authoritate Conciliorum, quae graves poenas infligunt vota praecipue religiosa non servantibus. Ancyranum initio saeculi IV. Canone XVIII. *Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt*

sponsionem, inter bigamos censeantur. Chalcedonense Oecumenicum Can. XVI. *Virginem, quae se Deo consecravit, similiter et Monachum, non licere nuptialia jura contrahere. Quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excomunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat authoritatem ejusdem loci Episcopus misericordiam eis humanitatemque largiri.* Toletanum IV. A. 633. Capitulo LII. *Nonnulli Monachorum egredientes a Monasterio, non solum ad saeculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt. Hi igitur revocati, in eodem Monasterio, a quo exierunt, poenitentiae deputentur, ibique defleant crimina sua, unde decesserunt.* Atqui si votum continentiae, aut vota monastica irrita forent, nullinsque roboris, ut Protestantes contendunt, Concilia non iis poenis animadvertissent in eos, qui voti sui immemores ad saecularia vota transibant.

DCXVI. V. Ratione. Vota Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae tollunt de se, et ex natura sua omnes radices vitiorum perfectioni obstantium, quae oriuntur ex triplici concupiscentia, juxta illud 1. Joan. Cap. II. v. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Paupertas enim aufert cupiditatem lucri temporalis: Castitas tollit desiderium voluptatis carnalis: Obedientia exstirpat superbiam vitae, sponte subjiciendo se alterius imperio. Ergo cum illae hominem tantopere adjuvent ad perfectionem consequendam, recte voventur. Praeterea opus ex voto factum caeteris paribus est melius, quia procedit ex Religione, virtutum omnium moralium praestantissima. Ergo si Paupertas, Castitas, et Obedientia absque voto recte servantur, rectius etiam, et majori cum fructu voventur. Dixi, *cae-*

teris paribus; nam operari ex voto, sed remisse, et sine charitate, minus bonum est, quam operari sine voto quidem, sed intensius, et cum charitate.

OBJECTIONES.

DCXVII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Ratio Theologica in Scripturis fundata. Deus jubet se diligi ex toto corde, juxta illud Matth. Cap. XXII. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Ergo nullum obsequium nobis superest, quod Deo non debeamus. Ergo non dantur consilia Evangelica, sed tantum praecepta. Atqui certum est, quod Deus non praeceperit Paupertatem, Castitatem, et obedientiam. Ergo ne suasit quidem. Antequam ad id argumentum respondeam, observo ex *S. Thoma* Opusc. de Perfectione, quatuor esse gradus charitatis, sive dilectionis. I. est, diligere Deum, quantum ille est diligibilis, hoc est, amore infinito: et sic solus Deus est perfectus, qui amore infinito se ipsum prosequitur; Angeli vero et Beati omnes sunt imperfecti negative. II. est diligere Deum, quantum potest a creatura diligi, ita ut illa per intellectum et voluntatem semper actu feratur in Deum. Atque haec perfectio solis Beatis convenit. III. est diligere Deum, quantum potest creatura mortalis, quae a se removit omnia divina charitatis impedimenta, totamque se divino servitio addixit. Atque hi homines sunt quidem imperfecti, si cum Beatis conferantur, perfecti tamen respectu aliorum, etiam justorum. IV. et infimus gradus est, ita diligere Deum, ut nihil aeque aut magis quam Deum amemus, parati vi-

tam potius, quam Deum amittere, atque illius gratia excidere. His praemissis, Resp. omnibus a Deo praecipi infimum hunc charitatis, et Christianae perfectionis gradum sub poena aeternae damnationis, ita ut sincere diligatur Deus, praeponaturque rebus omnibus creatis, saltem illi dilectioni contrariis; tertium vero gradum non ad praecepta, sed ad consilia pertinere, variationemque illam phrasium, *ex toto corde*, *in tota anima*, *in tota mente*, nullum mysterium includere, aut diversum quid significare; sed more Scripturae multa et varia nomina poni ad eamdem rem denotandam, majoris energiae gratia.

DCXVIII. *Dices I.* Praeceptum dilectionis, et non concupiscendi, in hac vita impleri non potest, ut testatur *S. Augustinus* Lib. de spiritu et littera Cap. ult. *S. Bernardus* Serm. L. in Cantica, et *S. Thomas* II. II. Quaest. XLIV. Art. VI. Ergo si in hac vita implere non possumus praecepta, multo minus implebimus consilia, quae difficiliora sunt praeceptis. Ergo dicendum est, nulla dari consilia Evangelica. R. Quamvis citati Patres dicant, imperari nobis omnes gradus charitatis, quos vel in hac vel in altera vita habere possumus, ita ut semper amemus Deum, nec sit in nobis ullus etiam involuntarius concupiscentiae motus cum Dei amore pugnans: ideoque praeceptum hoc ita sumptum in hac vita impleri non posse; verbis tamen magis quam re a nobis discrepant. Ratio id asserendi est. I. Quia dicunt id praeceptum in hac vita servari non posse, quatenus indicat finem, qui in hac vita obtineri nequit, non vero quatenus indicat medium, seu infimum gradum charitatis et dilectionis. Ergo perfectissimus gradus charitatis, etiam juxta ipsos, proprie

non praecipitur; praeceptum enim non obligat, quatenus indicat finem, sed solum quatenus praecipit medium, ut patet exemplo militum, qui obligari non possunt ad referendam victoriam, sed solum ad strenue pugnandum. II. Quia affirmant, licet hoc praeceptum non possit in hac vita perfecte impleri, tamen non facere praevaricatores, si non impleatur, ut diserte asserit S. Augustinus l. c. *Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illa cognitioni plenae perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est.* Si autem intensissima charitas proprie praeciperetur, peccarent quotquot eam non assequerentur; non faciendo enim quod facere tenemur, peccamus. Ergo si addimus alterum gradum amoris, amamus plus quam tenemur, atque hoc modo exhibemus Deo actum supererogationis et consilii. Proprie itaque ac stricte loquendo infimus tantum charitatis et perfectionis gradus praecipitur; tertius vero, cujus in hac vita capaces sumus, a Deo nobis suadetur.

DCXIX. *Dices II.* Qui non intensius amat, cum possit, gravissimum committit peccatum. Ergo quilibet tenetur Deum, quantum potest, amare. P. A. Qui Deum non intensius amat, cum possit, negat Deum esse summum Bonum, et abutitur dono Dei; nam posse plus diligere est donum Dei. *Confirmat.* Qui abscondit talentum, a Deo punitus est. Ergo etiam ille punietur, qui, cum possit, Deum non intensius diligit R. D. A. Si id faciat ex contemptu, vel ex superbia, quod se satis perfectum esse putet, vel in necessitate majorem amorem exigente, C. Secus N. A. Ad *probat.* N. A. quoad utrumque membrum. Qui diligit Deum super omnia, quamvis amore non perfectissimo, aut

maxime intenso, habet Deum pro summo Bono: alioqui semper essemus perplexi, semperque peccaremus. Quantumvis enim ardenter Deum diligamus, semper tamen videmur paulo ardentius posse diligere, si magis conemur. Sic etiam qui paratus est Dei dono uti, si necessarium sit; etiamsi numquam fortassis eo utatur, non dicitur abuti dono Dei; nam ille cui Paulus dicit I. ad Cor. Cap. VII. *Quod vult faciat*, sine dubio potuit continentiam servare; et tamen ei dicitur: *Non peccat, si nubat.* Ad *Confirmat.* N. C. Servus ille praeceptum habebat negotiandi; homo autem praeceptum non habet Deum perfectissime amandi: neque ad id tenetur ex praecepto rigoroso, sed tantum ex decentia et congruentia.

DCXX. *Dices III.* Opera nostra semper sunt imperfecta. Ergo legem numquam implemus. Ergo Deus nulla dedit consilia, quae multo minus implere possumus. P. A. Apostolus ad Rom. Cap. VII. v. 25. scribit: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.* II. Job. Cap. IX. *Verebar omnia opera mea.* III. Isaias Cap. LXIV. vocat justitias nostras *pannum menstruatae.* IV. Psal. CXLII. *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* R. D. A. Opera nostra semper sunt imperfecta, hoc est, non habent omnem perfectionem, quam possent habere, sicque sunt negative imperfecta, C. A. Sunt semper imperfecta positive, N. A. Ad I. R. Apostolum id loqui de motibus involuntariis concupiscentiae, qui a peccato quidem tamquam a radice proveniunt; ipsi tamen non sunt peccatum, sed poena peccati. Ad II. Si Job metuebat, putabat vitari posse malum; alias non metuisset, sed

desperasset se illud vitare posse. Ad III. R. cum *S. Hieronymo* in hunc locum, Isaiam loqui in persona gravissimorum peccatorum, qui opera bona inquinant admixtione multorum criminum. Ad IV. R. neminem perfecte justificari coram Deo; quia nullus est, qui saltem venialiter non deliquerit: et quia justitia Dei tam sublimis est, ut ejus comparatione omnis hominem ut Angelorum justitia, injustitia videatur, sicut candela accensa coram sole, non lucere, sed umbram facere videtur.

DCXXI. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Omnis cultus, quem Deus non praecipit, Deo placere non potest. Ergo votum de re a Deo non praecepta non est cultus Dei. P. A. ad Coloss. Cap. II. scribit Apostolus: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum: quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione.* In Graeco textu dicitur, *In voluntario cultu.* Ergo Apostolus damnat omnem cultum a Deo non praescriptum. II. Ad Rom. Cap. XIV. dicitur. *Omne, quod non est ex fide peccatum est.* Atqui cultus arbitrarius non est ex fide. Ergo III. I. ad Cor. Cap. VII. v. 35. *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam.* IV. II. Cor. Cap. IX. v. 7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philemonem v. 14. *Ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Ergo Apostolus reprobat ea quae fiunt ex voto, tamquam necessitate aliqua extorta. R. N. A. Ad *probat.* R. I. Protestantes contra Anabaptistas asserunt, licitum esse Christianis

juramento se obstringere, justa et rationabili ex causa: quod absque dubio est actus religionis, quamvis id in nullo novi Testamenti libro dicatur. R. II. N. C. Apostolus l. c. refutat Simonem magum, ejusque asseclas, qui Angelos praeferebant Christo, docebantque per eos patere accessum ad Deum, ac propterea ad eos confugiendum esse: sicque novam et Christianae contrariam religionem commenti, suos abstinere jubebant a vino, carnium esu, et legitimo conjugio. Ita *Clemens Alexandrinus* Lib. III. Stromatum. *S. Hieronymus* in Epist. ad Algasiam etc. Ad II. R. Per *fidem*, juxta communissimam tam veterum quam recentiorum, intelligi conscientiam, ita ut sensus sit: Id omne, quod fit contra conscientiae dictamen, est peccatum. Atqui vota religiosa non emittuntur contra, sed juxta dictamen conscientiae ex intentione Deum colendi. Ad III. Votum non est laqueus re bene perpensa, sed temere et inconsiderate voventi. Ad IV. N. C. Apostolus loquitur de necessitate, quam pudor vel respectus humanus in faciendis bonis operibus; non autem de illa necessitate, quam charitas inducit, ex qua vota fiunt.

DCXXII. *Objicitur III.* Infirmitas argumenti nostri. Quamvis Scriptura veteris Testamenti commendet vota, non tamen ea laudantur in Scripturis novi foederis. Ergo vota sunt caeremoniae veteris Legis, quae non magis ad Christianos pertinent, quam circumcisio et Judaeorum sacrificia. *Confirm.* I. Christus in Lege nova libertate nos donavit. Ergo vota Christianorum Deo placere non possunt. *Confirm.* II. Vota supponunt, nos per professionem Evangelii, quam in Baptismo emittimus non esse perfectissimo vinculo Deo obstrictos; quod tamen veritati non est consentaneum. R. I. N. C. Quam-

vis in Scripturis novi Testamenti nulla votorum mentio fieret, nihilo tamen sequeretur ea Christianis prohiberi R. II. N. A. In Evangelio commendatur votum B. Mariae. *Quoniam virum non cognosco* Lucae Cap. I. In Actibus Apostolorum laudantur primi fideles Jerosolymis degentes, qui communem vitam agebant, voti Sacramento firmatam, ut verba B. Petri indicant ad Ananiam Act. V. *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua potestate?* et Patres interpretantur, *S. Hieronymus* in Epist. ad Demetriadem, *S. Chrysostomus* Hom. XII. in Acta Apost. *S. Augustinus* Ser. XXVII. de verbis Apostoli, et Serm. CXLVIII. *S. Gregorius M.* Lib. I. Epist. XXXIII. ad Venantium etc. Apostolus I. ad Timoth. Cap. V. scribit: *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi per *primam fidem* intelligi continentiae votum asserunt Patres maximo consensu, *Tertullianus* Lib. de Monogamia circa finem, *S. Basilius* Lib. de Virginitate, *S. Hieronymus* Lib. I. contra Jovinianum, *S. Epiphanius* Haer. XLVIII., *S. Augustinus* Lib. de Sancta Virginitate, Cap. XXIII. *S. Fulgentius* Epist. I. *S. Innocentius* Epist. II. Cap. XIII. *S. Gelasius* Epist. I. Cap. XXIII., *S. Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophilactus*, *et Oecumenius* in hunc locum, *Carthaginense* IV. Concilium Can. CIV. et *Toletanum* IV. Capit. LV. Ad I. *confirmat.* R. Libertatem Evangelicam, quam Christus nobis asseruit, esse libertatem a peccato, et servitute legis veteris, non vero a quacumque caeremonia; alias ipsi Protestantes nec diem Dominicam observare, nec Sacramenta Baptismi et Coenae retinere deberent. Ad II. *confirmat.* R. Nos in Bapti-

smo obstrigi quidem Deo, non tamèn modo omnium perfectissimo. Si autem perfectioni legis novae, quam in Baptismo amplexi sumus, vota superaddere non liceret, nec Judaeis olim licuisset vovere; cum etiam illis in Lege dictum fuerit. Deuteron. Cap. VI. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Ac nihilominus non imperiti tantum, sed sapientissimi etiam Prophetae vovebant.

DCXXIII. *Objicitur IV.* Ratio. Votum minuit libertatem operantis, quia imponit necessitatem. Ergo minuit etiam illius meritum. Ergo praestat non vovere. R. N. A. Quemadmodum votum libere emittitur, ita etiam libere servatur. Ergo sicut libere implentur praecepta, ita etiam libere implentur vota. Fateor equidem, libertatem hominis, si ea consideretur ut est facultas ad utrumlibet, et non ut est libertas Christiana ad serviendum nempe justitiae, aliquo modo minui per obligationem voti; quatenus nempe actus aliquis ita difficilis redditur, ut jàm sine peculiari peccato non possit poni, cum antea posset. Sed tamen hoc modo etiam minuitur libertas per obligationem matrimonii, et aliorum contractuum humanorum, quam tamen obligationem nemo propterea censebit pugnare cum libertate Christiana. Praeterea haec diminutio libertatis per votum non fit secundum id, quod est perfectionis in libertate humana, nimirum secundum facultatem, quam habemus, recte operandi, et consequendi beatitudinem, quae finis est nostrae libertatis; haec enim facultas potius promovetur et perficitur per votum: sed fit ea qualiscumque diminutio secundum id, quod est imperfectionis in libertate, nempe secundum proclivitatem ad malum.

DCXXIV. *Dices I.* Quodlibet votum exponit hominem periculo peccandi, praecipue votum continentiae, ob concupiscentiae stimulos, et humanam fragilitatem. Ergo omne votum est temerarium. *Confirmat.* Expeditissima via ad salutem est, observare Evangelium eodem modo, quo nobis traditum est. Sed admissis votis, Evangelium non observatur eodem modo quo nobis traditum est; quia per votum evadunt praecepta, quae in Evangelio sunt tantum consilia. Ergo. R. D. A. Quodlibet votum exponit hominem periculo proximo peccandi, et per se, N. A. Periculo remoto, et per accidens, C. A. N. C. Voti obligatio per se minuit potius periculum peccandi, quatenus per se firmat magis voluntatem in bono. Periculum autem remotum peccandi contra materiam voti, quod per accidens imminet, non debet deterrere sapientem a vovendo, cum id periculum, Deo juvante, facile possit superari. Ad *confirmat.* R. I. Ergo nullae leges Ecclesiasticae, vel etiam politicae debebunt admitti, praeter Evangelium? R. II. D. M. Expeditissima via ad salutem est observare Evangelium eodem modo quo institutum est, circa ea quae omnibus ad salutem sunt necessaria, C. M. Circa ea, quae Christus libera esse voluit, prout spectatis circumstantiis temporum, locorum, et personarum, fidelibus visum fuerit, N. M. Et sic dist. minore N. C. Etiam qui matrimonium init, absolute obligatur ad reddendum uxori conjugale debitum, eique fidem servandam: sicque non observat Evangelium eodem modo, quo nobis traditum est; cum matrimonium in Evangelio non praecipiatur, sed liberum relinquatur.

DCXXV. *Dices II.* Qui voveret rem non praeceptam injuriam facit Deo. Ergo eum non colit. P. A. Arguit

Deum vel insipientiae, quod non sciverit ei tam bene prospicere, ut ipse sibi per votum prospexit: vel invidiae, quod majorem illam perfectionem voventi inviderit. Ergo injuriam facit Deo. R. N. A. Ad *probat.* iterum N. A. Deus multa nobis libera esse voluit, ut quisque ad quod vellet, se obligaret titulo pietatis et gratitudinis. Nec propterea Deus insipientiae aut invidiae argui potest; Deo enim suadente, illustrante, et corroborante, majorem illam perfectionem edito voto appetimus.

DCXXVI. *Objicitur V.* contra III. Conclusionem Ratio. Vota Monastica sunt superstitiosa. Ergo non recte voventur. P. A. Monachi docent, quod vota monastica mereantur justificationem, et remissionem peccatorum, ac quod longe meliora sint Baptismo. Ergo. II. Quamvis religiosa vota essent Deo grata, non sequitur tamen ea recte ac prudenter voveri posse. Ergo. P. A. Gratius Deo esset, si abstineremus ab omni peccato veniali; quale tamen votum non recte ac prudenter emitteretur, ut ipsi Catholici fatentur. Ergo potest aliquid Deo esse gratissimum, quin sit materia voti. R. N. A. Ad *probat.* N. A. Protestantes ad conflandam Monachis invidiam, hanc eis doctrinam affingunt. Catholici itaque docent I. Vota monastica de se esse bona, meritoria vitae aeternae, et si in statu gratiae fiant, plurimum conducere ad satisfactionem pro peccatis. II. Vota inter religiosa et Baptismum, intercedere tantum aliquam similitudinem; quod nempe sicut in Baptismo Christianus renuntiat diabolo, et novam incipit vitam: ita religiosus per monasticam professionem renuntiet saeculo, ac novam incipiat vitam, Deo gratiorem. Et sicut in Baptismo remittuntur perfecte omnia peccata quoad culpam et poenam: ita per professionem religiosam, debita intentione fa-

ctam, pie creditur remitti, non quidem culpa, sicut in Baptismo, sed poena tantum temporalis, pro qua alioquin satisfaciendum esset. Idque non certo asserunt, sed pie credunt, ducti authoritate *S. Hieronymi* Epist. XXV. de obitu Blesillae, *S. Bernardi* Lib. de praecepto et dispensatione, et Sermone XXX. in Cantica, ac *S. Thomae II.* II. Quaest. ult. Artic. in responsione ad III. Ad II. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Non potest recte ac prudenter emitti votum abstinendi ab omni peccato veniali deliberato, N. A. Ab omni peccato veniali semideliberato et subreptitio, C A. N. C. et paritatem. Sine speciali atque extraordinario Dei auxilio, quale nullus sibi prudenter polliceri potest, stricte moraliter impossibile est vitare omnia prorsus venialia semideliberata et subreptitia in hac naturae nostrae fragilitate: contra vero religiosa vota, Deo auxiliante, facile servari possunt, saltem quoad substantiam, ita ut quis contra votum graviter non delinquat. Ergo fuga omnis peccati venialis etiam subreptitii, cum nobis moraliter non sit possibilis, non est materia voti; sunt autem voluntaria Paupertas, Castitas, et Obedientia.

DCXXVII. *Objicitur VI.* speciatim difficultas continentiae. Nemo debet vovere nisi id, quod certe scit se posse praestare; alioquin se exponit periculo violandi votum. Sed nemo scire potest, an continentiam possit perpetuo servare; cum scire nequeat, an habeat illud donum, et an semper illud sit habiturus. Ergo nemo vovere potest perpetuam continentiam. R. I. quaerendo, an qui matrimonium init, certus sit se fidem uxori servaturum, praecipue absenti vel aegrotanti? Cum etiam conjugalis continentia et fides sit magnum Dei donum. Si certus est; ergo pari mo-

do qui castitatem vovet, certus dici poterit de voto servando: quod si certus non sit, temere dabit fidem uxori, et ineundo matrimonium exponet se periculo datam fidem violandi. R. II. C. M. N. m. Qui castitatem vovet, non equidem certus est, se votum suum perpetuo servaturum, cum voventes non sint Prophetae; certus tamen est se posse perpetuo continentiam servare; cum Deus omnibus det auxilia vere sufficientia, quibus si cooperentur, facile salutem aeternam consequi, fidemque Deo datam servare poterunt. Continentia itaque est magnum Dei donum, non ex eorum numero, quae Deus confert absque cooperatione hominis et electione, ut v. g. sanitas, donum prophetiae, gratia miraculorum etc.; sed ex illorum numero, quae a Deo conferuntur accedente cooperatione hominis. Quod si vero, qui castitatem vovere desiderat, stimulos carnis sentiat, persuadere sibi idcirco non debet, se hoc dono destitutum esse: neque enim ad perpetuum continentiae statum requiritur numquam experiri rebellionem carnis, ac mentis perturbationem; sed tantum illi non consentire, ut aperte nos suo exemplo docuit Apostolus, cui liberationem a stimulis carnis petenti ter a Domino responsum est. II. ad *Cor.* Cap. XII. *Sufficit tibi gratia mea*, qua scilicet consensum cohibeas. Vide *Card. Bellarminum* toto Libro II. de Membris Ecclesiae militantis, et *Gregorium de Valentia*, Libro de statu et votis Religiosorum hominum.

ARTICULUS V.

DE ECCLESIA PURGANTE SEU PATIENTE.

CONTROVERSIA UNICA.

AN ANIMAE JUSTORUM EX HAC VITA DECEDENTIUM, QUIBUS ALIQUID LUENDUM SUPEREST, IN PURGATORII POENIS DETINEANTUR, AC VIVORUM SUFFRAGIIS JUVARI POSSINT?

Contra Aerium, Apostolicos, Waldenses, Protestantes.

DCXXVIII.

Aerius Presbyter Arianus, novae sectae conditor, praeter alios errores docuit etiam Saeculo IV. orare et offerre pro mortuis non oportere, eoquod suffragia vivorum ipsis nihil prosint; ut testantur *S. Augustinus* Lib. de Haeresibus, Cap. LIII. et *S. Epiphanius* Haer. LXXV. qui Aerium ita loquentem inducit. *Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset, quid ea ex re tandem ad mortuum redit? Quod si superstitum preces iis, qui ex hac vita discesserint, opitulari possunt, nemo pie deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat; sed amicos sibi aliquos, quacumque ratione velit, adjungat, sive pecuniarum largitione, sive pre-*

cibus hoc ab illis sub vitae finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur. Saeculo XII. fanatici homines, qui Apostolicos se dicebant, Purgatorium dari negabant, ut refert. S. Bernardus Sermone LXVI. in Cantica. *Videte detractores; irrident nos, quia baptizamus infantes, quia oramus pro mortuis: non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore vel ad requiem transire, vel ad damnationem.* Huic Apostolicorum errori adhaeserunt eodem saeculo Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, Albigenses, Petrus de Bruis, et Henricus Monachus Apostata, de quibus Venerabilis *Petrus Cluniacensis* in Epistola ad Episcopum Arelatensem scribit, quod non solum vivorum saluti, sed et mortuorum spei invideant, et universorum communes et publici hostes effecti, non tantum vivos occidere, sed et mortuos, si possibile esset, rursus extinguere moliantur.

DCXXIX. Saeculo XVI. *Lutherus* initio Purgatorium admisit cum Catholicis; in disputatione enim Lipsiaca. A. 1519. *Ego*, inquit, *credo fortiter, immo ausim dicere, scio purgatorium esse: facile persuadeor in Scriptura de eo fieri mentionem: nolo mihi fieri suspicionem, quasi faveam haereticis, aut Bohemis. Ego nihil de purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris operibus et orationibus juvandas.* At paulo post Protheus hic, qui sciebat, ac fortiter credebat dari purgatorium, ac de eo mentionem fieri in Scripturis, contendebat purgatorium non posse probari ex Verbo scripto: animas in purgatorio posse mereri, aut demereri: eas sine intermissione peccare, dum horrent poenas, ac requiem quaerunt: et quae per Ecclesiae

suffragia liberantur, minus beari quam alias, quae per se satisfecerunt. Denique Libro de abroganda Missa privata, purgatorium dari omnino negavit: quam insaniam ratam habuit in libro ad Waldenses de Eucharistia. *Cum* inquit, *negatis purgatorium, damnatis Missas, vigilias, Coenobia, Monasteria, et quidquid per hanc imposturam erectum est: per omnia etiam probo*. Parentem suum secuti sunt Novatores illorum temporum, Melanchton, Brentius, Ochinus, Zwinglius, Vermilius, Anabaptistae, et Calvinus, qui Lib. III. Institut. Cap. V. ait, *Purgatorium multis blasphemiis constructum esse: exitiale esse commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiae non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit, et evertit.* Et quamquam l. c. fateatur, ante mille et trecentos annos, hoc est, jam saeculo III. usu receptum fuisse ut precationes fierent pro defunctis; pro incredibili tamen modestia sua asserit, omnes in errorem fuisse abreptos. Haud procul a Protestantium sententia abfuit *Joannes Opstraet* Jansenianae factionis Theologus Lovaniensis, qui in Thesibus suis Theologicis A. 1706, mimica dicacitate asseruit: *Missae non refrigerant animas in purgatorio, sed in refectorio*, Waldensium impudentiam imitatus, qui Missas, eleemosynas, et alia hujusmodi, quae fiunt in Romana Ecclesia pro defunctis, nihil eis prodesse ajebant, sed avaritiae Sacerdotum inventa esse.

DCXXX. Non hic cum Novatoribus litigamus de loco purgatorii, aut de poenarum genere, quod illic animae sustinere debent: an vero ac materiali igne torqueantur, vel tristitia tantum et dolore ob dilatam tamdiu beatitudinem: non de ministro hujus poenae,

mensura, modo, aut duratione; haec enim ejusmodi sunt, de quibus Catholici ipsi, salva pace, fide et unitate, inter se litigare possunt, cum earum quaestionum nullam Ecclesia Catholica supremo et irreformabili judicio deciderit. Status itaque quaestionis circa duo tantummodo versatur. Primum est, an animae justorum ex hac vita decedentes, quibus aliquid luendum superest, in purgatorii poenis detineantur? Dixi I. *Animae justorum*; quae enim peccato mortali inquinatae ex hac vita decedunt, omnium Catholicorum consensione, non ad purgatorium, sed ad aeterna inferorum supplicia ablegantur tamquam ligna arida et inutilia. II. *Quibus aliquid luendum superest*, quae quamvis in statu gratiae decesserint, divinae tamen justitiae pro culpis admissis congrue in hac vita satisfacere, et contracta apud illam nomina plene expungere neglexerunt. Quae enim perpetrata crimina condigna poenitentia, aut perfecta et flagranti charitate in hac vita eluerunt, a purgatorio immunes, ad visionem intuitivam Dei illico a morte admittuntur. III. *In purgatorii poenis*. Purgatorii autem nomine intelligitur hic locus, in quo animae justorum detinentur, donec Deo plene satisfecerint vel pro aliqua poena temporali, quae ipsis post condonatam culpam solvenda superest, vel pro levioribus quibusdam noxis nondum remissis, praescindendo hic, ut supra jam monuimus, a duratione, modo, ministro, aut genere poenarum Alterum hujus controversiae caput est, an animae in purgatorio detentae suffragiis vivorum juvari possint, nimirum officiis pietatis et religionis, quae viventes in earum gratiam Deo offerunt, ac praecipue Sacrosancto Missae Sacrificio, ita ut Deus horum suffragiorum intuitu aut poenas mitiget, aut

etiam liberaliter condonet. Atque hi sunt duo praesentis Controversiae cardines.

DCXXXI. *Conclusio I.* Post condonatam culpam, atque etiam aeternae mortis reatum, saepissime adhuc superest poena temporalis persolvenda. Dixi, *saepissime.* In gemino enim casu omnis culpa et poena perfecte remittitur. I. Quando quis baptizatur, ita ut gratiae et effectui Baptismi obicem non ponat. II. Quando quis perfectissime conteritur, et flagrantissima charitate Deum diligit. Probatur jam Conclusio I. Authoritate Scripturarum. Adamus ob illud inobedientiae peccatum obnoxius fuit omnibus hujus vitae miseriis, et morti, quamvis poenitentia commissi criminis duceretur, veniamque illius a Deo obtinuerit. Genes. Cap. III. ait Deus ad illum: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. – – – – In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es: et in pulverem reverteris.* Deuteron. Cap. XXXII. ait Deus ad Moysem, virum utique justum, cui peccatum jam diu remiserat: *Quia praevaricati estis contra me* (Moyses et Aaron) *in medio filiorum Israel, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: et non sanctificastis me inter filios Israel, e contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.* Deus Moysi oranti, ut secundum multitudinem misericordiae suae peccatum Israelitici populi remitteret, respondit Numer. Cap. XIV. *Dimisi juxta verbum tuum. – – Attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa quae feci in Aegypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meae, non videbunt terram,*

pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. II. Regum Cap. XII. ait Nathan ad Davidem: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Ex quibus verbis patet, Davidem, post impetratam veniam homicidii et adulterii, punitum fuisse in vindictam peccati morte filii, quem ex adulterio susceperat. *Confirmat.* Omnes homines, etiam illi quibus originale peccatum remissum fuit in Baptismo, in poenam illius peccati sunt obnoxii miseriis hujus vitae, et morti, quae teste Apostolo ad *Rom.* Cap. V. per peccatum ingressa est in mundum. Ergo si satisfactio Christi non impedit, quo minus debitas poenas luamus peccati jam remissi, quod voluntate physice aliena commisimus; multo minus impediet, quo minus Deus poenas a nobis exigat peccatorum, quae voluntate physice propria patravimus; cum peccata personalia graviora sint noxa originali.

DCXXXII. Prob. III. Authoritate Patrum, praecipue S. Augustini, qui Tract. CXXIV. in Joan. scribit: *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis: quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitae miseriae, vel ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem detinet poena, et quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Et Enarratione in Psalm. L. *Implora misericordiam, sed attende justitiam. Misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? Quaeris*

misericordiam? Peccatum impunitum remanebit? Respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant. Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum - - - Novi justitiam ejus, cujus quaero misericordiam. Non impunitum erit, sed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio.

DCXXXIII. *Conclusio II.* Antiquissima, sancta ac saluberrima est consuetudo orandi pro defunctis, in hac vita nondum plene purgatis, eosque suffragiis juvandi. Prob. Conclusio I, Authoritate Scripturarum. Lib. II. *Machabaeorum* Cap. XII. Judas Machabaeus, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.) Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Verba peremtorii hujus testimonii tam perspicua, tam luculenta sunt, ut commentario non indigeant.

DCXXXIV. Prob. II. Authoritate Patrum Graecorum et Latinorum. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi Mystagogica V. *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos, vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii.* Eusebius Lib. IV. de Vita Constantini Cap. IX. scribit, eum in Ecclesia Apostolorum, quam CPoli aedificaverat, sepulturae locum sibi delegisse, ut etiam mortuus

particeps esset orationum, quae in illa Basilica a Fidelibus peragebantur. Et Cap. LXXI. de illius funere agens scribit: *Ac beatus quidem Princeps alto in suggestu jacens laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum Sacerdotibus Dei, non sine gemitu, ac lachrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio Principi officium exhibentes.* S. Epiphanius Haer. LXXV. *Caeterum quae pro mortuis fiunt, preces utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant. Nam cum in mundo agentes saepe labamur vel scienter, vel ignoranter, serviunt ut id, quod ultimo homines manet, in memoriam reducatur. Nam justorum pariter et peccatorum mentionem facimus; peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam impetremus; justorum autem, Patriarcharum, Apostolorum etc. ut Christum a caeterorum ordine segregemus, reputantes non esse Dominum cum mortalibus adaequandum --- Sed his rationibus missis, necessario facere illud Ecclesiam dico, quae traditum sibi ritum a majoribus acceperit. Num poterit quisquam maternam sanctionem, aut Patris legem evertere? Quemadmodum a Salomone scriptum est: Audi, fili, sermones patris tui, et ne repellas leges matris tuae: quibus declarat Patrem, hoc est, unigenitum Deum cum Spiritu Sancto partim sine scripto docuisse; Matrem vero nostram Ecclesiam decreta quaedam habere penes se, quae dissolvi evertique nequeunt. Quae quidem cum in Ecclesia constituta sint, praeclara ac penitus admiranda, ex hoc ipso capite impostor ille* (Aerius) *convincitur.* S. Chrysost. Hom. III. in Cap. I. Epist. ad Philippenses. *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysterio-*

rum memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis.

DCXXXV. E Latinis, Tertullianus Lib. de Corona militis, Cap. III. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Et Lib. de Monogamia, Cap. X. de vidua grata erga maritum scribit: *Pro anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* S. Cyprianus Epist. LXVI. ad Clerum et plebem Furnitanam prohibuit, ne Sacrificium offeratur pro defuncto Victore, quod contra Canones Geminium Faustinum Presbyterum ausus fuisset tutorem nominare. *Episcopi*, inquit, *antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari* Sacerdotes *et ministros voluit avocare.* Ergo certum omnino est, quod saeculo III. in Ecclesia Africana oblatum fuerit Sacrificium pro defunctis. S. Ambrosius in Orat. funebri de obitu Fratris sui Satyri. *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero. Cape propitius fraternum munus, Sacrificium Sacerdotis.* Et in Oratione de obitu Valentiniani II. *Date manibus Sancta mysteria, pio requiem ei poscamus affectu. Date Sacramenta coelestia; animam piam nostris oblationibus prosequamur --- Numquam ego piorum fratrum* (Gratiane et Valentiniani II. Impp.) *separabo nomina. Scio, quod Dominum commemoratio ista conciliet. --- Beati ambo,*

siquid meae orationes valebunt; nulla nox non donatos aliqua precum mearum contentione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. S. Hieronymus Epist. XXVI. ad Pammachium: de obitu Paulinae uxoris. *Caeteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia – – Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda elemosinae balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum, quod, sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

DCXXXVI. Catholicae consuetudini ac veritati apertissime pluribus locis suffragatur S. Augustinus. Serm. CLXXII. alias XXXII. de verbis Apostoli, ait: *Orationibus Sanctae Ecclesiae, et Sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem.* Lib. de Cura pro mortuis gerenda, Cap. I. *In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret authoritas, ubi*

in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Lib. IX. Confess. Cap. XIII. *Nunc pro peccatis matris meae* (Monicae) *deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quae pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis. Dimitte illi et tu debita sua. – Quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae – – Ut quod illa poposcit extremum, uberius ei praestetur in multorum orationibus.* Postulaverat autem Monica, ut ipse Augustinus l. c. refert, sui memoriam ad altare fieri post mortem.

DCXXXVII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Carthaginense III. A. 397. Cap. XXIX. ita statuit: *Ut Sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Coena Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, sive caeterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat; si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Carthaginense IV. A. 398. Capitulo LXXIX. *Poenitentes, qui attente leges poenitentiae exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et oblationibus et orationibus commendetur.* Graeci in professione fidei, quam obtulerunt B. Gregorio X. in Lugdunensi II. Concilio, quaeque approbata fuit a Concilii Patribus, dixere: *Si vero poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas in poenis pur-*

gatorii post mortem purgari : et ad poenas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta. Eadem fidei professio iterum approbata fuit, et dogma, de quo agimus, decisum in Concilio Florentino, consentientibus Graecis omnibus, praeter Marcum Ephesinum, Ecclesiae Orientalis turbinem illum et procellam. Tridentinum pluribus locis veritatem hanc Catholicam definivit et propugnavit. Sess. VI. Can. XXX. *Siquis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit; anathema sit.* Sess. XXII. Canone III. de Sacrificio Missae. *Siquis dixerit, Missae Sacrificium -- neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Et Sessione XXV. in Decreto de Purgatorio: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, et novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari, praecipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a Sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores et subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non fa-*

ciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt; tamquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant.

DCXXXVIII. Prob. IV. ex antiquissimis Liturgiis. In Liturgia Jerosolymitana S. Jacobi dicitur. *Fac Domine, ut oblatio nostra grata et accepta sit, per Spiritum sanctificata in propitiationem peccatorum nostrorum, et eorum quae populus per ignorantiam admisit, et in requiem animarum earum, quae ante nos obdormierunt.* In Liturgia Ecclesiae Romanae a S. Petro, ut fertur, scripta. *Memento Domine famulorum, famulorumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii et pacis indulgeas deprecamur.* In Liturgia Ecclesiae Mediolanensis, quae S. Barnabae tribuitur, pro defuncto Episcopo dicitur. *Aeterne Deus, suppliciter deprecamur, ut famulus tuus, cui dedisti Ecclesiae tuae gubernacula, nunc carnis ergastulo liberatus, et Praesulibus Apostolicae dignitatis consociatus, vitae aeternae praemium consequi mereatur.* In Liturgia S. Basilii pro Ecclesiis Cappadociae. *Memento Domine omnium dormientium in spe resurrectionis vitae aeternae, et refrigera eos.* In Liturgia S. Chrysostomi pro Ecclesia CPolitana: *Adhuc offerrimus tibi rationabile hoc obsequium pro fidelibus dormientibus, pro fratribus et sororibus nostris.* In Liturgia Mozarabica, qua Ecclesia Hispanica jam ante S. Leandrum Hispalensem Episcopum utebatur, dicitur: *Mox fit secundum memento pro*

defunctis, *quo peracto recipit corpus et sanguinem Domini.* Vide Jodocum Coccium Thesauri Catholici Tomo II. Lib. VII. Art. V. de Poenitentia. Quamvis autem facile concedam cum *Honorato a S. Maria* Lib. V. Animadversionum in regulas et usum Critices, Dissertat. III., et *Natali Alexandro* in Hist. Eccles. Saeculi I. Cap. XII. Artic. III., eas Liturgias authores non habere S. Jacobum, S. Petrum, aut S. Barnabam; negari tamen non potest, eas esse antiquissimas: ac proin clare et invicte ex illis ostenditur praxis et consuetudo Ecclesiae Catholicae jam ab antiquissimis temporibus.

DCXXXIX. Prob. V. Ratione Theologica in Scripturis fundata. Ex una parte saepe fidelibus post mortem remittuntur peccata aliqua, nempe venialia: ex altera parte quamvis remissa fuissent omnia peccata ante mortem, superest nihilominus poena temporalis peccato correspondens, quam cum in hac vita non sustinuerint, divinae justitiae persolvere tenentur in altera vita. Ergo consuetudo pro defunctis orandi est sancta, cum sit opus misericordiae, et Christianae charitatis. Prob. I. pars Antecedentis. Matth. Cap. XII. v. 32. ait Christus. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ergo in futuro, id est, in altero saeculo remittuntur peccata aliqua. Non mortalia: ergo venialia. P. C. Si peccata aliqua non remitterentur in futuro saeculo, Christus inepte locutus fuisset, quod vel cogitare impium est; sicut inepte quis diceret: neque in hoc saeculo nubam, neque in futuro; quia in futuro saeculo nuptiae non erunt. Ergo. P. A. Authoritate Patrum, S. Gregorii M. Lib. IV. Dialogo-

rum Cap. XXXIX. S. Bernardi Serm. LXVI. in Cantica, et S. Augustini, qui Lib. XXI. de Civitate Dei Cap. XXIV. scribit: *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Prob. etiam II. pars Antecedentis. Reatus culpae est separabilis a reatu poenae, ut Conclusione I. solide ostendimus. Ergo saepissime contingit, ut in hac vita per voluntaria poenitentiae opera, et Christiana adversitatum tolerantiam, vel ex negligentia, vel ex defectu temporis, quando nempe peccator paulo ante mortem convertitur, reatus poenae ex integro non tollatur. Ergo persolvere debitas poenas tenebuntur illi in altera vita. Ergo sancta et saluberrima est consuetudo orandi pro defunctis, eisque Deum per Sacrificia et orationes propitium reddendi.

DCXL. *Conclusio III.* Animae in statu gratiae decedentes, quibus aliquid luendum superest, in Purgatorii poenis detinentur. Conclusio haec necessaria consecutione sequitur ex prioribus. Prob. I. Sancta ac saluberrima est consuetudo orandi pro defunctis. Ergo datur purgatorium, in quo detinentur animae justorum in hac vita nondum perfecte expiatae. P. C. Oratio illa fieri prudenter ac salubriter non potest pro damnatis, quibus extra spem misericordiae constitutis prodesse nequit: Neque pro illis, qui jam coelesti felicitate donati sunt; hi enim cum actu summa beatitudine perfruantur, nostris praecibus non indigent, ipsi pro nobis oraturi. Immo teste *Augustino* Serm. XVII. de verbis Apostoli, oratio pro Sanctis facta, injuriam illis infert. Ergo fieri tantum potest pro justis, qui nondum coelo sunt recepti. Atqui tales sunt tantum illi qui in Pur-

gatorio detinentur. Ergo datur Purgatorium. II. Remisso peccato, non remittitur, ordinarie loquendo, poena temporalis peccato correspondens. Ergo cum saepissime homo moriatur, antequam Deo in hac vita plene satisfecerit, debet Deo satisfacere in altera vita. Atqui in coelo loco beatitudinis, atque ad intuitivam Dei visionem admissus, quae ex natura sua omnem poenam ac sensum doloris excludit, satisfacere non potest. Ergo in loco intermedio. Ergo datur Purgatorium. Verum opus non est pluribus rationum momentis Conclusionem hanc communire. Facile enim concedet Purgatorium dari, qui defunctos suffragiis vivorum juvari posse non inficiatur.

OBJECTIONES.

DCXLI. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ezechielis Cap. XVIII. ait Deus: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et Cap. XXXIII. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. – – Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei.* II. Psalmo XXXI. dicitur: *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* III. ad Rom. Cap. VIII. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ergo remissa culpa, remittitur etiam poena. *Confirm.* Christus dum remisit peccata Paralytico et Magdalenae, atque etiam adulterae, nullam iis poenam injunxit. Ergo nulla poena luenda remanet justificatis. R. C. A. N. C. Deus apud Ezechielem ait, poe-

nitenti peccata non imputanda ad aeternam damnationem; Deumque non recordaturum peccata, ita ut propter illa hominem odio habeat, ipsique aeternas poenas infligat. At vero remissionem poenae temporalis Deus poenitenti nullibi pollicitus est, nisi ipse per debitos poenitentiae labores divinae justitiae plene satisfecerit. Atque legitimum esse citati textus sensum, manifeste deducitur ex poena Adami, Moysis, et Davidis, de qua in probatione diximus. Accedit, quod Deus apud Ezechielem loquatur de peccatore, qui perfectissimam agit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, et custodit omnia praecepta Dei, faciens omnem justitiam et judicium, quique hac ratione divinae justitiae in hac vita plene satisfacere conatur. Ad II. R. et illum merito beatum dici, cui Deus peccatum non imputat ad mortem aeternam, quamvis luenda remaneat poena temporalis. Ad III. R. Apostolum velle, quod justificatus per gratiam Christi non amplius obnoxius sit damnationi aeternae quamvis non eximatur a poena temporali, quae vocari nequit damnatio, sed exercitatio patientiae, et occasio novi meriti, si in hac vita patienter persolvatur. Ad *confirmat*. R. I. Magdalenae probabilius, ob magnitudinem dilectionis, et culpam et poenam omnem remissam fuisse: adulterae vero et Paralytico quamvis Christus nullam injunxerit, minime sequitur omnem poenam temporalem illis condonatam fuisse R. II. N. C. Christus ad majorem excellentiae suae commendationem potuit illis et culpam et poenam omnem remittere: noluit tamen hoc privilegium extendere ad omnes poenitentes, quibus culpam remittit.

DCXLII. *Objicitur II.* Paritas. Deus adultis in Baptismo cum culpa remittit totam poenam tempora-

lem, plurimis ac gravissimis criminibus debitam. Ergo illam remittit etiam peccatoribus, quando illi post susceptum Baptismum justificantur. R. C. A. N. C. Disparitatem assignat Concilium Tridentinum Sess. XIV. Cap. II. de Sacramento Poenitentiae. *Alius est Baptismi, alius poenitentiae fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Poenitentiae, sine magnis fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.* Et Cap. VIII. *Divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

DCXLIII. *Dices.* Nemo fictam et fraudulentam hominis cum inimico reconciliationem non judicaret, si post condonationem injuriae et amicitiae sponsionem, aliquod malum aut damnum ipsi inferret. Ergo a pari, si Deus a justis poenas exigeret in Purgatorio ob peccata, quae ipsis dimisit, ipsos vere ac sincere suam in amicitiam recepisse non diceretur. R. N. C. et paritatem. Longe alia ratio est reconciliationi hominis cum inimico, et Dei cum poenitente. Illa siquidem externis tantum innotescere testimoniis potest, proindeque merito suspecta esset fraudis, si grave aliquod malum et damnum inferret inimico, qui se dimisisse injuriam pu-

blice ac palam fuisset contestatus. Praeterea malum illud, quo afficeretur inimicus, ad expiationem injuriae quam prius inflixisset alteri, vel ad amicitiae confirmationem conferret nihil. Dei autem cum poenitente reconciliatio interior est: ac praeterea poenae, quas hic vel in Purgatorio exsolvit justus, ad resarciendum honorem Deo ablatum, et violata priori peccato justitiae simul et misericordiae jura quodammodo reparanda infliguntur. Suum quippe jus exercet misericordia, cum peccatum condonat: suum justitia, cum poenas satisfactorias exigit. Nec enim Deus instar privati cujusdam cogitandus est, qui nedum injuriam, sed et poenam omnem injuriae debitam, remittere debet inimico, quem suum in gratiam recipit; sed instar Judicis, qui ordinem juris servare debet.

DCXLIV. *Objicitur III.* Sequela. Si satisfactio nostra, remisso jam peccato, foret necessaria, sequeretur, Christi satisfactionem pro nobis sufficentem non fuisse. Atqui Christus pro nobis abunde satisfecit, cum illius passio fuerit valoris infiniti. Ergo. *Confirm.* Satisfactio nostra saltem derogat meritis Christi. Ergo non datur obligatio satisfaciendi. R. N. M. Ex eo, quod homo, remisso etiam peccato originali, morti aliisque hujus vitae miseriis obnoxius sit, inferri non potest, satisfactionem Christi plenam et abundantem non fuisse, ut ipsi fateri coguntur Protestantes. Ergo id neque ex eo inferri potest, quod remisso peccato personali, remaneat poena temporalis nobis luenda. Nimirum quamvis Christus pro nobis satisfecerit, ejus tamen satisfactio ad remissionem omnis poenae temporalis nobis ordinarie non applicatur, nisi per satisfactiones nostras, quae quidem non requiruntur ad supplendam insuffi-

cientiam satisfactionis Christi, sed tantum ad ejusdem applicationem. Ad *confirmat.* N. A. Satisfactiones nostrae totam vim merendi et satisfaciendi habent a meritis Christi, sine quibus illae nobis nihil prodessent. Ut enim Tridentinum ait Sess. XIV. Cap. VIII. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.*

DCXLV. *Objicitur IV.* Ratio. Poena temporalis, quae remisso peccato luenda remanet, non infligitur a Deo in vindictam, seu punitionem peccati praeteriti, sed ad cautelam et emendationem in futurum, ad majorem utilitatem nostram spiritualem. Ergo cum post mortem hic finis obtineri nequeat, nulla remanet poena in altera vita luenda. P. A. Authoritate Patrum. *S. Augustinus* Lib. II. de peccat. meritis et remiss. Cap. XXXIV. scribit, miserias hujus vitae ante remissionem esse supplicia peccatorum, post remissionem autem easdem esse certamina, exercitationesque justorum. S. Chrysostomus Hom. de Poenitentia ait: *Propter hoc imponit nobis poenam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* S. Ambrosius in Caput XXII. Lucae ait: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* R. N. A. Deus in hac vita poenas infligit tum ad cautelam et emendationem in futurum, tum etiam in vindictam peccati praeteriti, ut satis colligitur ex verbis Scripturae in probatione citatis. Gen. Cap. III. *Quia audisti vocem uxoris tuae, et com disti de ligno — — maledicta terra in opere tuo etc.* Deuteron. Cap. XXXII. *Quia praevaricati estis contra me — — videbis terram, et non ingredieris in eam.* Profecto Moyses ad cautelam et

emendationem in futurum mori jussus non fuit, antequam Palaestinam ingrederetur. II. Regum XII. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini - - filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quae verba apertissime indicant, poenas illas fuisse inflictas in vindictam peccati. Ad *probat.* N. C. *S. Augustinus* non negat, miserias hujus vitae, quamvis post peccatum remissum sint exercitationes justorum ad meritum, immitti etiam in vindictam peccatorum. Nihil enim impedit, quo minus eadem afflictio dicatur proprie poena, tamquam proveniens a justitia, quae sibi vult satisfieri, et castigatio tamquam ex paterna cura ac providentia ortum habens; quando in una Dei actione et justitia punientis, et sollicitudo paterne emendantis possunt concurrere. Pari modo S. Chrysostomus vindictam peccati non excludit; sed tantum ait, in hujus vitae poenis Deum magis utilitatem nostram, quam peccati vindictam intendere, ut patet ex verbis, quae locum citatum praecedunt. *S. Ambrosius* per satisfactionem intelligit ibi excusationem; ideoque illum laudat, quod culpam suam ingenue confessus fuerit, non excusaverit. *Petrus*, inquit, *doluit et flevit quia erravit ut homo. Non invenio, quid dixerit, invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest.*

DCXLVI. *Dices I.* Opera Dei sunt perfecta. Ergo remissa culpa, remittitur etiam poena. P. C. Remissio culpae, poena non remissa, est imperfecta. Ergo. II. Sublata causa, tollitur etiam effectus. Ergo remissa culpa, tollitur etiam reatus poenae temporalis, qui est effectus culpae. P. A. Sublato igne, deficit splendor. Ergo sublata causa tollitur effectus. R. D. A. Opera Dei sunt perfecta, id est, habent omnem

perfectionem sibi debitam, ad obtinendum finem a Deo intentum, C. A. In alio sensu, N. A. Et Conseq. Ad *probat*. D. A. Est imperfecta positive, id est, non habet perfectionem sibi debitam in ordine ad obtinendum finem illum, quem Deus sibi praefixit, N. A. Est imperfecta negative, seu minus plena et perfecta in ratione remissionis, C. A. N. C. Ad II. R. I. Ergo sublato, vel remoto ense, curatur vulnus ense inflictum? R. II. D. A. Sublata causa, tollitur effectus, si ille dependeat a causa, ut sit, atque etiam ut conservetur, sicut v. g. splendor ab igne, C. A. Si non dependet a causa in sui conservatione, N. A. Sicut vulnus in sui conservatione non dependet a gladio: ita neque reatus poenae temporalis dependet a culpa.

DCXLVII. *Objicitur V.* contra II. Conclusionem, Infirmitas argumenti ex libris Machabaeorum petiti. Libri Machabaeorum non sunt Canonici. Ergo ex Scriptura probari non potest, sanctam et salubrem esse consuetudinem orandi pro defunctis. Ergo haec consuetudo est impia et superstitiosa. R. I. N. A. Libros Machabaeorum Canonicos esse ostendimus Tractatu II. Articulo II. de Verbo Dei scripto, Controversia II. R. II. Nego etiam ultimam Conseq. Quamvis id ex Scripturis probari non posset; argumenta tamen a nobis allata in probationibus, nempe authoritas antiquissimorum Patrum, Conciliorum, Liturgiarum, et constans Ecclesiae praxis manifeste evincunt, id saltem haberi ex Verbo tradito, cujus non minor ac Verbi scripti est authoritas. Praeterea quamvis Machabaeorum libri Canonici non essent, satis tamen ostenderent praxin Ecclesiae Judaicae, quae pro defunctis sacrificia offerre solebat. Judas enim Machabaeus, paternae legis peritissimus ac

S 6

tenacissimus, novos atque inusitatos ritus in Synagogam non introduxit, et Judaei etiam nostrorum temporum pro defunctis suis orant. Cujus consuetudinis cum nullum assignari possit initium, dicendum omnino est, morem hunc non a Christianis, quorum ritus aversantur ac contemnunt, sed ab antiquissima veteris Synagogae institutione ad hodiernos Judaeos profectum esse.

DCXLVIII. *Dices I.* Si libri Machabaeorum essent Canonici et divini, probaretur omnino viventium preces prodesse etiam illis, qui in peccato mortali mortui sunt. Atqui certum est illis nihil prodesse. Ergo. P. M. Judas sacrificium offerri jussit pro illis, qui contra expressam Mosaicae Legis prohibitionem surrepta idolorum donaria intra tunicas celaverant. Ergo sacrificium offerri jussit, pro illis, qui in peccato mortali mortui erant. R. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. Judas Machabaeus pie existimavit milites illos peccatum suum ante pugnam poenitentia et contritione expiasse, illiusque veniam a Deo obtinuisse; ita tamen ut temporalis forte poena in Purgatorio luenda maneret. Ipse sacer textus affirmat, eos cum pietate dormitionem accepisse.

DCXLIX. *Dices II.* Author Libri II. Machabaeorum supponit animas cum corporibus interire, et cum illis postea resurgere, sicque destruit animae immortalitatem. Ergo liber ille non est canonicus. P. A. Cap. XII. v. 44. dicitur: *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.* Si animas supponeret author illius libri non perire cum corpore, oratio pro mortuis non esset superflua, sed si non corpori, saltem animae prodesset. Ergo cum dicat orationem pro mortuis fore superfluam,

si corpora non resurgerent, supponit animas cum corporibus interire. R. N. A. Ad *probat*. C. A. N. C. Author libri illius, pro more Judaeorum, utramque quaestionem, nempe de immortalitate animae et corporum resurrectione, simul conjungit: sicut Christus ambas quaestiones simul conjunxit in disputatione illa cum Sadducaeis Matth. Cap. XXII. v. 31. *Non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Et Apostolus I. ad Cor. Cap. XV, v. 32. *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Ratio utramque quaestionem conjungendi fuit, quia utraque quaestio apud Judaeos ita erat connexa, ut utramque vel negarent, vel admitterent; eo quod putarent, siquidem anima immortalis sit, corpus etiam, quod in partem boni vel mali operis venit, mercede aut poena carere non posse. Sadducaei utrumque negabant; Pharisaei vero utrumque admittebant.

DCL. *Dices III.* Author libri Machabaeorum narrat solummodo, quid fecerit Judas Machabaeus; ipse vero nullibi approbat factum Judae. Ergo quamvis hic liber foret Canonicus, ex eo tamen non evincitur vivorum suffragia prodesse defunctis. R. N. A. Posteaquam sacer Scriptor narravit factum Judae Machabaei, illico subjungit: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

DCLI. *Objicitur VI.* Authoritas Patrum. S. Cyprianus Lib. ad Demetrianum scribit: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus.* S. Chrysost. Hom. II. de Lazaro. *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm poeni-*

tere, neque commissa diluere. S. Ambrosius Lib. de Bono mortis, Cap. II. *Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit nimirum in patria beatorum*. S. Cyrillus Jerosol. Catech. XVIII. *Poenitentiae et remissionis peccatorum tantum in hac vita praescriptum tempus habemus*. II. S. Hieronymus in Caput IX. Amos scribit: *Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est: In inferno quis confitebitur tibi? ut certe ad coelestia sublevabitur*. III. S. Chrysostomus in Psalm. L. scribit: *Ubi misericordia est, poenae non expetuntur*. Atqui in omnes justos ex hac vita decedentes Deus exercet misericordiam. Ergo poenas ab illis non expetit. IV. *S. Augustinus* Lib. II. de peccat. meritis et remiss. Cap. XXXIII. scribit, peccata hic remissa non obesse post hanc vitam. Et Lib. de Spiritu et litt. Cap. XXVIII, peccata venialia hominem justum non impedire a vita aeterna. V. Idem *S. Augustinus* vehementer dubitavit de Purgatorio. Nam in Enchiridio Cap. LXVIII. exponens locum Apostoli I. ad Cor. Cap. III. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, ita scribit: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest: et aut inveniri, aut latere, non nullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari*. Et Lib. V. Hypognostici Cap. V. *Primum locum fides Catholicorum divina authoritate credit, regnum esse coelorum; secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel a fide Christi alienus, aeterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis sanctis*

inveniemus. R. ad I. Patres illos loqui de reatu poenae aeternae, et remissione peccati mortalis, quod in altera vita neque remittitur, neque satisfactionem admittit. Ad II. S. Hieronymus non loquitur de morte naturali sed de solutione animae a corpore per speculationem; disputat enim eo loco de anima impia, quae quocumque cogitatione se verterit, ibi Deum ultorem inveniet, ut patet legenti contextum. Ad III. Juxta S. Chrysostomum, ubi misericordia est, poenae non expetuntur ad ruinam et perditionem peccatoris; sed ad ejus purgationem, et ad satisfaciendum divinae justitiae. Ad IV. Peccata remissa, aut etiam venialia nondum remissa, non impediunt quo minus justus suo tempore, post plenam satisfactionem Deo persolutam, salutem consequatur. Ad V. R. S. Augustinum de Purgatorio quoad substantiam spectato, et suffragiorum Ecclesiae pro defunctis utilitate, tamquam de re certa, explorata, ac prorsus indubitata semper locutum fuisse, ut patet inspicienti loca a nobis ex Augustino in probatione allata: dubitasse autem tantummodo de poenarum genere, quo in altera vita animae purgentur: an per ignem vere materialem, an per aliud tormenti genus, v. g. per terrenos affectus ex pristini status recordatione. Liber Hypognostici non est genuinus Augustini foetus, sed alterius cujuscumque demum, qui in eo libro non Purgatorium, sed Pelagii assertionem impugnat, parvulis sine baptismo ex hac vita decedentibus tertium locum assignantis, in quo illi aeterna fruantur vita. Atque hunc tertium locum ignorari penitus a Catholicis docet author Hypognostici.

DCLII. *Objicitur VII.* Authoritas Ecclesiae Graecae. Ecclesia Orientalis dissentit a Latina circa Purga-

torium. Ergo non fuit constans traditio, ab universa Ecclesia semper agnita, dari Purgatorium. R. D. A. Dissentit circa ipsum Purgatorium quoad substantiam spectatum, N. A. Quoad locum, et poenae genus, C. A. N. C. Latini asserunt, animas vero ac materiali igne, ut plurimum, non tamen semper ac pro omni casu torqueri: Graeci autem, quamvis fateantur dari Purgatorium, et vivorum suffragia defunctis prodesse, contendunt justorum animas non igne, sed squallore, obscuritate et angustis sitibus torqueri. Ergo Graecos inter et Latinos nulla datur, aut data fuit dissensio in dogmate sed tantum circa aliqua, quae ab Ecclesia nullo modo fuerunt definita. Prob. assertio haec I. ex Liturgiis eorum et Patribus, quorum loca in probatione Conclusionis attulimus. II. Ex Actis Concilii *Florentini*. Nam Graeci Sess. XXV, sive ultima, interrogati quid de Purgatorio sentirent, responderunt: *Proferimus ex nobis justorum animas perfectam laureolam in coelo jam consecutas esse, ac impiorum perpetuas poenas luere, medias vero in Purgatorio esse: quod quidem sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, nihil refert.* Unanimi dein consensu, praeter Marcum Ephesinum, cum Latinis definierunt: *Si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.* III. Ex professionibus fidei Gabrielis Alexandrini An-

no 1595, Dosithei Patriarchae Jerosolymitani A. 1672, et libris Graecorum, Eustathii CPolitanae Ecclesiae Presbyteri in libro de animabus separatis, cujus meminit Photius in Bibliotheca, Cod. CLXXI, Nicolai Cabasilae in expositione Liturgiae Cap. XLII. Gregorii Protosyncelli in Synopsi dogmatum, Gennadii Patriarchae CPolitani in Exposit. Conc. Florentini, Cap. III. Joannis Plusiadeni in disceptatione pro Concilio Florentino. Meletii Alexandrini, Epistola ad Chios, Theodori Grapti in Orat. de dormientibus, Manuelis Malaxi in Hist. CPolitana. Quin multi ex Graecis Schismaticis, etiam nostris temporibus, animas justorum vero ac materiali igne torqueri existimant, non quidem in loco tertio, sed in ipso inferno, donec expiatae coelo donentur; ut constat ex multis ipsorum Ritualibus, ac praesertim ex Josephi Philagrii Tractatu de controversiis Graecos inter et Latinos, Simeonis Thessalonicensis responsione ad Gabrielem Pentapolitanum, et Gabrielis Philadelphiensis libro de Purgatorio. Vide *Natalis Alexandri* Dissertationem XLV. ad Hist. Eccles. Saeculi IV.

DCLIII. *Objicitur VIII.* Infirmitas argumenti, quod ex praxi et authoritate Ecclesiae instruitur. Quamvis Ecclesia jam ab antiquissimis temporibus pro defunctis oraverit, non tamen sequitur consuetudinem hanc ab Apostolis dimanasse; sed potius illa originem videtur duxisse ex errore veterum, quo illi justorum animas, ad diem usque judicii, abditis receptaculis contineri, nec Dei visione beatifica frui senserunt. Ergo ex praxi et authoritate Ecclesiae nihil evincitur. *Confirmat.* Aerius non fuit in numerum haereticorum relatus, quia orationes negavit ipsis defunctis prodesse: sed quia asseruit, eas nemini, neque viventibus pro-

desse. Ergo. R. N. A. In Ecclesia Dei consuetudo orandi pro defunctis semper viguit, ut in probatione disertis ac clarissimis Tertulliani, Cypriani, aliorumque antiquissimorum Patrum testimoniis invicte ostendimus, semperque ad nostra usque tempora retenta est. Quis autem sanae mentis sibi persuadere unquam poterit, Ecclesiam, quae teste Apostolo est firmamentum et columna veritatis, tot saeculorum tractu errasse? Qui fieri potuit, ut temporibus v. g. Tertulliani, Ecclesia II. saeculi, in qua florebant Episcopi et Doctores ab Apostolorum discipulis instituti: cujus in sinu vivebant homines, qui aliquam aetatis suae partem saeculo I. egerant, consuetudinem illam orandi pro mortuis velut traditionem Apostolicam usurparet, atque commendaret, quae primi saeculi Christiani doctrinae et moribus esset adversa? Quomodo fieri potuit, ut in errore quorumdam fundata consuetudo ab omnibus observaretur, adeoque et ab iis, qui ab ejusmodi errore alieni essent? At error ille, ex quo ortam orandi pro defunctis consuetudinem Protestantes fabulantur, non fuit omnium Christianorum, non omnium Patrum, sed paucorum dumtaxat Chiliastarum, ut et ipsi fateri coguntur. Praeterea si II. saeculo novam et primae traditioni adversam consuetudinem in Ecclesiam aliqui inducere voluissent, incredibile omnino est, nullum fuisse Pastorem aut Doctorem, qui pro Apostolica doctrina conservanda innovationi huic in re tanti momenti non obstitisset: cum adversus Montanistas, nova jejunia quasi Paracleti authoritate inducere volentes, Episcopi et Doctores insurrexerint, eosque anathemate damnaverint: cum etiam in controversia de Baptismo haereticorum Stephanus Papa omnia S. Cypriani et Africanorum, Firmiliani et Cappadocum argumenta hac una

sententia ut firmissimo clypeo repulerit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* At nullus contra solemnem illam orandi pro mortuis consuetudinem vel mutire ausus est ad IV. usque saeculum, quo illam impugnare aggressus est Aerius. Ad *confirmat.* N. A. Aerium inter haereticos numeratum fuisse ex eo etiam capite, quod orationes vivorum mortuis prodesse negaverit, disertis verbis testantur S. Epiphanius, S. Augustinus, et S. Damascenus.

DCLIV. *Dices I.* Quamvis ex praecepto Ecclesiae fiant orationes pro defunctis, non tamen probatur, illas ea intentione fieri, ut citius a poenis liberentur. Ergo Purgatorium ex illis non evincitur. P. A. Orationes pro mortuis non sunt satisfactiones pro illorum peccatis, sed tantum sunt publicae celebrationes promissionum divinarum de remissione peccatorum, de requie et salute pie defunctorum, exhortationes viventium, consolationes lugentium, et declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* iterum N. A. Haec absurdissime omnino, absque ulla verisimilitudinis umbra dicuntur, ad malitiose declinandam vim argumenti. Tali enim pacto orationes non defunctis, sed nobis tantummodo prodessent; cum tamen Scriptura dicat, sanctam ac salubrem esse cogitationem orare pro defunctis, ut *illi a peccatis solvantur*, et Patres uno ore asserant, orationes nostras maximum esse animarum juvamen, propitium illis reddi Christum, orationibus nostris animas condonari, animas pietate suorum relevari, mortuos adjuvari, suffragari eis opera misericordiae, et quae sunt hujusmodi, quae inanem esse Protestanticam hanc cavillationem manifeste ostendunt.

DCLV. *Dices II.* Saltem dici potest, quod Ecclesia per illas preces tantum optet fidelibus defunctis gloriosam olim resurrectionem, et unionem cum corporibus, clementem Judicem in die extremi judicii etc. Ergo. R. N. A. Mens antiquae Ecclesiae magis perfecta fuit antiquissimis et sanctissimis Ecclesiae Patribus, quam Protestantibus heri natis: quid autem Ecclesiae Patres senserint, tum paulo ante, tum in probatione Conclusionis ostensum fuit. Praeterea si Ecclesia per preces suas defunctis tantummodo optat gloriosam resurrectionem, et clementem Judicem in die illa, qua coeli movendi sunt et terra, cur orando pro Sanctis, aut Martyribus, injuriam se illis putat inferre? An non absurda et frustranea foret oratio Ecclesiae ad id obtinendum, quod independenter ab illis precibus certo eventurum erit animabus justorum? Neque dicant Protestantes, orare etiam nos, ut fiat voluntas Dei, quamvis illa independenter a nostris precibus sit implenda. Respondeo enim, per illa verba nos a Deo gratiam petere acquiescendi etiam in adversis voluntati divinae, eamque in omnibus prompte exequendi; quod non certo cognoscimus independenter a nostris precibus futurum.

DCLVI. *Objicitur IX.* Sequela. Si ex Ecclesiae precibus colligitur, animas in Purgatorio detentas vivorum suffragiis juvari posse, sequeretur, preces nostras etiam damnatis prodesse. Hoc dici nequit. Ergo. P. M. Sacerdos in Offertorio Missae pro defunctis precatur Christum, *ut liberet animas omnium Fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu: ut liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum etc.* II. Sequeretur Deiparam, aliosque

Sanctos in Purgatorio detineri: eoquod in Ecclesia Catholica etiam pro illis fiat Sacrificium. III. Eos, qui obliviosos nacti fuerint consanguineos vel amicos, ad extremum usque judicii diem in Purgatorio torquendos. R. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. Oratio illa referenda est ad illud tempus, quo anima e corpore jam jam abitum parat, funditurque ab Ecclesia, ut plenam remissionem illi impetret, aut saltem mitigationem poenarum. Quemadmodum enim in celebratione praecipuarum solemnitatum, Adventus, Nativitatis, Paschatis, Ecclesia orat ita, ac si tunc deberet Christus carnem induere, nasci, atque a mortuis resurgere, usurpatque v. g. in Adventu verba, quibus Patriarchae et Prophetae in veteri Testamento adventum Messiae desiderabant: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum etc.* quia repraesentat illa mysteria ut praesentia; et tamen non intendit ad litteram precari, ut Verbum modo hominem induat, ut de novo nascatur, aut resurgat, sed ut nobis applicetur fructus eorum mysteriorum: ita quoque in sacrificio pro defunctis, quia commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia pro illis orat, ac si tunc morerentur, ut non detineantur diutius in poenis Purgatorii, et ne adversus eos praevaleat inimicus. Neque id frustra fieri putandum est. Deus enim praevidens orationem postea faciendam ab Ecclesia, saepe movetur congrue per suam misericordiam, ut decernat id, quod erit secundum vota orantium, hominemque illum in statu gratiae ex hoc mundo evocet. Ad II. R. ab Ecclesia offerri Sacrificium Deo pro Deipara et Sanctis, quatenus est Eucharisticum, seu gratiarum actorium, ob insignia beneficia et gratias, quas eis contulit; pro aliis vero defunctis offerri Deo ut est

propitiatorium. Ad III. N. illatum. Exacto tempore, a Deo praedefinito ad purgandas labes, e purgatorio talis liberaretur, quamvis nullus pro ipso apud Deum intercederet. Praeterea quamvis cognati et amici desint, non deest tamen communis omnium Mater Ecclesia, pro omnibus filiis suis sollicita, ut observat S. Augustinus Lib. de Cura pro mortuis gerenda, Cap. IV. *Non sunt praetermittendae supplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana et Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad istud desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur pia Matre communi.*

DCLVII. *Objicitur X.* Ratio. Peccata venialia remitti non possunt in altera vita. Ergo suffragia vivorum non prosunt defunctis. P. A. I. Peccatum veniale non differt a mortali. Ergo cum juxta Catholicos mortalia peccata non remittantur in altera vita, dicendum est neque remitti venialia. II. Peccata venialia non remittuntur absque poenitentia Atqui in altera vita non datur locus poenitentiae. Ergo. III. Scotus docuit, venialia omnia justis ante mortem remitti. *Confirmat.* Post mortem nulla est satisfactio. Ergo preces vivorum defunctis non prosunt. P. A. Ubi nullum est meritum, ibi non est vera satisfactio. Atqui post mortem nullum est meritum. Ergo. R. I. N. C. Quamvis peccata omnia remitterentur in vita, remaneret tamen poena temporalis in altero orbe luenda. Ergo suffragia vivorum possent nihilominus defunctis prodesse. R. II. N. A. Ad *probat* I. N. A. quod suo loco, nempe Tractatu IV. falsum esse ex instituto ostendimus. Ad II. Trans. M. N. m.

Culpae veniales in Purgatorio remitti possunt per actum dilectionis et patientiae : atque illa acceptatio poenae a Deo inflictae, cum charitate procedat, a dici potest virtualis quaedam poenitentia, quae etsi non sit proprie meritoria gratiae, est tamen remissoria peccati. Ad III. Sententia eorum, qui docent venialia etiam in altera vita remitti, quamvis non sit de fide, atque ab Ecclesia definita, eoquod certum omnino non sit, Christum per illa verba Matth. Cap. XII. *Non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro*, locutum fuisse non modo de reatu poenae, sed etiam de reatu culpae; est tamen communissima, Scripturae et Patribus longe conformior, quam opposita Scoti opinio. Ad *Confirmat.* R. post mortem non dari quidem satisfactionem stricte ac proprie talem, ad quam requiritur libertas a necessitate: dari tamen veram satispassionem, quae satisfactio minus propria dici potest: sicut qui sententia judicis, licet invitus, pro patrato crimine poenas luit, satisfacere dicitur.

DCLVIII. *Dices I.* Potest probabiliter dici, quod culpa in instanti separationis animae a corpore tollatur per mortem, aut fidem tunc elicitam. Ergo non est opus Purgatorium admittere. R. I. N. C, quia superesset adhuc poena temporalis luenda in altera vita. R. II. N. A. Mors non expellit, aut tollit peccata; sed est poena peccati originalis, secundum se homini prorsus naturalis, bonis ac malis aeque communis. Ergo de se purgare non potest animas; alias etiam Turcae in morte mundarentur a peccatis suis. Neque dici potest per fidem tunc elicitam tolli peccata; hanc enim vim fidei actuali nec Scriptura, nec Patres tribuunt. Accedit, quod multi repentina morte, aut usu rationis

destituti ex hac vita decedant, quin actum fidei elicere queant.

DCLIX. *Dices II.* Quilibet actus justificans impetrat remissionem poenae aeternae. Ergo multo magis impetrat remissionem poenae temporalis. P. C. Si potest tollere quod majus est, tollet etiam quod minus est. Sed. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. M. Saepe facilius est liberari ab ingentibus malis; quam a parvis reliquiis eorumdem: quia quod magis accedit ad summam miseriam, est magis violentum naturae, ac proinde habere debet remedia magis parata; non vero illa mala, quae tantum impediunt, vel retardant felicitatem perfectam. Decuit itaque divinam misericordiam homini tabulam porrigere, qua per instantaneam poenitentiam ab aeternae mortis reatu se liberaret: at non ita facile debuit homo posse liberari ab omni plane reatu poenae sensibilis; ne peccatum apud homines vilesceret, atque acrius exstimularentur illi ad actus bonos et salutares, quibus commissa crimina eluerent, et quasi totidem gradibus ad ampliorem in coelis gloriam ascendere conniterentur.

DCLX. *Objicitur XI.* contra III. Conclusionem Authoritas Scripturarum. Ecclesiastis Cap. IX. v. 10. dicitur: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Ergo defunctis nullum afferri potest levamen. II. Ecclesiastis Cap. XI. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo non datur locus tertius. III. Scriptura duos tantum mortuorum status commemorat. Matth. Cap. XXV. *Venite benedicti.* Et, *Discedite a me maledicti.* II,

ad Cor. Cap. V· v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi , ut referat unusquisque propria corporis , prout gessit, sive bonum , sive malum.* IV. II. ad Cor. Cap. V. v. 1. *Scimus enim , quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* V. Psal. CXXVI. *Cum dederit dilectis suis somnum: Ecce haereditas Domini.* Apocalyps. Cap. XIV. *Beati mortui , qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Sapientiae Cap. IV. v. 7. *Justus autem si morte praeoccupatus fuerit , in refrigerio erit.* VI Ecclesiastis Cap. IX. v. 5. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem – – nec habent partem in hoc saeculo , et in opere , quod sub sole geritur.* VII. Apostolus ad Galatas Cap. VI. v. 5. ait : *Unusquisque onus suum portabit.* In quorum verborum Commentario S. Hieronymus ait , *Dum in praesenti saeculo sumus , sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari : cum autem ante tribunal Christi venerimus , non Job, non Danielem , nec Noe rogare posse pro quoquam : sed unumquemque portare onus suum. Confirmat.* Scriptura numquam meminit Purgatorii. Ergo non datur. R. ad I. Illis verbis tantum significatur , quod defunctorum animae non sint in statu meritorie agendi, non vero quod non sint in statu patiendi , et levamen in poenis percipiendi ; modo prius vitam tam Christiane peregerint , ut tale levamen mererentur accipere. Ad II. R. Ecclesiasten loqui hic de duplici statu permanente , nimirum justorum in coelo , et impiorum apud inferos, non vero de

transitorio statu et temmporali; alias animae justorum, quae perfecte purgatae ex hac vita decesserunt ante Ascensionem Christi non delatae fuissent in sinum Abrahae, sed in coelum, vel infernum, quorum utrumque aperte falsum est. Quod si dicas, nomine *Austri* intelligi coelum, ac sinum Abrahae; pari jure respondeo, intelligi etiam Purgatorium. Ad III. Sermo ibi est de extremo judicii die, quando finem habebit Purgatorium. Ad IV. R. Apostolum l. c. asserere, quod coelum justis non pateat ante mortem; quod vero statim post mortem admittantur ad visionem beatificam id nullibi dicit; immo l. c. contrarium innuere videtur, quia statim subjungit: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* Id est, si meritis et virtutibus vestiti perfectam poenitentiam egerimus. Ad V. R. I. textus illos de viris perfectis loqui, quibus nihil in altera vita luendum superest. Alii respondent II. in Apocalypsi sermonem esse de requie a laboribus hujus vitae, Psalmo autem CXXXVI. de haereditate justorum toti mundo manifestanda in ultimi judicii die; huncque citati versiculi sensum esse: Cum dilecti, sive justi expleverint illam quietem, qua nunc corpora eorum quasi somno oppressa jacent, tunc apparebit haereditas Christi Domini, id est, apparebunt omnes electi in suis corporibus gloriosis. Ad VI. R. mortuos nihil amplius nosse, ex quo possint aliquid novi emolumenti sibi comparare, vel nova praemia mereri, aut a malo resilire. Quamvis autem mereri nequeant, possunt tamen debitas peccatis poenas persolvere, ac in purgatorio torqueri, donec novissimum quadrantem reddiderint, nisi citius per vivorum suffragia liberentur. Ad VII. Apostolus ait, unumquemque suum onus, sive propria

peccata portaturum, id est, in Dei judicio stipendia recepturum peccati sui, non alieni; sive retributionem gloriae vel ignominiae pro suis operibus, non qualia fuerint alienorum operum comparatione, sed qualia in se fuerint. Praeterea quamvis viventium orationes et satisfactiones defunctis prosint ad eorum poenas minuendas, vel omnino finiendas, nihilominus unusquisque refert prout gessit, quia hoc ipsum, quod aliorum satisfactionibus et suffragiis juvari potest, aliqua pars est vel appendix meriti, quod hac in vita comparavit. S. Hieronymus Commentario in hunc locum non negat quod illo temporis intervallo, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, justorum imperfectorum animae possint viventium precibus sublevari, vel a poenis eripi; sed hoc tantum asserit in ultimo judicio, cum ante Christi tribunal omnes venerimus, viros etiam sanctissimos pro aliis rogare non posse: immo nec post mortem posse quemquam alterius precibus juvari, ut a statu peccati ad statum gratiae resurgat, si mortuus fuerit impoenitens: sicut hac in vita peccatorum conversio justorum precibus a Deo impetrari potest. Secundum opera propria unumquemque judicandum, non per comparationem ad deteriores; idque ita ratum esse, ut nec Job, Daniel, et Noe, id est, viri sanctissimi, et apud Deum potentissimi, hunc divini judicii ordinem suis orationibus impedire possint. Ad *confirm.* N. A. Quamvis in Scriptura hoc nomen *Purgatorium* non legatur, ea tamen in Scripturis narrantur et commendantur, ex quibus Purgatorii existentia manifeste evincitur. Vide dicta Num. DCXI.. Et profecto ipsi etiam Protestantes admittunt nomen *Trinitatis*, *Incarnationis*, ac vocem *Consubstantialis*, quam-

vis voces istae in Scripturis non exprimantur, sed tantum res significata per illas voces.

ARTICULUS VI.

DE ECCLESIA TRIUMPHANTE.

CONTROVERSIA I.

DE REGNO CHRISTI MILLENARIO.

Contra Chiliastas.

DCLXI.

Chiliastae, seu Millenarii, praeterquam quod negaverint, Justorum animas, quibus nihil expiandum superest, corporibus solutas frui visione Dei intuitiva ante resurrectionem corporum, quem errorem sequenti controversia refutabimus, fabulabantur, post resurrectionem universae carnis Christum, instaurata Jerusalem, per mille annos regnaturum cum justis in summa bonorum omnium, divitiarum, ac voluptatum abundantia; tumque demum, exacto velut beatae vitae tyrocinio, in coelum admittendos praedestinatos omnes intuiva Dei visione fruituros. Fabulae hujus fundamenta erant loca quaedam Scripturarum, pro more Novatorum, male intellecta. Rationem vero, cur millenarium hoc Christi regnum adstruerent, assignabant, ut nempe Sancti, teste S. Iraenaeo Lib. V. adv. Haer. Cap. XXXV. *crescerent ex visione Domini, et per ipsum assuescerent*

capere gloriam Dei Patris, et conversationem cum Sanctis Angelis.

DCLXII. Duplex autem Millenariorum classis extitit. Cerinthus, Simonis Magi discipulus, homo spurcissimus, teste Eusebio Lib. III. Hist. Eccles. Cap. XXII. docuit, in millenario illo Christi regno justos omnibus impuris voluptatibus corporis, cibo, potu, ac venere fruituros, Legisque Mosaicae caeremoniis iterum adstringendos. Sectatores impudentiae suae, quod impuras corporis voluptates attinet, II. saeculo habuit Marcionitas, saeculo III. Episcopum quemdam Aegyptium, nomine Nepotem, ac IV. saeculo Apollinaristas. Aliud Millenariorum genus non ita turpe extitit authore Papia Hierapolitano in Asia Episcopo, qui Polycarpi sodalis fuit, et Joannis, non Evangelistae, sed Presbyteri cujusdam auditor, homo, ut *Eusebius* refert Lib. III. Cap. XXXIII., mediocri admodum ingenio praeditus; qui tamen fama sua et pietate plures in errorem pertraxit magni nominis viros, quos inter S. Justinum, S. Iraeneum, Tertullianum, Lactantium, ac Sulpicium Severum. Ipse *S. Augustinus* Lib. XX. de Civitat. Dei Cap. VII. fatetur, se idem olim sensisse. Hi voluptates corporis licitas dumtaxat et inculpatas; quin horum aliqui, ut Tertullianus, spirituales solummodo delicias in illo regno percipiendas esse asserebant, belluinam Cerinthi opinionem, Mahomete dignam, damnantes.

DCLXIII. *Conclusio*. Millenarium illud Christi Regnum prorsus commentitium est. Prob. contra Cerinthum ejusque asseclas I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. XXII. dicitur: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei.* Ad Rom. Cap. XIV.

Non est enim regnum Dei esca et potus. II. Authoritate Patrum, quos controversia sequente adducemus, atque Conciliorum; impia enim haec ac spurcissima Cerinthi doctrina damnata fuit in Concilio Romano, a Damaso Papa adversus Apollinaristas convocato A. 373. III. Ratione. Post resurrectionem corporum mors omni dominatu suo excidet. Ergo cum cibus et potus ordinentur tantummodo ad conservandam vitam, ac mortem propulsandam, nullus amplius erit usus cibi ac potus. Voluptates vero impuras, cum illae in conceptu suo ingenitas sordes involvant, hominesque brutis quam simillimos reddant, a beata vita excludendas esse sana ratio dictat.

DCLXIV. Probatur eadem Conclusio contra Papiam ejusque sectatores, I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap XXV. post illa verba: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum etc.* Et. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*, statim subjungitur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Ergo sicut impii, absque ulla temporis intercapedine, detrudentur ad tartara: ita justi absque interjecto temporis spatio, statim coelesti gloria donabuntur I. ad Thessalon. Cap. IV. v. 15. ait Apostolus: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Quibus verbis non millenarium, sed sempiternum regnum promittitur. II. Authoritate CPolitani I. quod Symbolo Nicaeno haec verba addidit: *Cujus regni non erit finis*, adversus Apollinaristas, qui regnum Christi mille annorum spatio circumscribebant. III. Authoritate Patrum, Caji Presbyteri, et

S. Dionysii Alexandrini, quorum ille ex instituto scripsit contra Cerinthum, hic vero adversus S. Irenaeum, et Nepotem Episcopum Aegyptium: ac denique authoritate eorum Patrum, qui asserunt justos, quibus nihil expiandum superest, illico ad visionem intuitivam Dei admitti, ut paulo post ostendemus. Quod si rite probatum fuerit, absque aliis argumentis concidit commentitium illud Chiliastarum regnum.

OBJECTIONES.

DCLXV. *Objicitur I.* Authoritas Evangelii. Matth. Cap. XXVI. v. 29. ait Christus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ergo Christus promisit Apostolis delicias corporales: atqui illae locum non habent in regno Dei, sive in coelis. Ergo in regno Christi terreno, quod per annos durabit. II. Matth. Cap. V. v. 6. dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Atqui non saturabuntur in coelo. Ergo in millenario Christi regno. R. C. A. N. C. Vel enim verba illa sumuntur in sensu proprio, vel metaphorico. Si in metaphorico, nihil probant; per vinum enim designantur laetitia, ac deliciae spirituales, soletque saepius Scriptura proponere Judaico populo, utpote carnali et imperfecto, coelestes delicias sub nomine epularum ac nuptiarum, juxta illud Apocal. Cap. XIX. *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Atque haec communior est citati loci interpretatio. Si vero verba illa cum S. Chrysostomo Hom. LXXXIII. in Matthaeum, aliisque in sensu proprio sumantur, dico, Christum

T 4

post gloriosam resurrectionem suam, antequam ad Patrem ascenderet, vere cum Apostolis suis bibisse de genimine vitis, et manducasse, ipso testante B. Petro Act. Cap. X. v. 41. *Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Neque negotium nobis facessunt illa verba: *In regno Patris mei*, quia temporis intervallum illud, a Resurrectione ad Ascensionem usque, merito a Christo vocari potuit Regnum Patris; cum Resurrectio Christi triumphus sit, et fundamentum religionis, eoque tempore exercere coepcrit potestatem, a Patre sibi traditam, in coelo, et in terra. Ad II. R. C. M. N. m. In coelo perfecte saturabuntur, non potu et cibo materiali, sed spirituali ac coelesti, de quo solo promissio Christi intelligenda est, juxta illud Psal. XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae: et torrente voluptatis tuae potabis eos.*

DCLXVI. *Dices I.* Nisi admittatur millenarium regnum Christi post resurrectionem, non implerentur promissiones Christi Matth. XIX. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Ergo. R. N. A. Centuplum illud intelligendum est de mercede bonorum spiritualium, quae pretio et merito terrena quaeque longissime superant. Si enim ad litteram promissiones Christi intelligendae forent, sequeretur, eum qui amore Christi omnia illa reliquit, accepturum esse in resurrectione centum Patres, centum Matres, centum Uxores etc. quae omnia partim impossibilia sunt, partim perquam absona. Hinc S. Hieronym. Comment in Cap. XIX. S. Matthaei scribit: *Non intelligentes, quod si in caeteris digna sit*

repromissio, in uxoribus appareat turpitudo: ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro.

DCLXVII. *Dices II.* Scriptura saepius loquuntur de futura urbis Jerusalem instauratione, de splendido Christi regno, de usu Sacrificiorum resumendo. Ergo dicendum est haec eventura post resurrectionem. R. Haec omnia non Judaico more, et carnaliter intelligenda esse, sed in mystico sensu; Jerusalem enim instauranda denotat coelestem beatitudinem aeternam permansuram: Regnum Christi sempiternum illius imperium in coelis, et sacrificia laudes denotant, et gratiarum actiones Sanctorum.

DCLXVIII. *Objicitur II.* Authoritas Libri Apocalypsis, in qua dicitur Cap. XX. v. 2. *Et apprehendit* (Angelus) *draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille.* v. 3. *Et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni: et post haec oportet illum solvi modico tempore.* v. 6. *Beatus, et Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis* v. 7. *Et cum consumati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes.* Demum S. Joannes de secunda resurrectione verba faciens eodem Cap. v. 12. *Et vidi mortuos, magnos, et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. - -* v. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* R. C. A. N. C. Hunc Scriptu-

rae locum non favere Millenariis ex eo patet, quia sequeretur millenarium illud Christi regnum desiturum ante resurrectionem corporum, atque ultimi judicii diem; cum tamen Chiliastae omnes, praeter S. Justinum in Dial. cum Tryphone, illud resurrectione corporum posterius velint. Mille itaque anni, quibus Christum regnaturum esse cum Sanctis dicit B. Joannes, significant gloriam, quam Sancti habituri sunt in coelo per visionem intuitivam Dei, atque in Ecclesia per miracula, et cultum fidelium, toto eo temporis intervallo, quod a morte Christi usque ad universale judicium intercedet: certusque numerus pro incerto ac indeterminato usurpatur, quod non adeo infrequens esse in Scripturis divinis, plura ostendunt exempla, ut v. g. quando Psal. CIV. dicitur: *Memor fuit in saeculum testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes.* Psal. LXXXIX. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit.* Et Ecclesiastici Cap. XVI. *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.* Ubi vides certum numerum pro incerto sumi. Per primam resurrectionem intelligitur status animae beatae post mortem, in quo illa corpore, tamquam carcere aliquo soluta, meliorem vitam auspicatur, mortis imperio in secunda paulo ante generale judicium resurrectione nunquam amplius subjicienda. Illa autem verba: *Erunt Sacerdotes Dei et Christi*, non denotant verum Sacerdotium omnium justorum, sed intimam amicitiam, qua cum Deo conjungentur, divinorum arcanorum conscii, regnique coelestis Principes.

DCLXIX. *Objicitur III.* Authoritas antiquissimorum Ecclesiae Patrum, Papiae, Tertulliani, S. Justi-

ni, S. Irenaei, qui non longe ab Apostolicis temporibus vixerunt, regnumque millenarium propugnarunt. Ergo dicendum est, doctrinam hanc ex Apostolica traditione proficisci. R. C. A. N. C. Quamvis Patres aliqui huic errori adhaeserint; plures tamen errorem hunc rejecere, quos inter Cajus Presbyter, S. Dionysius Alexandrinus, omnesque illi, qui justos perfecte expiatos, statim post mortem, visione Dei intuitiva frui asseruerunt. Quin ipse S. Justinus in Dial. cum Tryphone fatetur: *Confessus sum tibi et antea, me quidem et alios, eadem mecum sentientes arbitrari id* (regnum millenarium) *futurum, multosque etiam, qui purae piaeque Christianorum sunt sententiae, hoc non agnoscere.* Ergo cùm pars major Patrum, plurimique fideles, praecipue autem Romana Ecclesia millenarium Christi regnum non admiserint, nequit ea opinio inter Apostolicas traditiones recenseri. Neque tamen idcirco veteres illi, Papias, Justinus, Irenaeus etc. inter haereticos numerandi sunt; cum illis temporibus quaestio haec nondum satis eliquata fuerit, neque de ea tunc supremam tulerit sententiam Ecclesia.

CONTROVERSIA II.

AN VISIO INTUITIVA DEI SIT POSSIBILIS; ET AN AD ILLAM TATUM POST MORTEM ADMITTANTUR ANIMAE JUSTORUM PERFECTE PURGATAE?

Contra Palamitas, Chiliastas, Vigilantium, Lutherum, Calvinum.

DCLXX.

Duplex distingui solet Dei cognitio, nempe *abstractiva*, qua Deus in alio, et per aliud cognoscitur, v. g. per effectus creatos: et *intuitiva*, qua Deus immediate, ac in se ipso cognoscitur. Possibilem esse visionem Dei intuitivam negarunt aliqui, teste *S. Gregorio Magno* Lib. XVIII. Moralium, Cap. LIV. *Sciendum, quod fuere nonnulli qui dicerent, Deum etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri.* Errorem hunc renovarunt Saeculo XIV. Palamitae, Gregorii cujusdam Palamae Thessalonicensis in Macedonia Episcopi sectatores, docentes, non ipsam Dei substantiam, sed aliquam dumtaxat lucem, seu claritatem ab illa distinctam, et profluentem a Beatis conspici.

DCLXXI. Chiliastae, quamvis admitterent possibilem esse Dei visionem intuitivam, eamdem tamen tamdiu differri asserebant, donec, expleto millenario regno, ad eam Sancti, frequenti cum Christo conversatione praeparati, in coelum admitterentur. Tertullianus tamen Martyrum animas a communi lege excipie-

bat, existimans illas statim a morte visione beatifica donari. Vigilantius novae haeresis conditor initio saeculi V. Chiliastarum somnia rejiciebat quidem, eumdem tamen cum illis errorem propugnabat circa dilatam animabus Sanctorum Dei visionem, ut colligitur ex Libro S. Hieronymi adversus Vigilantium, in quo his eum verbis perstringit: *Ais, vel in in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum et Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, adesse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges pones?* Saeculo XVI. Lutherus in praelectione in Genesin, et Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XXV. Vigilantium hac in re sequi maluerunt, quam Ecclesiam Catholicam, quae Saeculo XV. in Concilio Florentino litem omnem diremerat. Neque difficile est divinare, cur Lutherus et Calvinus errorem hunc Vigilantii ratum habuerint: quo facilius nempe cultum et invocationem Sanctorum subverterent, ac si illi preces nostras non cognoscerent rerumque nostrarum ignoratione laborarent.

DCLXXII. *Conclusio I.* Visio intuitiva Dei est possibilis. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. V. v. 8. Christus ait: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. Joannis Cap. III. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. ad Cor. Cap. XIII. v. 12 *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem.* Matth. Cap. XVIII. *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* II. Au-

thoritate Patrum. Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum scribit: *Perspicuum est, nullum umquam vitae suae tempore posse Deum clare comprehendere: qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* S. Hieronymus Lib. I. in Isaiam. *Homo Dei faciem videre non potest. Angeli autem, etiam minimorum in Ecclesia, semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, et in aenigmate: tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus.* S. Augustinus Epist. CXLVII. alias CXII. ad Paulinam Cap. VIII. *Desiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, et inhianter ardescunt, non opinior, in eam speciem contuendam flagrat, qua ut vult apparet, quod ipse non est; sed in eam substantiam, qua ipse est quod est.* III. Justi perfecte purgati, ex hac vita decedentes, statim ad visionem beatificam admittuntur, ut mox sequenti Conclusione a nobis probabitur. Ergo illa est possibilis.

DCLXXIII. Nihilominus ad visionem Dei intuitivam necessarium est auxilium supernaturale, quo anima juvetur ac roboretur, ad Deum clare et intuitive videndum, ut definitum fuit in Concilio Viennensi contra Beguardos ac Beguinas, asserentes animam non indigere lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum, atque eo beate fruendum. Ratio est, quia intellectus creatus solis suis viribus relictus, non est capax actionis supernaturalis, ad quam non nisi remotam habet proportionem, quae necessario debet compleri ac perfici auxilio supernaturali, ut in actum exeat. Porro auxilium hoc supernaturale communiter vocatur *lumen gloriae*, seu habitus supernaturalis, quo mens creata ele-

vatur, et ultimo disponitur ad Deum intuitive videndum. Observandum praeterea est, quamvis visio intuitiva Dei sit possibilis; comprehensivam tamen respectu intellectus creati simpliciter impossibilem esse, ut Patres docent contra Eunomianos sive Anomaeos, dicentes, Deum naturaliter plene cognosci ac comprehendi posse: atque etiam ipsa sana ratio ostendit. Si enim Deus ab intellectu creato plene ac perfecte comprehenderetur, innotescerent illi omnes perfectiones divinae omni eo modo, quo cognosci possunt: cum igitur illae sint infinite perfectae, cognitio hominis Deum comprehensive videntis esset pariter simpliciter infinite perfecta, quod implicat.

DCLXXIV. *Conclusio II.* Animae justorum perfecte purgatae, statim a morte ad visionem Dei intuitivam admittuntur. Prob. I. Authoritate Scripturarum 2. ad Cor. Cap. V. ait Apostolus: *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (per fidem enim ambulamus, et non per speciem) audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Et a l Philippenses Cap. I. v. 23. *Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Jam vero si justi, perfecte purgati, visione Dei intuitiva non potirentur, Paulus non diceret, se desiderare dissolvi, et esse cum Christo. Neque etiam desiderasset magis peregrinari a corpore, siquidem justi a visione Dei intuitiva excluderentur ante resurrectionem corporum; quia sic peregrinatus fuisset et a corpore, et a Domino. Praeterea illa verba, *Per fidem enim ambulamus, et non*

per speciem, satis indicant, obscuritati fidei statim successuram esse visionem Dei intuitivam.

DLXXV. Prob. II. Authoritate Patrum Graecorum et Latinorum. S. Ignatius Martyr in Epistola ad Romanos scribit: *Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. -- Sinite me purum lumen haurire: cum illic fuero, homo Dei ero.* Ergo sperabat fore, ut statim a morte Deum adipisceretur, et purum lumen Divinitatis conspiceret. Athenagoras in sua pro Christianis Apologia: *Persuasi sumus, nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longe meliorem, nempe coelestem esse victuros, ut apud Deum cum ipso simus.* S. Gregorius Nyssenus Oratione funebri in Pulcheriam Fl. Theodosii senioris Imper. filiolam: *Igitur si a te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clausit: verum sempiterno lumini aperuit. A tua mensa discessit: sed ad Angelicam adjuncta est. Hinc est avulsa planta: verum in Paradiso consita est. A regno in regnum translata est. Purpurae florem exuit: at coelestis regni amictum induit. -- Doles, quod illa corporis pulchritudo non amplius videatur. Non enim veram illius animae pulchritudinem intueris, quae nunc in festo conventu coelestium exultat. Quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit!* S. Gregorius Nazianzenus Orat. V, quam in fratrem Caesarium mortuum scripsit, non solum ejus animam *in coelum penetrasse* dicit, et *Angelorum choreas, ac beatorum virorum gloriam, splendoremque spectare: vel potius una cum eis tripudiare et exultare*: sed etiam *magno Regi assistere, et emicante inde lumine compleri.* Et in calce XI. Orationis, quam in Gorgoniam sororem suam habuit, beatita-

tis, cujus compos erat, capita dinumerans, ponit *Angelorum choreas, ordinem coelestem, contemplationem gloriae tum caeterae, tum supremae, Trinitatis puriorem et perfectiorem illuminationem, quae non amplius vinctam mentem effugiat, et per sensus dissipatam: sed totam se toti menti contemplandam, et tenendam praebeat: totoque Divinitatis lumine animis nostris affulgeat.* S. Chrysostomus in Oratione Panegyrica de S. Philogonio. *Quamobrem maximopere gratulor hujus Sancti felicitati, quod, quamvis translatus est, atque hanc, quae apud nos est, civitatem reliquit, tamen in alteram adscriptus est civitatem, nempe Dei: et digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quae est primogenitorum descriptorum in coelis, ac relictis hisce festis transiit ad celebritatem Angelorum.*

DCLXXVI. E Latinis, *S. Cyprianus* Tractatu de Exhortatione Martyrii ad Fortunatum. *Quanta est dignitas, et quanta securitas, exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repente subtraheris, ut in regnis coelestibus reponaris.* S. Ambrosius Epist. XV. alias LIX. *Acolius superiorum incola, possessor civitatis aeternae illius Jerusalem, quae in coelo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, et haec omnia jam dudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.* S. Hieronymus in Lib. contra Vigilantium. *Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur in custodia, nec sint cum*

Domino suo, de quibus scriptum est. Sequuntur Agnum quocumque vadit? Et in Epist. ad Marcellam de obitu Leae. *Nunc pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur. Excipitur Angelorum choris; Christum sequitur, et dicit: Quaecumque audivimus, ita vidimus in Civitate Dei nostri.* S. Augustinus Tract. CXXIV. in Joannem scribit, non esse consentaneum, *ut ei discipulo Jesus, quem diligebat prae caeteris, in tantum ut super pectus ejus discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum:* (Ephesi in sepulcro) *cum B. Petrum per ingentem Martyrii gloriam ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quod Apostolus Paulus se concupisse dixit, et scripsit, Dissolvi et esse cum Christo.* Porro Apostoli votum ad summam spectabat, perfectamque beatitatem, quae peregrinationi modum adhiberet. Cui peregrinationi respondet fides, et utrique est opposita species, id est, clara et aenigmate soluta Divinitatis visio. S. Gregorius M. Lib. XIV. Moral. Cap. XXVII. *Postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a coelestis Patriae perceptione differuntur. Mox quippe, ut a carnis colligatione exeunt, in coelesti sede quiescunt.* Et Lib. XXXV. Moral. Cap. IX. *Ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri sunt: quia cum mentis beatitudine, etiam carnis gloriam beati possidebunt.* S. Bernardus Epist. CCCXI. ad Fratres de Hibernia scribit de S. Malachia. *Absit, ut tua nunc, o anima sancta, minus efficax aestimetur oratio, quando praesenti vividius supplicare est majestati; nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas.*

Absit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis aeternae procumbis, pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiebas. Idem Sermone XIX. de Diversis ait: *Hauriunt* (Sancti) *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam.*

DCLXXVII. Prob. III. Authoritate Pontificum et Conciliorum. Graeci in professione fidei Anno 1274. a Lugdunensi II. approbata, dicunt: *Credimus — — illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, mox in coelum recipi.* Benedictus XII, successor Joannis XXII, solemni Constitutione A. 1336. definivit, animas Sanctorum perfecte purgatas statim post mortem admitti ad visionem beatificam; eos ut haereticos damnans, qui pertinaciter scripto vel verbo contrarium docuerint. Florentinum, consentientibus Graecis et Latinis, ait in definitione fidei: *Definimus — — illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est.* Tridentinum Catholicum hoc dogma supponit, dum Sessione XXV, in Decreto de invocatione et veneratione Sanctorum, eos impie sentire pronuntiat, *qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse.*

DCLXXVIII. Prob. IV. Ratione I. Angeli in coelis fruuntur visione beatifica; de his enim dicitur Matth. Cap. XVIII. *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.* Ergo etiam Sancti, quorum communem esse cum Angelis gloriam Sancti Patres docent. II. Impii statim post mortem aeternis addicuntur suppliciis, ut patet ex historia divitis epulonis *Lucae* Cap. XVI. Ergo cum Deus pronior sit ad praemiandum, quam ad puniendum, justi perfecte purgati statim post mortem donantur visione intuitiva Dei. III. Nulla assignari potest ratio, sive ex parte Dei, sive ex parte hominis, ob quam justis perfecte purgatis differenda sit visio beatifica. Non ex parte Dei, qui justus est, et velox ad praemia conferenda, praesertim cum coelum, quod antea clausum erat, Christus morte sua patefecerit: non ex parte hominis, quia anima corporeis vinculis soluta capax est visionis beatificae, nullaque ipsi supersunt nova merita comparanda, cum post mortem jam sit in termino constituta.

OBJECTIONES.

DCLXXIX. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturae. 1. ad Timotheum Cap. VI. v. 16. dicitur: *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Matth. Cap. XI. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Joannis Cap. I. v. 18. *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ergo Deus a nemine umquam videri potest. *Confirm. I.* Deus comprehendi non potest, quia in Scripturis dici-

tur incomprehensibilis. Ergo neque videri potest, quia dicitur invisibilis. *Confirm.* Angeli numquam Deum vident intuitive. Ergo neque Sancti. P. A. I. *Petri* cap. I. v. 12. dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ex quibus verbis hoc argumentum enascitur. Si Angeli desiderant Deum videre, illum actu non vident. Sed desiderant. Ergo. R. C. A. N. C. In citatis textibus Deus dicitur invisibilis tantummodo oculis corporis, in hac vita, per solas animae vires, et visione perfecta ac comprehensiva: at vero invisibilis non affirmatur oculis animae, in altera ac meliori vita, per lumen gloriae, et cognitione intuitiva, quae objecti perfectionem minime adaequat. Ad I. *confirmat*. C. A. N. C. Scriptura nullibi docet Deum comprehendi posse: immo contrarium testatur, et sana ratio id impossibile esse ostendit. At vero eadem Scriptura saepius affirmat, Deum in altera vita videri posse, per auxilium supernaturale. Ad II. *confirmat*. N. A. Ad *probat*. concesso textu, N. M. Desiderium illud non excludit objecti praesentiam, sed satietatis fastidium. Ut enim observat S. Gregorius M. Lib. XXVIII. Moralium, Cap. XVIII. *Angeli desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.*

DCLXXX. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. *S. Chrysostomus* saepius affirmat, ipsam Dei substantiam ab aliqua creatura numquam fuisse visam, immo nec videri posse. Hom. XIV. in Joan. scribit: *Id quod est Deus, non modo Prophetae non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes: Gloria in altissimis Deo; et in terra pax ho-*

minibus bonae voluntatis. Et Orat. III. de incomprehensibili Dei natura, ait Angelos ipsos, ac ne Seraphinos quidem ipsam Dei naturam vidisse. *Atqui non merum ipsum lumen intuebantur: neque sinceram ipsam substantiam. Sed quaedam Dei se demittentis accomodatio fuit id quod videbatur. Quid est autem accomodatio sui? Quando non ut est Deus apparet, sed ut capere potest is, cui videndi fit facultas, ita seipsum exhibet, pro intuentium imbecillitate visionis ostensionem exhibens.* Eadem cum Chrysostomo sentiunt plures ex Patribus Graecis, Latinisque. S. Ambrosius Commentario in Lucam. *Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis coelestibus virtutibus, et potestatibus legerimus, quia Deum nemo vidit umquam.* Theodoretus Dial. I. qui dicitur *Immutabilis*, scribit. *Sic igitur et de Angelis intelligamus, cum audimus, eos quotidie videre faciem Patris nostri. Non enim divinam substantiam vident; quae neque circumscribi potest, neque comprehendi, neque cogitatione saepiri, et universa complectitur: sed gloriam quamdam ad illorum naturam temperatam.* R. D. A. S. Chrysostomus affirmat ipsam Dei substantiam a nulla creatura fuisse umquam visam, visione perfecte comprehensiva, C. A. Visione simpliciter intuitiva, qua Deus conspicitur, non in aenigmate, sed ut est in se, N. A. S. Doctor locis illis in objectione laudatis Anomaeorum errorem sibi sumit refellendum. Effutiebant autem homines dementissimi, atque ipse in primis Sectae author Eunomius, se nihil de rebus divinis ignorare, et ipsam Dei substantiam exacte scire, eamdemque habere se de Deo cognitionem, quam ipse Deus de se ipso habet, ut testantur *Theodoretus* Lib. IV. Haeret. Fabularum, Cap.

XXX. *S. Epiphanius* Haer. LXXVI. *S. Basilius* Epistola CLXVI. ad Eunomium data. *S. Gregorius Nyssenus* Orat. XII. adversus Eunomium, *S. Hieronymus* Cap. XI. Matthei. *Socrates* Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. VII. Atque hunc legitimum esse Chrysostomi sensum manifeste evincitur tum ex contextu, tum ex aliis S. Doctoris locis. Eadem illa Hom. XIV. in Joannem scribit: *Nemo cognoscit Patrem nisi Filius. Quid, num omnes in ignorantia vivimus? Absit. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius. Ut igitur multi quisque pro captu suo ipsum viderunt, substantiam autem nemo vidit: sic multi Deum cognoscimus: non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus unigenitus, qui certam notionem, visumque et comprehensionem habet, quantam habet Pater de Filio.* Homilia IV. de incomprehensibili Dei natura, expendens illud S. Joannis, *Deum nemo vidit umquam*, sic ait, *Cur ergo Joannes ait, Deum nemo vidit umquam? Ut ediscas eum de perfecta et clara cognitione loqui – – – Itaque cum audis, Deum nemo vidit umquam, id intellige, nullum esse qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat.* In Paraenesi I. ad Theodorum lapsum Cap. VII. diserte docet Sanctos frui Dei visione intuitiva adeoque eam possibilem esse certo admisit. *Quid dicemus, quando regiis cubiculis adapertis, intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, nec per aenigma, sed facie ad faciem: non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem?* Et Hom. III. in Epistolam ab Philippenses. *Justi sive hic sive ibi cum Rege sunt; atque ibi quidem multo magis propius, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem.* Quare ratum illud fixumque est, S. Chrysostomo non

denegari Angelis, Sanctisque in altera vita visionem Dei intuitivam, sed perfectissimam et comprehensivam: Illudque solum affirmare, quod Angeli de substantia Dei nihil enarrare possint, quod ejus cognoscibilitatem adaequet. et quod illud, qualecumque sit, quod ab ipsis audiremus, pro nihilo reputandum sit, si cum iis conferatur, quae enarrat Unigenitus, qui est in sinu Patris. Quando vero affirmat Angelos non merum ipsum lumen intueri, aut sinceram Dei substantiam, sed quamdam veluti Dei se demittentis accommodationem, vel, ut alii vertunt, condescensum et indulgentiam; non negat S. Doctor, ipsos intuitive Deum videre, sed solum docet, eos divinam non videre substantiam, quantum visibilis est, et modo perfectissimo atque comprehensivo: Illam non intueri Angelos ait, nisi quatenus menti creatae se accommodat, et ad ejus capacitatem condescendit. Cognitionem autem Prophetarum, qui et ipsi condescensum viderunt, in exemplum profert, ut explicet qua ratione Deus capacitati humanae mentis se accommodet; sed in specie et modo cognitionis Prophetas cum Angelis non confert. Vide *Petavium* Theol. Dogmatum Tomo I. Lib. VII. Cap. V. *Natalem Alexandrum* in Hist. Eccl. Saec. IV. Cap. VI. Art. XXX.

DCLXXXI. Eadem est responsio ad authoritatem caeterorum Patrum. S. Ambrosius l. c. aperte prodit, de quanam visione loquatur. *Ideo*, inquit, *Deum nemo vidit umquam, quia eam, quae in Deo habitat, plenitudinem Divinitatis nemo conspexit*: *nemo mente aut oculis comprehendit*. Non ergo videri mente, id est, clare perspici, negat simpliciter Deum: sed ita videri, ut tota ipsa plenitudo Divinitatis comprehendatur. Eodem sensu loquuntur, S. Cyrillus Jerosolymitanus Ca-

tech. VI. *Qui est ex Deo, ipse vidit Deum, cujus faciem Angeli semper vident in coelis. Vident autem pro mensura quisque ordinis sui. Caeterum pura et liquida Patris visio proprie Filio ac Spiritui Sancto servatur.* S. Gregorius Nazianz. Orat. XXXIV. *Atque haud scio, an hoc quoque sublimioribus illis, et intelligentibus naturis negatum sit, quae quia Deo propius conjunctae sunt, et toto illo splendore collustrantur, perspicuam fortasse notitiam habeant, etsi non penitus; perfectiorem tumen, expressioremque nostra: atque aliae itidem aliis uberiorem, aut parciorem pro ratione ordinis cujusque.* S. Basilius Lib. I. contra Eunomium: *Non solum homines, sed etiam ratione praeditam naturam omnem arbitror, superare comprehensionem illius. Ratione porro praeditam dico naturam, quae quidem creata sit. Nam soli Filio cognitus est Pater, nec non Spiritui Sancto.* S. Cyrillus Alexandrinus Lib. XXXII. Thesauri: *Nulla creatarum rerum intelligentia divinam substantiam emplecti ullo modo potest; eoquod omnem superet mentem, et omnem intelligentiam excedat praestans illa, et incorrupta pulchritudo; ut a se ipsa sola, id quod est, suapte natura cognoscatur.* Theodoretum difficulter ab errore excusari posse putant Petavius, et Simonnetus: alii sentiunt, eum visionis nomine non qualemcumque cognitionem intellexisse, etiam claram et intuitivam, sed eam quae cognoscibilitatem objecti adaequat, id est, comprehensivam. Quod enim Theodoretus possibilem esse agnoverit visionem Dei intuitivam in legitimo sensu acceptam, constat ex Commentario ipsius in Epistolam ad Ephesios, ubi ait: *Nunc bonorum, quae sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus; fideles*

autem vident tamquam in speculo, et in aenigmate. Per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.

DCLXXXII. *Objicitur III.* Ratio. Nulla est proportio inter objectum infinitum, et potentiam finitam. Ergo Deus non potest cognosci intuitive ab intellectu creato. *Confirm.* I. Oculus corporeus nequidem supernaturaliter potest videre Angelum. Ergo multo minus intellectus creatus potest videre Deum. P. C. Major datur distantia inter Deum, et intellectum creatum, quam inter oculum et Angelum. Ergo. *Confirm.* II. Talis cognitio foret infinite perfecta. Ergo non est possibilis. P. A. Objectum illius cognitionis est infinite perfectum. Ergo etiam ipsa cognitio, tamquam imago objecti, foret infinite perfecta. R. I. Ergo neque abstractive Deus cognosci poterit, cum nulla detur proportio Deum inter et creaturam? R. II. D. A. Nulla est proportio aequalitatis, seu perfectionis, C. A. Nulla est proportio habitudinis, quae consistit in capacitate potentiae versandi circa suum objectum, N. A. et Conseq. Deus est Ens summe cognoscibile: intellectus creatus est vere intellectivus. Ergo habet proportionem habitudinis ad Deum; alias neque abstractive Deum cognoscere posset. Ad I. *confirm.* C. A., N. C. Ad *probat.* D. A. Major datur distantia perfectionis, C. A. Major distantia habitudinis, N. A. et Conseq. Oculus corporeus nullam prorsus habitudinem habet ad cognoscendum Spiritum, quamvis in perfectione ab illo infinite non distet: sicut organum auditus nullam habet aptitudinem ad eliciendam visionem. Contra intellectus creatus habitudinem habet ad cognoscendum Deum, quamvis ab illo infinite distet in perfectione. Ad II. *confirm.* N. A. Ad

probat. C. A. N. C. Cognitio intuitiva Dei non est perfecta imago objecti, adeoque non est infinite perfecta; quia Beati non cognoscunt perfectiones divinas quoad omnes perfectionis gradus, quos illae eminenter in se praecontinent; neque eas cognoscunt modo perfectissimo. Ergo Beatorum cognitio nec intensive, nec extensive adaequat totam cognoscibilitatem sui objecti, nempe Dei, adeoque non est infinite perfecta.

DCLXXXIII. *Objicitur IV.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. *Matth.* Cap. XX. v. 8. Operariis solutus fuit denarius, cum sero esset. Ergo justis non dabitur merces ante generale judicium, quod per vesperam denotatur. II. *Matth.* Cap. XXV. v. 34. primum in extremo judicio dicetur Electis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* III. I. Joan. Cap. III. v. 2. dicitur: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo ante extremi judicii diem nemini conceditur visio intuitiva Dei. IV. Apostolus ad Hebraeos Cap. XI. v. 13. agens de Sanctis veteris Testamenti, ait: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus.* Et v. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ergo Sanctis non conceditur visio beatifica, priusquam omnes praedestinati decesserint. V. S. Joannes Apocalypsis Cap. VI. vidit animas Martyrum sub altari delitescentes. *Et clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albae: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tem-*

pus modicum, donec compleantur conservi, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. R. ad I. Per denarium persolutum ad vesperam intelligi beatitudinem completam, non animae tantum, sed etiam corporis, quae ante resurrectionem generalem de lege ordinaria, nemini conceditur. Ita respondent S. Hilarius, et S. Gregorius M. S. Chrysostomus in hunc locum monet, in parabolis non omnia urgenda esse, ac stricte intelligenda; sed praecipue attendendum esse ad parabolae finem et scopum. Scopum autem praesentis parabolae esse, ut omnes intelligant, nemini de salute desperandum esse, quamdiu in vivis est; quandoquidem quocumque tempore vocatus a Deo fuerit, sive in juventute, sive in extrema vitae periodo, si animo sincero ac recto conversus ad Deum fuerit, et perseveraverit usque in finem, salutem certissime assequetur. Quam quidem parabolam adversus Judaeos praecipue direxit Christus, quod illi aegre ferrent; Gentiles tam sero ad lucem veritatis vocatos, iisdem tamen praemiis donari, quibus et ipsi, qui legis onera diu portaverant. Ad II. R. Sicut animae impiorum statim post mortem inferni flammis torquentur, quamvis in extremo judicio auditurae sint illa verba, *Ite maledicti in ignem aeternum*: ita etiam animae justorum perfecte purgatae statim post mortem fruuntur visione beatifica. In ultimo itaque judicio dabitur adaequata merces tam animae quam corporis. Ad III. R. haec verba, *Cum apparuerit*, non referenda esse ad Christum, sed ad praecedentia: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit* nimirum quid erimus, *similes ei erimus.* Si vero ad Christum referantur, sensus erit: cum apparuerit Christus in

die ultimi judicii, tunc similes ei erimus etiam ratione corporis gloriosi, et videbimus eum sicuti est, nempe oculis corporis quoad naturam humanam, oculis animae quoad utramque, divinam et humanam. Ad IV. R. N. C. Si per repromissiones veteribus Patriarchis factas intelligatur possessio temporalis terrae Chanaan, verum est, illos de quibus loquitur Apostolus, non adeptos fuisse repromissiones: cum non ipsi, sed eorum posteri illius possessionem adierint. Si vero aeterna in coelis felicitas intelligatur, vera pariter scripsit Apostolus: quia in sinu Abrahae expectandum ipsis fuit usque ad tempus Legis Evangelicae, donec coelorum janua per Christum reseraretur. Quod si autem felicitas completa et adaequata tam animae quam corporis intelligatur, manifestum est verba Apostoli nobis non adversari, qui ultro fatemur, eam de lege ordinaria Electis non obventuram, priusquam omnes resurrexerint. Ad V. C. A. N. C. Quidquid per altare intelligatur, sive humanitas Christi, sive locus pacis et quietis, certum est, altare illud a B. Joanne in coelo semper visum fuisse. Ergo et animae Martyrum sub illo collocatae; praecipue cum B. Joannes Apocal. Cap. VII. v. 9. scribat: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum.* Clamor autem ille Martyrum exprimit zelum divinae justitiae, et vehemens desiderium resumendi sua corpora, quod differtur usque ad generale judicium. Hoc adveniente, tum demum completa felicitate donabuntur.

DCLXXXIV. *Dices I.* Scriptura frequenter nobis secundum Christi adventum ob oculos ponit. Ergo signum est, quod in illo primum homo relaturus sit praemium vitae Christianae. *II.* Nemo admittitur ad visionem beatificam, nisi sit perfecte purgatus. Atqui nullus ante ultimi judicii diem est perfecte purgatus. P. m. omnes probandi sunt igne conflagrationis, juxta illud Apostoli I. ad Cor. Cap. III. v. 13. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Ergo. R. ad I. C. A. N. C. Scriptura frequenter adventum Christi ultimum nobis proponit, ut futura aliquando corporis etiam felicitate animum erigat ad gravia quaeque pro Christo fortiter toleranda: utque indicet, non partem hominis, nimirum solam animam, sed totum hominem, corpus et animam, debita virtuti praemia consecuturum. Ad II. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Omnes probandi sunt igne ultimae conflagrationis, qui tunc temporis in corporibus agent, C. A. Etiam illi, qui ante id tempus obierunt, omnesque maculas in hac vita, vel in Purgatorio eluerunt, N. A.

DCLXXXV. *Objicitur V.* Oratio Ecclesiae. Ecclesia, ut videre est etiam in antiquissimis Liturgiis, orat pro Sanctis, *ut eos comitetur beata retributio*: *ut iisdem sacrificia prosint ad gloriam, et illorum animabus donetur requies.* Ergo Ecclesia judicat, sanctos nondum frui visione beatifica; alias pro ipsis non oraret. R. I. mentem Ecclesiae nemo melius ac certius assequitur ipsa Ecclesia, quae in Florentina Synodo litem omnem suprema et infallibili authoritate decidit. R. II. N. C. Ecclesia orat pro Sanctis, non ut illis, sed ut nobis, eorum intercedentibus meritis, preces prosint. Agit Deo gratias, gratulatur Beatis aeternam

felicitatem, ipsorum auxilium et favorem implorat: petit, ut illorum gloria toti mundo innotescat, magisque ab omnibus celebrentur: Deum rogat, ut illorum intuitu copiosiores nobis gratias largiatur, quibus adjuti aeternum cum illis laetari mereamur. Ad hunc finem referendas esse Ecclesiae orationes, quando Sanctorum memoriam in Sacrificio celebrat, jam ante XIV. saeculum monuit Augustinus Tract. LXXXIV. in Joannem. *Ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus.*

DCLXXXVI. *Objicitur VI.* Authoritas Patrum. *S. Hilarius* variis in locis, praecipue in Enarrationibus in Psalmos regnum Christi, quod durabit ad extremi usque judicii diem, distinguit a regno Dei, quod post resurrectionem ait Sanctis concedendum. *S. Ambrosius* Lib. de Bono mortis, Cap. X. docet animas in certis quibusdam receptaculis, et promptuariis usque ad diem judicii contineri. *S. Chrysostomus* Hom. LII. in Matth. ait, justos statim a morte ferri in sinum Abrahae. Idem docet *S. Augustinus* Lib. I. de Civit. Dei, Cap. XIII. et Lib. XII. Cap. IX. S. Bernardus Serm. II. in Fest. omnium Sanctorum ait, animas Sanctorum esse sub altari. Et Serm. III. *Jam multi ex nobis in atriis stant expectantes, donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Ergo docuerunt hi Patres, visionem beatificam sanctis differri usque ad generalem resurrectionem. R. I. Quamvis id opinati fuissent Patres illi

eo tempore, quo veritas haec Catholica nondum satis eliquata erat, nullum tamen ideirco praejudicium creatur dogmaticae huic conclusioni. Sic etiam quamvis Chiliastae patronos nacti sint Tertullianum, S. Irenaeum, S. Justinum, Lactantium, Sulpicium Severum: Rebaptizantes, S. Cyprianum, Firmilianum, S. Basilium, multosque Asiae minoris, et Africae Episcopos, nihil tamen obfuere veritati Catholicae, cui major Patrum numerus semper subscripsit, quamque Ecclesia, infallibilis judex controversiarum fidei et morum, irretractabili sententia postea decidit. R. II. *S. Hilarius*, quamvis regnum Christi distinguat a regno Dei, vel Patris, non tamen excludit a regno Christi visionem Dei intuitivam, qua Sancti statim post mortem donantur. Enarratione enim in Psalm. LXX. scribit: *Martyres in coelestis domicilii habitationem introierunt.* Et in Psalm. CXLVII. regnum illud Christi vocat *conventum beatorum, sanctorum coetum, Civitatem Jerusalem vivis lapidibus extructam.* S. Ambrosius mansiones illas, seu receptacula in coelis collocat, ipsamque Dei visionem ab illis minime excludit. Nam libro cit. Cap. XI. enumerans septem ordines, seu gradus, *per quos justarum animarum digesta erit laetitia*, scribit: *Quintus autem ordo exultationis uberrimae habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere, in lucem libertatemque pervenerint, et repromissam sibi possideant haereditatem.* Quae autem est repromissa haec haereditas nisi Dei possessio per visionem intuitivam? S. Chrysostomus, et S. Augustinus dubii fuerunt, non quidem circa beatitudinem animae statim a morte Sanctis plene purgatis concedendam; sed de loco, in quo starent animae illae usque in diem ultimi judicii: quem

locum alii sinum Abrahae, alii paradisum, alii simpliciter animarum receptacula, seu promptuaria nuncupavere. S. Bernardus id solum docuit, beatitudinem Sanctorum completam et perfectam non fore ante resurrectionem corporum: tum quia corpus ipsum, quod in partem boni operis aliquando venit, in societatem quoque praemii vocari debet: tum quia animae Sanctorum naturali quodam pondere ad corpus suum inclinantur, ejusque desiderio (ut S. Doctor sentiebat) retardantur, ne tam libere et tam intense circa Deum intuitive videndum ferantur instar Angelorum, qui nullo corporum desiderio praepediuntur. Vide loca, quae ex SS. Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, et Bernardo Num. DCLXXV. et DCLXXVI. exhibuimus, et *Tournely* in Praelection. Theolog. de Deo, Quaest. XII. Artic. I.

DCLXXXVII. *Objicitur VII.* Ratio. Anima non meretur sine corpore. Ergo non debet coronari sine illo. II. Anima separata retinet desiderium sui corporis. Ergo donec desiderium hoc expleatur, non potest esse beata, et frui visione beatifica. III. Christus statim a morte descendit ad inferos secundum animam: tum demum una cum corpore ad coelos ascendit. Ergo etiam Sancti in coelum non admittentur sine corporibus, quia Christo debent esse conformes. R. C. A. N. C. Anima est principalis causa bonorum operum, et in statu etiam separationis, est capax gloriae. Ergo congrue praemiatur etiam absque corpore. Ad II. D. C. Non potest esse beata, id est non habet beatitudinem completam et adaequatam, C. C. Non est simpliciter beata, N. C. Quamvis anima desiderium sui corporis retineat, certum tamen est, quod voluntati Dei plene ac perfecte acquiescat. Ad III. N. C. Justi non debent per omnia, et

in omnibus rebus esse conformes Christo; alias debe rent etiam e Virgine nasci, flagellari, et Cruci affigi. Neque Christus ad inferos descendit, ut nobis viam pararet, sed ut justorum animas inde educeret. Praeterea anima Christi, quamvis in coelum non ascenderit, a primo tamen conceptionis instanti fruebatur semper visione intuitiva Dei modo perfectissimo, cujus creatura capax esse potest.

CONTROVERSIA III.

AN OMNES BEATI AEQUALITER VIDEANT DEUM?

Contra Jovinianum, et Lutherum.

DCLXXXVIII.

Jovinianus Mediolanensis Monachus docuit, teste *S. Hieronymo* Lib. II. adversus eumdem, Beatos pares esse in gloria, damnatos in tormentis; asserebat enim, Stoicorum more, tam aequalia esse omnia peccata, quam recte factorum merita; adeo ut inter Joannem Baptistam, et ultimum poenitentem nulla sit distantia. Lutherus, rejecta Joviniani ratione, eumdem cum illo errorem, quod Beatorum gloriam attinet, propugnavit ex eo capite, quod per solam justitiae Christi imputationem, absque bonis operibus, homines justificari censeret: quae cum respectu omnium sit aequalis, Beatos pariter in gloria aequales esse, eamdemque in Beatis omnibus visionis beatificae intensionem esse inferebat.

DCLXXXIX. *Conclusio.* Non omnes Beati aequaliter vident Deum. Prob. II. Authoritate Scripturarum. Joann. XIV. ait Christus: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* I. ad Cor. Cap. III. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et Cap. XV. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunae, alia claritas Stellarum. Stella enim a stella differt claritate: sic et resurrectio mortuorum.* II. ad Cor. Cap. IX. v. 6. *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

DCXC. Prob. II. Authoritate Patrum. S. *Polycarpus*, ut in Actis passionis ejus refertur, Julicem alloquens supplicia intentantem, *Merita mea*, inquit, *doloris aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto praemia majora percipiam.* S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. XIII alias XXVII. *Plus Deum diligamus: quanto autem plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.* Tertullianus in Scorpiaco Cap. VI. *Quomodo mansiones multae apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* S. Augustinus Tract. LXVII. in Joan. *Multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates.* Et Lib. de sancta Virginitate Cap. XXVI. *In multis autem mansionibus honoratur unus alio clarius.* S. Hilarius Enarratione in Psal. LXIV. *Plures mansiones diversae dignitati habitantium praeparantur. Sed licet diversa sit dignitas: differt enim stella a stella in gloria, tamen quotquot habitationibus, variis licet, digni habebuntur, fidei fructum, et honorem coelestis gloriae sortientur.* S.

Chrysostomus Hom. XLI. in I. ad Cor. *Tametsi in regno coelesti sint omnes, non omnes tamen iisdem potiri praemiis illa similitudine stellarum ostenditur: uti nec in gehenna peccatores omnes eadem tormenta patientur.* S. Fulgentius in Libro de Trinitate: *Tantum amplius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius alio in hac vita eum dilexit, praeceptisque ejus obediens fuit.* S. Gregorius Magnus Lib. IV. Moral. Cap. XXXI. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum: ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio veritatis dicit: In domo Patris mei mansiones multae sunt.*

DCXCI. Prob. III. Authoritate Conciliorum, *Mediolanensis* A. 390., in quo a S. Ambrosio damnatus fuit error Joviniani: *Florentini*, quod postquam definivisset, Sanctorum animas perfecte purgatas, frui visione beatifica, subjungit: *Pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Et Tridentini, quod Sessione VI. Can. XXXII. de Justificatione ita loquitur: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.*

DCXCII. Prob. IV. Ratione Theologica. Vita aeterna conceditur justis tamquam corona justitiae, juxta illud Apostoli II. ad Timoth Cap. IV. v. 7. *Bonum*

certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam retribuet mihi Dominus in illa die justus judex. Ergo etiam justitiae ratio exigit, ut pro diversitate meriti, diversa quoque sit merces. II. Pro gravitate criminum graviora decernuntur supplicia, juxta illud Apocal. Cap. XVIII. v. 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum illi date tormentum.* Ergo etiam pro varietate meritorum copiosior datur merces, seu intensior beatitudo.

OBJECTIONES.

DCXCIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. *Matth.* Cap. XX. omnibus operariis, quorum labor diversus fuit, et inaequalis, idem tamen denarius a Patrefamilias rependitur. Atqui denarius est figura beatitudinis. Ergo eadem beatitudo omnibus rependitur. R. I. Ut parabolae intelligantur, attendendum esse ad scopum, non ad circumstantias. Quis autem praesentis parabolae sit scopus, satis indicavimus Num. DCLXXXIII. R. II. C. M. D. m. Denarius est figura beatitudinis objectivae, et substantialis, C. m. Beatitudinis formalis, quoad intensionem, N. m. Eadem beatitudo objectiva, quae est ipse Deus, Beatis omnibus proponitur, eademque erit respectu omnium Beatorum felicitatis duratio, utpote fine cariturae: non tamen aequalis concedetur omnibus justis beatitudinis intensio, sed pro ratione meritorum. Atque ita denarium interpretatur S. Augustinus Serm. LXXXVII., alias LIX. de verbis Domini Cap. IV. scribens: *Denarius est vita aeterna, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim*

meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius; quod pariter sempiternum est. S. Gregorius Nazianzenus, et S. Gregorius Magnus asserunt, novissimis aequale praemium a Patrefamilias esse collatum, quia ob majorem industriam brevi temporis spatio assecuti sunt eorum meritum, qui tota die laborarunt.

DCXCIV. *Objicitur II.* Ratio. Si inaequalis est Justorum in coelis beatitudo, unus foret altero beatior. Atqui id fieri nequit. Ergo. P. m. Qui altero beatior est, majori bono fruitur. Atqui nullus beatorum frui potest majori bono quam alter, cum omnes Deum videant summum bonum. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* N. M. Non majori bono fruitur, qui altero beatior est, sed summo Bono perfectius fruitur quam alter, visioque beatifica in uno perfectior ac clarior est quam in altero.

DCXCV. *Dices I.* Omnes Beati vident in Deo omnes perfectiones cum Essentia divina identificatas. Ergo non possunt Deum inaequaliter videre. R. D. A. Vident omnes perfectiones etc. implicite, sub ratione quadam generica, C. A. Explicite, omni claritate, et quantum illae a creatura cognosci possunt, N. A. et Conseq. Praedicata divina a nullo Beato, praeterquam a solo Deo, secundum omnem suam cognoscibilitatem videntur, cum nulla creatura possit Deum comprehendere: quoniam vero inter Beatos alii clarius, alii minus clare vident attributa divina, et ita alii plures, alii pauciores gradus virtuales attributorum divinorum vident distincte, non eadem, sed inaequalis est visio Dei in Beatis.

DCXCVI. *Dices II.* Si inaequalis admittitur Dei visio in Beatis, qui minus perfecte vident, non erunt Beati. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Qui minus perfecte vident, non satiantur. Ergo non sunt beati, quia beatitudo ex essentia sua perfectam satietatem includit. P. A. Tamdiu appetitus non satiatur, quamdiu superest ei aliquid appetendum, quod proponitur sub ratione majoris boni. Atqui Deum minus perfecte videntibus superest appetendum aliquid, quod eis proponitur sub ratione majoris boni, nempe perfectior modus videndi Deum. Ergo. R. N. M. Ad *probat.* N. A. Ad hujus *probat.* N. M. Cum Beati nihil amplius desiderent, quam id quod possident, plene ac perfecte satiantur. Etenim Beati omnes, quia Deum majori amore quam se ipsos prosequuntur, omniaque ad Deum referunt, efficaciter conformant se voluntati divinae, qua inaequalis beatitudo pro inaequalitate meritorum retribuitur, gaudentque de majore beatitudine aliorum, quod proximum sicut se ipsos perfectissime diligant. Hinc S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. XXX. scribit: *Id etiam beata Civitas illa magnum in se videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli caeteri; nollet enim esse unusquisque quod non accepit, sicut nec in corpore vult oculus esse qui est digitus.* Id illis nimirum usuvenit (si parva licet componere magnis) quod convivis, quorum alii plus, alii minus sumunt; ita tamen ut omnes saturentur, nec amplius quid desiderent, aut invideant plus sumentibus.

DCXCVII. *Dices III.* Nulla potest dari ratio hujus inaequalitatis. Ergo dicendum est, omnes beatos aequaliter Deum videre. R. N. A. Inaequalitatis hujus

causa moralis est inaequalitas meritorum; physica vero lumen gloriae, quod pro meritorum diversitate majus aut minus a Deo confertur. Ita S. Thomas, et communissima Theologorum.

CONTROVERSIA IV.

DE CULTU SANCTORUM.

Contra Manichaeos, Eunomium, Vigilantium, ac Protestantes.

DCXCVIII.

Cultus, seu adoratio in genere, est actus, quo testificari volumus alterius excellentiam, et nostram erga illum submissionem, propter ejus excellentiam: quod si haec testificatio ac submissio interior in actum externum prodeat, adoratio completa erit et adaequata. Porro duplex excellentia considerari potest, *increata* nimirum, solique Deo propria; cum ille sit rerum omnium principium, et supremus Dominus: *creata* alia, quae vel ex donis naturalibus exsurgit, v. g. scientia, nobilitate, regia dignitate etc. vel ex donis supernaturalibus efflorescit, v. g. ex gratia sanctificante, quae homines filios Dei, et cohaeredes Christi constituit. Diversae huic excellentiae diversa correspondet adoratio. quae a Theologis dividitur in Latriam, Duliam, Hyperduliam, et politicam. *Latria*, est adoratio, quae soli Deo exhibetur ut supremo rerum omnium Domino, et fini nostro ultimo, ob increatam et infinitam ejus excellentiam. *Dulia*, quamvis antiquitus sumere-

tur pro servitute generatim accepta, nunc sumitur pro obsequio, quod deferimus Sanctis, ob excellentiam creatam supernaturalem, nimirum sanctitatis, et gloriae coelestis. *Hyperdulia*, est obsequium exhibitum propter excellentiam creatam supernaturalem, sed valde eximiam, et uni subjecto singularem, qualis debetur Dei Matri. Quam ob rem, si Hyperdulia recte expendatur, est species quaedam honoris, quem Duliam vocamus, praestantior tamen: sicut dignitate et excellentia Sanctorum praestantior est Mariae dignitas et excellentia. *Politica* adoratio, est obsequium alicui exhibitum ob excellentiam creatam naturalem, v. g. ob potentiam, dignitatem regiam etc. Porro omnis adoratio dividitur in absolutam et relativam. *Absoluta* est, quae exhibetur Enti propter se, seu propter excellentiam suo supposito intrinsecam; ac tali modo sola substantia intellectualis adorari potest, quia haec sola habere potest excellentiam propter se adorabilem. *Relativa*, est obsequium alicui exhibitum, non propter se, sed propter excellentiam personae, ad quam res illa aliquam habitudinem dicit. Atque hoc modo Sanctorum Reliquiae et Imagines coluntur, ut suo loco explicabitur.

DCXCIX. Circa adorationem duo praeterea animadvertenda sunt. I. Quod quamvis adoratio et cultus idem sint, ac promiscue hae voces a Patribus et Conciliis usurpatae fuerint, nostris tamen temporibus complures Theologi ad vitandam confusionem, doctrinamque Catholicam magis dilucide explicandam adversus Novatorum infrunitam calumniandi libidinem, discrimen faciant inter adorationem et cultum, ita ut adoratio sola juxta ipsos Latriam dicat, cultus vero Duliam, aut Hyperduliam: Hinc solum Deum a nobis adorari dicunt;

Sanctos vero ac Deiparam non adorari, sed coli. II. Quod, sicut verba ex usu et consuetudine significationem accipiunt, ita etiam pleraeque caeremoniae externae, quibus testificamur excellentiam Dei, et Sanctorum, nostramque erga illos submissionem, v. g. genuflexiones, percussiones pectoris, incurvationes, oscula, odorum fragrantia etc. ex natura sua indifferentes sint ad significandam latriam, ac duliam; cum etiam quandoque usurpentur ad honorandos cultu civili homines: ac proinde ad significandam latriam magis, quam duliam, vel vice versa, determinentur ab interno animi affectu, qui in cultu praecipue considerandus est. Jam vero Catholici omnes sancte testantur, per illas caeremonias indifferentes Sanctos a se non adorari, aut coli supremo latriae cultu, velut totidem Deos, rerum authores; sed coli tantummodo a se cultu longe inferiori, nimirum duliae, tamquam Dei servos et amicos. Id ipsum jam initio Saeculi V. aperte professus est B. Hieronymus in Libro adversus Vigilantium: *Quis enim, o insanum caput! aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Et in Epistola ad Riparium. *Nos autem non dico Martyrum Reliquias, sed ne Solem quidem et Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, omne nomen quod nominatur et in praesenti saeculo, et in futuro, colimus et adoramus; ne serviamus creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.*

DCC. Circa cultum Sanctorum gravissime errarunt haeretici, per excessum alii, alii per defectum. Simoniani Simonis Magi discipuli, et Gnostici, ad An-

gelos quos inferiores Deos vocabant, Sacrificia et vota dirigebant, rati eos solos esse mediatores Deum inter et homines; nec nisi per Angelos divinam benevolentiam homines sibi conciliare posse. Collyridiani in Arabia haeretici circa Annum 373. Beatam Mariam Virginem divinis prosequebantur honoribus, et in ejus nomen collyridem panis per mulieres offerebant, ut refert *S. Epiphanius* Haer. LXXIX. Contra Manichaei omnem Sanctorum cultum respuebant, et Gentilium calumniam renovantes, teste Augustino, objiciebant Catholicis, quod pro Diis Gentium Martyres invexissent. Manichaeorum vestigiis hac in re institere in Occidente Vigilantius, Gallus natione, sed Barcinonensis in Hispania Ecclesiae Presbyter: in Oriente autem Eunomius, deterrimus Arianus, et novae sectae conditor, ac post illum Constantinus Copronymus Orientis Imperator, qui Edicto publico invocationem et cultum Sanctorum prohibuit, saepius auditus dicere, Beatam Virginem, quam Dei matrem appellare dedignabatur homo impius, dignam quidem fuisse honore aliquo quamdiu Christum in utero gestavit; postea vero nullo honore dignam fuisse Wickleffi mens circa Sanctorum cultum, ex iis quae posteris reliquit scriptis, obscura est; interdum enim admittere videtur, interdum reprobare Sanctorum invocationem et cultum. Posteriorum temporum Novatores, Lutherus in Lib. ad Waldenses, Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XX. eorumque Sectatores, acerrime contendunt, superstitiosum esse ac impium Sanctorum cultum quem eis Catholici exhibent, quos turpissimae idololatriae non impudenter minus quam furiose reos pronuntiant.

DCCI. Ut praesentis quaestionis, quam pertractandam suscepimus, status innotescat, observo I. sermonem hic non esse de cultu qualicumque, ac mere civili Sanctis exhibendo. Facile enim concedunt Protestantes, eos ob vitae sanctimoniam qualicumque cultu dignos esse, quo praestantium virorum memoria honoratur: negant vero fas esse, eos sacro cultu prosequi cum animi devotione ac submissione certas preces in eorum honorem persolvendo, vovendo, peregrinationes instituendo, eos in necessitatibus suppliciter invocando etc. II. Sermonem non esse de supremo Latriae cultu, ut impudentissime contra propriam conscientiam nobis objiciunt Protestantes; sed de cultu longe inferiori, nimirum duliae. Nullus enim Catholicorum tam rudis est, qui ignoret Deum sublimiori cultu adorandum esse, quam Sanctos. III. Sermonem hic nobis non esse de hoc vel illo, Sancto in particulari, sed generatim de Sanctis in coelo regnantibus: quo nomine intelliguntur Beatissima Virgo Dei Mater, Sancti Angeli, aliique Coelites. IV. Quaestionem hic non esse, num cultus quem deferimus Sanctis, religiosus appellari debeat, an tantum sacer; haec enim quaestio inter concertationes reponenda est, quae Catholicas scholas exercent. Probabilius cultus hic Sanctis exhibitus, *Religiosus* vocari potest ac debet, non eo sensu, quod a virtute religionis eliciatur, quae pro objecto immediate cultum Dei habet; sed quia fit intuitu religionis, quae nos inducit ad exhibendum Sanctis honorem, utpote optime meritis de religione Christiana vel ob vitae sanctitatem, vel ob fidem propagatam, aut fortiter fuso sanguine propugnatam. Quamquam vero Theologi aliqui cultum, quem Sanctis deferimus, ad religionem spe-

ctare nolint, sed eum ad aliud virtutis genus facile revocent; certum tamen atque exploratum omnibus est, cum non civilem, sed sacrum esse; eoquod non ob dona naturalia, vel civilem dignitatem Sanctis exhibeatur, sed propter gratiam supernaturalem, et gloriam: sicque objectum altioris ordinis habeat, quam cultus civilis. Status igitur quaestionis in eo tantum versatur, num Sancti licite et honeste a nobis colantur sacro cultu, qui duliae vocatur, cum animi devotione ac submissione erga illos, ob eorum excellentiam supernaturalem.

DCCII. *Conclusio.* Sancti in coelis regnantes licite ac recte ab Ecclesia coluntur cultu sacro, et duliae. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quae Angelos, virosque sanctos adhuc viventes honoratos fuisse cultu duliae referunt. Genes. Cap. XIX. v. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram.* Josue Cap. V. v. 13. *Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est.* III. Regum Cap. XVIII. v. 6. *Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, Domine mi, Elias?* IV. Regum Cap. II. v. 15. *Videntes filii Prophetarum,*

qui erant in Jericho, dixerunt: Requievit spiritus Eliae super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram. Jam vero cultus Angelis praestitus, non fuit latriae, quem illi constanter a se depulerunt; *Judicum* enim Cap. XIII. v. 16. dixit Angelus ad Manue: *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino.* Cultus vero sanctis viris exhibitus, non fuit civilis ac politicus, quia Abdias ex praecipuis proceribus Regis Achab dignitate civili longe major erat Elia; sed sacer ac religiosus fuit, impensus ob dona supernaturalia, nimirum ob vitae sanctitatem, ac donum prophetiae.

DCCIII. Prob. II. Authoritate Patrum Graecorum et Latinorum. S. Justinus Martyr Apologia II. pro Christianis scribit. *Hunc ipsum vero, et ab eo profectum Filium, a quo ista perdocti sumus: nec non aliorum ipsum sequentium, et ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet Angelorum exercitum: Spiritum quoque Propheticum colimus, et adoramus, sermone ac veritate honorem deferentes.* Smyrnensis Ecclesia in Epist. Encyclica de Martyrio S. Poycarpi. *Martyres*, inquit, *tamquam discipulos et imitatores Domini merito amore prosequimur, ob eximiam eorum benevolentiam.* Et ad locum, ubi passus est S. Polycarpus, conventuros se illius Ecclesiae alumni pollicentur, *ut natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrent; tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos et confirmandos.* Eusebius Lib. XIII. Praeparat. Evangelicae Cap. VII. *Nos verae pietatis milites Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaque illis tamquam viris sanctis*

facimus, *quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*. S. Basilius Epist. CCXCI. ad Ponticae Dioecesis Episcopos. *Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis*, *qui in Domino sperant*: *tum praecipue a vobis*, *qui virtuti operam datis*. S. Gregorius Nyssenus in Oratione de S. Theodoro Martyre. *Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis*, *qui supra modum inter homines excellere visi sunt*, *tali memoria celebratur? Quis Imperatorum*, *qui urbes munitas ceperunt*, *nationes innumeras subegerunt*, *adeo decantatus*, *et fama celebratus est*, *ut hic miles pauper*, *modo conscriptus Tyro*, *quem Paulus armavit*, *quem Angeli ad certamen unxerunt*, *quem victorem Christus coronavit?* S. Chrysostomus in Homilia de S. Pelagia V. et M. *Etenim non temere cum Graecis disserentes*, *hujus diei festi celebritate gloriamur*, *eamque objicientes*, *erubescere illos facimus*, *cum dicimus quemadmodum urbem integram ac totam*, *tantumque populum puella una mortua singulis annis ad se attrahit*, *neque tempus ullum honoris hujus seriem interrupit*. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. VI. in Julianum: *Sanctos porro Martyres neque Deos esse dicimus*, *neque divino cultu illos adorare solemus*, *sed affectus et honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus*, *puta quod pro veritate strenue certaverint*; *sinceritatemque fidei eo usque servaverint*, *ut animam ipsam contempserint*, *repudiatisque mortis terroribus*, *periculum omne vicerint. Quare nihil est absurdi*: *immo vero necesse erat eos*, *qui tam claris facinoribus excelluerunt*, *ornari perpetuis honoribus*. Theodoretus Serm. VIII. adversus Gentiles. *Nos*, *o viri*, *nec sacrificia*, *nec libamina Martyribus offerimus*: *sed eos*

tamquam divinos, et Deo charos honoramus. Tanto enim Creatorem, salvatoremque suum amore prosecuti sunt, ut jugulari pro ipso optabile duxerint.

DCCIV. Ex Latinis S. Cyprianus Epist. XXXVII. *Significet mihi dies* (Tertullus) *quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, et celebrantur hic a nobis oblationes et sacrificia, ob commemorationes eorum, quae cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* S. Ambrosius Serm. VI. *Quisquis ergo honorat et Martyres, honorat et Christum: et qui spernit Sanctos, spernit et Christum.* S. Hieronymus in Vita B. Paulae. *Vale o Paula, et cultorem tuum orationibus juva.* Et in Epist. ad Riparium. *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* S. Augustinus Serm. I. de SS. Petro et Paulo. *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo.* Idem in Psalm. XXXXIV. *Ostendatur mihi Romae in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo Memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Et in Lib. XX. contra Faustum Manichaeum Cap. XXI. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis et societatis quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post superata certamina; quanto etiam fidentiore laude praedicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui Graece λατρεια dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

DCCV. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Saeculo IV. Gangrense Concilium, in Paphlagonia habitum, Can. XX. ita decrevit: *Si quis per superbiam tamquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca et Basilicas Sanctorum Martyrum fiunt, accusaverit, vel etiam oblationes quae ibidem celebrantur spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas putaverit; anathema sit.* Laodicenum eodem Saeculo IV. Can. XXXIV. *Non oportet Christianum, derelictis Martyribus Christi, abire ad falsos Martyres. Hi enim alieni a Deo sunt. Quicumque autem abire voluerint, anathema sint.* Receptam fuisse in Oriente, non tantum apud ipsos Catholicos, verum etiam apud ipsos Iconomachos, traditionem de honorandis et invocandis Sanctis, manifeste ostendunt Acta Synodi Iconoclastarum, CPoli habitae sub Constantino Copronymo, in qua Can. XVII. dicitur: *Si quis non confitetur, omnes, qui a saeculo hucusque, et ante legem, et in lege, et in gratia a Deo dati fuerunt, Sanctos venerandos esse coram Deo et anima et corpore: et horum intercessiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habebant pro mundo, secundum Ecclesiasticam traditionem, intervenire; anathema sit.*

DCCVI. Prob. IV. ex continua praxi Ecclesiae, cujus non Patres tantum irrefragabiles sunt testes, verum etiam ipsi Gentiles, Judaei, et Haeretici, quibus solemne erat Christianos ob cultum Martyrum idololatriae accusare, ut testantur Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, qui in libris suis contra Gentiles, Celsum, Vigilantium, Faustum Manichaeum, Julianum Apostatam, aliosque, admittunt quidem Martyres a se ho-

norari religioso, aut sacro cultu; negant vero eos a se coli cultu latriae, ac Sacrificiorum oblatione, quae soli Deo debetur.

DCCVII. Prob. V. Ratione. Sanctitas quae in Beatis refulget, est eximia quaedam excellentia, omnibus naturae donis anteponenda. Ergo Beati digni sunt honore, veneratione, ac cultu; non politico ac civili, quia non defertur illis honor ob dona naturae, humanam scientiam, authoritatem, aut potentiam: ergo religioso, sive sacro, ob dona supernaturalia, sanctitatem, aut gloriam quam in coelis adepti sunt, gloriose dimicando in terris.

DCCVIII. *Quaeres I.* An sancti coli debeant, ac possint cultu duliae absoluto, an vero tantum respectivo? R. cultu duliae absoluto. Prob. assertio. Cultus duliae absolutus fundatur in excellentia propria et intrinseca personae, quae colitur. Sed Sancti propriam et intrinsecam habent excellentiam, in qua cultus fundari potest, nimirum gratiam sanctificantem, et gloriam, quae ipsis inhaerent, illosque in excellenti gradu perfectionis, et sanctitatis constituunt. Ergo cultu duliae absoluto colendi sunt. Neque cultui duliae absoluto obstat, quod Sancti colantur, quia amici Dei sunt; aliud est enim Sanctum coli propter aliquid habens ordinem ad Deum, sibi proprium et intrinsecum: et aliud, Sanctum coli propter Deum, seu propter increatam Dei excellentiam.

DCCIX. *Quaeres II.* An Sancti adorari possint cultu latriae, non absoluto quidem, sed relativo? Ratio dubitandi est, quia Sancti videntur posse coli non tantum ob propriam excellentiam, verum etiam adorari, quia a Deo specialiter diliguntur, et quia imago

quaedam sunt, in qua magis ad vivum relucet divina excellentia: quia Templum Dei sunt, quod Deus specialiter inhabitat: paucis, ob excellentiam naturae divinae, quae in Sanctis tali modo adoraretur. R. cum communissima Theologorum, ab hujusmodi Sanctorum adoratione abstinendum esse; tum ad vitandum periculum erroris et idololatriae; tum quia Sancti coli possunt cultu duliae absoluto, propter propriam et intrinsecam excellentiam.

OBJECTIONES.

DCCX. *Objicitur I.* Authoritas Scripturae. Deuteronomii Cap. VI. v. 13. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* II. I. ad Timoth. Cap. I. *Soli Deo honor et gloria.* III. ad Coloss. Cap. II. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione Angelorum.* IV. Daemoni adorationem postulanti respondit Christus Matth. Cap. IV. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ergo. R. C. A. N. C. Ad I. aio, sermonem ibi esse de servitute summa, et latriae, qua serviendum nobis est Deo, tamquam supremo rerum omnium Domino, non autem de servitute secundaria; alias non liceret Dominis habere servos. Jam vero Catholici non coluut Sanctos servitute latriae, tamquam Deos, supremosque rerum moderatores, sed tamquam Dei amicos; servitute non omnimoda, sed limitata: sicut limitata est eorum excellentia, cui commensuratur cultus. Ad II. Eadem est responsio. Soli Deo convenit honor et gloria suprema, seu adoratio latreutica. Sicut igitur inferiori cultu Parentes et Superiores honeste et licite honorantur: ita etiam et San-

cti in coelis regnantes, quin idcirco Deo aliquid decedat gloriae sibi debitae. Ad III. R. Apostolum ibi agere contra Simonianos, qui hausto a Platonicis errore docebant, Angelos cultu latriae adorandos esse, eoquod mundum hunc condiderint, sintque mediatores inter Deum et homines: a qua insania remotissimi sunt Catholici. Ad IV. R. Daemonem postulasse adorationem latriae: et aliunde illum nulla prorsus reverentia ac cultu dignum esse.

DCCXI. *Objicitur II.* Exemplum Angelorum ac Sanctorum vivorum, qui nec cultum admisere, nec aliis deferre voluerunt. I. Apocalypsis Cap. XIX. scribit S. Joannes. *Et cecidi ante pedes ejus*, (Angeli) *ut adorarem eum. Et dicit mihi: vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.* Ergo displicet Angelis qualiscumque cultus ipsis exhibitus. II. Actuum Cap. X. v. 25. *Et factum est cum introiisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. Petrus vero elevavit eum dicens: Surge, et ego ipse homo sum.* III. Estheris Cap. III. v. 2. *Solus Mardochaeus non flectebat genu*, (Amano) *neque adorabat eum.* IV. Act. Cap. XIV. Paulus et Barnabas Lycaones, ipsos adorare volentes, impedierunt. V. Christiani, saeviente persecutione, vitam potius amittere maluerunt, quam Imperatores adorare. R. ad I. N. C. Angelus permittere noluit, ut ipsum Joannes adoraret, tum ob naturae humanae a Filio Dei assumptae reverentiam, ut deserte explicat *S. Gregorius Magnus* Hom. VIII. in Evangelia: tum ad contestandam observantiam suam erga tantum virum, natura quidem minorem, dignitate tamen Apostolatus, sanctitate, et gloria Martyrii sibi non imparem, forte etiam majorem. Porro S.

Joannes etiam post prohibitionem, quae legitur Cap. XIX. *Vide ne feceris*, Angelum iterum adorare voluit, ut habetur Cap. XXII. Atqui ita constans in proposito ipsum adorandi non fuisset S. Apostolus, si hocce adorationis, id est, cultus religiosi genus Angelo delatum, illicitum ac impium esse intellexisset. Ad II. R. Illud reverentiae ac obsequii argumentum, quod adhibebat Cornelius, partim modestiae ac demissionis causa rejecit Petrus: partim ut familiariter cum Cornelio ageret, eaque humanitate sibi amiciorem, et ad discenda ac credenda fidei nostrae Mysteria paratiorem redderet: aut ne scandalum forte daret infirmis adhuc Judaeis suis comitibus, suspicaturis latriae cultum Petro exhiberi. Ad III. *Natalis Alexander* putat, inani timore trepidasse Mardochaeum. At virum consummatae prudentiae, et patriarum legum peritissimum vano timore deterritum fuisse divinam legem violandi, si caeterorum more Amanum adorasset, mihi haud satis verisimile est. Hebraei dicunt, Aman idolum textile in pectore gestasse, quod adorabant alii: atque ita Mardochaeum coram ipso genuflectere prudenter recusasse, ne colere Idolum videretur, aut divinos honores Amano deferre, quales a Gentilibus referebantur Idolis. At quae fides Rabbinicis commentis debetur? R. itaque cum *Bellarmino*, et *Tirino*, Amanum non civiles, sed divinos postulasse honores, ut colligitur ex Cap. XIII. Lib. Estheris, ubi Mardochaeus sic Deum affatur: *Cuncta nosti, et scis, quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriae cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim* (si sola nimirum adoratione civili contentus fuisset) *pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari*

paratus essem. Sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. Et vero Persarum Reges sibi tamquam Diis quibusdam divinos honores vendicasse, et aliis quoque, quos eximie honoratos vellent, deferri jussisse; tot testimoniis et exemplis adstruunt etiam Ethnici Scriptores, Isocrates, Strabo, Heliodorus, Herodianus, Aristoteles, Seneca, Lampridius, Martialis, Curtius etc. nullus ut dubitationi esse locus possit. Ad IV. R. Paulo et Barnabae supremum latriae cultum, tamquam Diis, Jovi et Mercurio, oblatum fuisse, ideoque Lycaones merito ab illis prohibitos fuisse sacrificium et victimas offerre. Ad V. C. A. N. C. A Christianis non qualemcumque, nempe politicam et civilem, sed latreuticam omnino adorationem exigebant Imperatores, quorum ambitio eo progressa est, ut pro Diis haberi vellent, templa sibi erigi, et Flamines constitui juberent, sacerrimumque esse jusjurandum per Caesaris nomen et salutem.

DCCXII. *Objicitur III.* Infirmitas argumenti nostri ex Scripturis petiti. Quamvis Josue Cap. V. virum stantem contra se adorasse legatur, ex eo tamen non evincitur Sanctos licite posse coli. Ergo. P. A. Vir ille, quem Cap. V. viderat Josue, erat Angelus foederis, seu Verbum divinum: Ergo mirum non est, impensam illi fuisse adorationem. P. A. I. Idem Angelus initio capitis sequentis, nempe VI. v. 2. in Hebraico codice dicitur Jehovah. *Dixitque Dominus* (Jehovah) *ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho.* Nomen autem Jehovah nemini alteri, quam soli vero Deo tribuitur. II. Dicendo, *Ecce dedi in manu tua Jericho*, ostendit se non esse ministrum, sed Dominum. III. Ange-

lus ille, quia appellatur Jehovah, idem fuit cum illo, qui apparuit Moysi in rubo. Atqui qui apparuit Moysi in rubo, erat Deus Verbum: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham etc.* Exodi Cap. III. v. 6. IV. Permisit se a Josue adorari. Ergo non erat Angelus. P. C. Angeli in Scripturis nusquam leguntur permisisse se ab hominibus adorari. R. N. A Ad *prob.* iterum N. A. Ad I. R. plurimorum sententia est, non eumdem fuisse, qui Jerichuntinae urbis deditionem promisit Josue, atque eum Angelum, qui specie militis gladio evaginato stantis apparuit; cum diversitas capitum diversitatem apparitionum insinuare videatur. Verum, quamvis eumdem fuisse concedamus, neutiquam sequitur eum non fuisse verum Angelum: siquidem *Jehovah* idcirco vocatur, quia Deum referebat, ac Dei nomine loquebatur. Et sane, si is Verbum divinum fuisset, dixissetne: *Ego sum Princeps Exercitus Domini*, Dominum indicans velut a se diversum? An non potius dixisset: *Ego sum Princeps Exercitus mei?* Ad II. Deditionem Jerichuntis promittere Angelus potuit, non utique propria authoritate, sed veluti executor eorum, quae Dominus promittere eum jusserat. Ad III. R. N. M., quam non probat ratio allata: et nego etiam minorem propositionem; probatissimi enim vetustissimique Doctores ac Patres putant, Angelorum opera id fuisse peractum, sive Michaelis Judaeorum Praesidis, sive alterius Angeli primi ordinis, qui, quoniam Dei partes agebat, ac pro illo solemni legatione fungebatur, se Deum dicere poterat, et Dei nomine praecepta legesque indicere, minari quoque poenas in monte Sinai, ac proemia polliceri. Ad IV. N. C. Josue non detulit Angelo latriae cultum, sed inferiorem. Ad

probat. N. A. Scripturae diserte testantur Angelos adoratos fuisse cultu, non latreutico sed inferiore, qui dicitur duliae, a Patriarchis et Prophetis, Abrahamo, Lot, Tobia, Daniele etc. Tobiae Cap. XII. dicitur: *Cumque haec audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.* Danielis Cap. X. *Cumque loqueretur mihi* (Angelus) *hujuscemodi verba, dejeci vultum meum ad terram, et tacui.*

DCCXIII. *Objicitur IV.* Authoritas Conciliorum, Patrum, et praxis antiquae Ecclesiae. Concilium Laodicenum saeculo IV. Angelorum cultoribus anathema dixit; Canone enim XXXV. ait: *Quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere, et abire, atque Angelos nominare, et congregationes facere; quae interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae serviens, sit anathema; quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, et se idololatriae tradidit.* II. S. Hieronymus in Lib. contra Vigilantium scribit. *Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit?* S. Epiphanius Haeresi LXXIX.; quae est Collyridianorum, saepius repetit, *Mariam non esse adorandam.* S. Augustinus Lib. de vera Religione Cap. LV. ait: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum; quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quaerant honores; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur meriti sui nos esse consortes.* Idem asserit S. Athanasius Serm. III. contra Arianos, nimirum Angelis nullam adorationem impendendam esse. III. Quatuor primis saeculis Ecclesia non erigebat templa et aras Martyribus, nec in sacrificio eos invocabat. Ergo novitius

est Sanctorum cultus. P. A. S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. X. ait: *Nos Martyribus nostris non templa fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus Martyribus sacrificemus; nec ibi a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Ergo. R. ad I. Laodiceni Patres Can. LI. Sanctorum Martyrum cultum, festos dies, et memoriam approbantes, non potuere sanctorum Dei Angelorum venerationem improbare, qui pari erga nos cum Martyribus charitate fervent. Quemadmodum itaque Canone XXXIV. illos anathemate damnant, qui relictis Sanctis Christi Martyribus in coelo regnantibus, debitum illis cultum ad falsos haereticorum martyres transferunt: ita Canone XXXV. in illos anathema contorquent, qui relictis Sanctis Angelis Dei, debitum illis cultum tradùcunt ad rebelles Angelos, inferni habitatores, eosque venerantur ad imitationem Saturnini, Basilidis, Ebionis, Apellis, ex Simonis Magi colluvie prodeuntium. Ad II. R. Patres illos non loqui de adoratione qualicumque, sed suprema et latreutica, quae soli Deo debetur, ut manifestum est ex contextu. Quid enim aliud sibi volunt illa Hieronymi verba l. c. *Quis hominem putavit Deum?* Et Epiphanii: *Sit in honore Maria: Dominus adoretur.* Certe insolens merito videtur esse impudentiae prodigium, quod Protestantes adversus Catholicum dogma de cultu Sanctorum, proferre audeant Hieronymum, Epiphanium, Athanasium, Augustinum, qui innumeris locis inculcant, Sanctos esse a nobis colendos. Ad III. D. A. Non erigebat Templa et aras Martyribus, ut eis sacrificaret, aut illos invocaret tamquam summum Bonum, C. A. Non erigebat templa, et aras in eorum memoriam, N. A. Neque plus evincitur ex illo Augustini loco, ut mox dicemus. X 5

DCCXIV. *Objicitur V.* Superstitio hujus cultus. Catholici Sanctis Templa construunt, Sacrificia offerunt, vota faciunt, eorum patrocinium implorant, eos religiose venerantur. Ergo illorum cultus est superstitiosus et idolatricus, quia cultum soli Deo debitum Sanctis deferunt. R. N. A. in sensu adversariorum sumptum. Catholici non ipsis Sanctis Templa exstruunt, Sacrificium offerunt, aut vota faciunt, sed soli omnipotenti Deo, in peculiarem tamen memoriam Sanctorum, et venerationem ipsis congruentem. Audiant Protestantes Augustinum Lib. XX. contra Faustum Manichaeum Cap. XXI. *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus eorum adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, constituantur altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgat ad acuendam charitatem et in illos quos imitari possumus, et in illum quo adjuvante possumus.* Erigantur itaque Sanctis templa et altaria, non qua templa vel altaria sunt; quia ut sic ordinantur ad sacrificia, quae soli Deo offeruntur: sed qua trophaea sunt memoriae vel monumenta Sanctorum. Vota pariter, quae Sanctis fieri dicuntur, ad Deum sunt referenda. Fideles enim Sanctos illos, ex quorum amore et reverentia aliquid Deo vovent, cupiunt esse testes obligationis, qua sese Deo obstringunt: denique illo-

rum quasi auspiciis et intercessione freti, quod Deo promittunt, adimplere statuunt. Quod si quis etiam forte promittat quidpiam animo obligandi sese, non ipsi Deo immediate, sed Sancto tamquam excellenti creaturae, cui promissum opus gratum putatur esse futurum; ne tum quidem is ad honorandum Sanctum usurpat divinum cultum. Non enim erit tunc ea promissio divinae religionis actus: sicut neque est illa promissio, qua homo homini sese obstringit; sed erit potius virtutis alterius actio, nempe singularis observantiae. Vide *Gregorium de Valentia* Commentar. Theolog. Tomo III. Disput. VI. Quaest. XI. Puncto V. Quando vero Sanctos oramus, ut pro nobis intercedant, petimus ut ipsi quoque supplices nobiscum ad summum et unicum muneris ac gratiarum largitorem Deum adeant; sicque hoc ipso profitemur, Sanctos Deo inferiores esse. Cultum quod attinet, diximus jam Num. DCCI. sacrum eum esse ac religiosum; non in eo sensu, quod a virtute Religionis eliciatur, quae pro objecto immediato solum Dei cultum habet; sed quia fit intuitu Religionis, cum Sancti propter Deum honorentur. Pari de causa in Epist. S. Jacobi Cap. I. dicitur: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas.* Reliqua venerationis signa, quae Sanctis impendimus, ut genuflexiones, tunsiones pectoris, inclinationes etc. ex natura et conditione sua, atque etiam ex usu et consuetudine, ad honorandas quoque creaturas saepe usurpantur: proinde officia haec ad divinum cultum minime pertinent, nisi ex animo procedant testificandi excellentiam infinitam: quod a Catholicis Sanctos honorantibus nulla ratione ac modo intenditur. Patet itaque in veneratione Sanctorum a Ca-

tholicis neque cultum usurpari divinum, neque illum creaturis tribui.

DCCXV. *Dices I.* Omnis cultus qui exhibetur sine mandato Dei, est idololatria. Atqui cultus Sanctorum exhibetur sine mandato Dei. Ergo cultus Sanctorum est idololatria. R. N. M. Idololatria juxta Scripturam et Patres est ille cultus, quo divinus honor tribuitur creaturae. Et profecto si omnis cultus, sine mandato Dei exhibitus ipsi etiam Deo, foret idololatria, ut volunt Protestantes, B. Magdalena idololatriam commisisset ungendo caput et pedes Domini, ac capillis tergendo; cum id absque Dei mandato egerit. Praeterea sequeretur eos esse idololatras, qui propter vanam gloriam orant, aut mente dissipata: qui jure jurando se obstringit servatis debitis conditionibus: qui quidpiam Deo vovet, aut qui ministerio sacro fungitur animo colendi Deum; quia nullum mandatum Dei extat orandi ob vanam gloriam, mente aliis cogitationibus dissipata, nullumque assignari potest mandatum jurandi, vovendi, ministrandi etc.

DCCXVI. *Dices II.* Catholici non possunt colere Sanctos sine latria. Ergo cultus Sanctorum est idololatricus. P. A. Latria et Dulia idem prorsus significant. Ergo si Sancti coluntur cultu duliae, hoc ipso coluntur etiam cultu latriae. P. A. Dulia significat servitutem. Ergo, cum conservi Sanctorum, non autem servi simus, Sancti coli a nobis non possunt cultu duliae. *Confirmat.* S. Augustinus docet, duliam aeque ac latriam Deo deberi: nam Lib. II. Quaest. super Exodum Num. XCIV. ait: *Dulia debetur Deo tamquam Domino; latria vero nonnisi tamquam Deo.* Ergo duliae cultus deferri non potest Sanctis. R. N. A. Ad *probat.*

D. A. Idem significant ex vi nominis sui, ac secundum profanos auctores, C. A. Secundum usum Scripturarum, et Ecclesiae, N. A. Latria ex usu Scripturarum et Ecclesiae sumitur pro cultu summae servitutis soli Deo debitae; dulia vero pro inferiori gradu servitutis, quo nos Sanctis submittimus ob supernaturalem eorum excellentiam creatam, fundatam in gratia habituali, fruitione Dei, aliisque donis supernaturalibus. Pari ratione *Honor* vocabulum commune est, quod proinde, sicut dulia, ex natura sua significat etiam cultum divinum, ut patet ex I. ad *Timoth.* Cap. I. *Soli honor, et gloria*: neque tamen inferri potest, filium, qui quartum Decalogi praeceptum implet, et debitum parentibus suis honorem tribuit, divinum ipsis cultum exhibere, adeoque idololatram esse. Ad *probat.* D. A. Dulia ex mente Ecclesiae significat servitutem qualemcumque, et limitatam, sicut limitata est excellentia Sanctorum, C. A. Significat perfectam et omnimodam servitutem, quae soli Deo competit, N. A. Ad *Confirmat.* C. A. N. C. S. Augustinus minime negat duliam communicari posse creaturis; sed tantum asserit, Deo ob excellentiam supremi dominii deberi duliam longe excellentiorem illa, quae impenditur Sanctis.

DCCXVII. *Dices III. Theodoretus* Lib. de divinis Decretis, Spiritum Sanctum probat esse Deum ex eo, quod ipsi dulia exhibeatur. Ergo Sancti coli non possunt cultu duliae. II. *S. Adrianus I.* in Epistola ad Carolum Magnum ait, cultum Sanctorum esse talem, qualem nobis mutuo cum salutatione exhibemus. Ergo Sancti coli a nobis non possunt cultu sacro et religioso, sed mere politico. R. N. C. Theodoretus non sumpsit hic duliam juxta communem et consuetum Ecclesiae u-

sum, vi cujus determinatur ad significandum cultum latria inferiorem; sed duliam sumpsit secundum primaevam suam institutionem, prout scilicet significat quemlibet cultum, sive is Deo, sive creaturae exhibeatur: quod ex subjecta materia discerni debet. Ad II. Hadrianus Papa hac similitudine significare voluit, Sanctos non coli a nobis cultu latriae, sed inferiori cultu, ut Dei amicos.

DCCXVIII. *Dices IV.* Cultus Sanctorum imminuit cultum Dei. Ergo est superstitiosus, et noxius. R. N. A. Sicut Deo, quamvis dignissimus sit omni supernaturali charitatis amore, nihil detrahitur per charitatem fraternam proximi: ita nec de summo latriae supernaturalis honore quidquam illi detrahitur per cultum Sanctis exhibitum. Immo tantum abest, ut latria Deo debita per duliam Sanctorum violetur, ut e contrario aegerrime Deus ferat, Sanctos suos a nobis non honorari, aut contemni, juxta illud Lucae Cap. X. *Qui vos spernit, me spernit.* Certe nemo prudens dixerit, honorem Principis violari, si familia ejus magnis honoribus excipiatur.

DCCXIX. *Dices V.* Catholici colunt B. Mariam Virginem ut Deam. Ergo. P. A. Vocatur ab illis Regina coeli, Spes nostra, Advocata, Mediatrix, Redemptrix, Auxiliatrix nostra. Immo aliqui Catholici majori fiducia ac devotione erga illam feruntur, quam erga Christum. Ergo si non majores, aequales saltem ei honores deferunt, ac ipsi Christo. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Ad explicandam eximiam prorsus ac potentissimam B. Dei Genitricis intercessionem hos illi titulos tribuimus, salutamus ac veneramur illam ut Redemptricem, Advocatam, Mediatricem, spem ac salu-

tem nostram; quin eam Filio Divino aequemus. Fatemur enim praerogativas omnes ac dotes a Deo omnium bonorum fonte eidem collatas fuisse, eique titulos illos non eodem, quo Christo Domino, sed longe inferiori modo convenire asserimus. Devotionem, affectum, ac fiduciam aliquorum Catholicorum erga B. Virginem quod attinet, ajo eam quandoque teneriorem, magisque sensibilem esse; eoquod illam ut Matrem amantissimam concipiant, Christum vero tamquam severum ac justum Judicem: appretiative tamen longe minorem esse; cum omnibus etiam rudissimis certum atque exploratum sit, Christum omnis perfectionis ac sanctitatis fontem esse, cui creaturae omnes sanctitatem suam ac dona supernaturalia in acceptis referre debeant.

CONTROVERSIA V.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Contra Eosdem.

DCCXX.

Protestantes inter et Catholicos facile convenit I. licitum esse viventes invocare, ut suis precibus nos apud Dominum adjuvent, quin ulla Christo Mediatori inferatur injuria; siquidem hoc ab Apostolo factum fuisse comperimus, dum ad Coloss. Cap. IV. scribit: *Orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione: orantes simul et pro nobis.* I. ad Thessalon. Cap. V. *Fratres orate pro nobis.* Et II. ad Thessal. Cap. III. *De caetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat,*

et clarificetur. II. Licitum non esse a Sanctis petere, ut nobis, tamquam authores divinorum beneficiorum, gloriam vel gratiam, aliaque ad beatitudinem consequendam media concedant, aut etiam sanitatem corporis; hanc enim, sicut alia dona, solus conferre potest, qui bonorum omnium est largitor Deus. III. Nullum exstare mandatum divinum, quo obligentur omnes fideles invocare Sanctos, cum Christo in coelis regnantes: usum enim, aut non usum invocationis Sanctorum concedunt Catholici spectare ad disciplinam: an vero hujusmodi usus pius atque utilis sit, pertinere ajunt ad fidem.

DCCXXI. Praesens itaque controversia Catholicos inter et Novatores de invocatione Sanctorum in eo versatur, an honeste, pie ac utiliter, Sancti cum Christo in coelis regnantes invocari possint, ut sint nostri intercessores apud Deum, nobisque tamquam mediatores secundarii vel peccatorum veniam, vel corporis sanitatem, aut alia bona orationibus suis impetrent. Hinc Ecclesia frequentissime verbis illis utitur: *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*; Aut, *Ora pro nobis Beate N. N.* Neque obstat, quod Catholici quandoque, quod etiam Ecclesiae Patres fecere, iisdem verbis beneficia a Sanctis petant, quibus ea a Deo postulari solent. Non enim propterea Sanctos horum beneficiorum authores agnoscunt, sed patronos dumtaxat, atque intercessores rogant; idemque illis usuvenire solet, quod clientibus, qui a ministro Principis iisdem verbis beneficium emendicare satagunt, quibus illud ab ipso Principe supplices peterent, cujus solius est preces ratas habere: ut hac supplicandi ratione ostendant, quantum illorum intercessioni tribuant, quos sciant apud Principem au-

thoritate et gratia plurimum valere. Atque hunc genuinum esse quaestionis statum, quidquid Novatores obganniant, sancte testantur Catholici omnes, ac clare dignoscitur ex Tridentino Concilio, quod Sess. XXV. in Decreto de invocatione Sanctorum Episcopos omnes docere jubet, *Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.*

DCCXXII. *Conclusio I.* Sancti cum Christo in coelis regnantes orant pro nobis saltem in genere. Conclusio haec communiter admittitur etiam ab ipsis Protestantibus, probaturque authoritate Scripturarum. Jerem. Cap. XV. ait Deus: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moyses et Samuel jam diu defuncti solebant orare pro populo Judaico; secus ineptus ille sermonis divini sensus videretur. Certe de vero Moyse et Samuele Deum loqui intellexerunt *S. Hieronymus* Comment. in illum locum, *S. Chrysostomus* Hom. I. in Epist. ad Thessal. *S. Gregorius Magnus* Lib. IX. Moral. Cap. IX. etc. Lib. II. *Machabaeorum* Cap. XV. Judas Ma-

chabaeus vidit in somnio Oniam Summum Sacerdotem, qui e vita jam decesserat *manus protendentem, orare pro omni populo Judaeorum.* Idem Onias l. c. dixit Judae Machabaeo de Jeremia Propheta diu ante defuncto: *Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, et universa Sancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.*

DCCXXIII. *Conclusio II.* Sancti cum Christo in coelis regnantes orant pro nobis, non in genere tantum, sed etiam in particulari. Prob. I. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LVII. ad Cornelium ait: *Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate revelemus. Et si quis istinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Et Lib. de Mortalitate: *Magnus illic* (in coelo) *nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et de nostra salute sollicita.* S. Gregor. Nazianz. Orat. XIV. de obitu Patris sui Gregorii. *Nunc magis proficit nobis precibus, quam antea doctrina; quando etiam Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia.* S. Chrysostomus Hom. de SS. Juventino, et Maximo: *Etenim sicuti milites vulnera in praeliis sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur: ita et illi absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quaecumque voluerint, apud Regem coelorum impetrare possunt.* S. Hieronymus in Epist. de obitu Blesillae: *Pro te Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum.* S. Leo M.

Serm. I. de SS. Petro et Paulo. *Sicut nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitae ab obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos.*

DCCXXIV. Prob. II. Ratione, eaque duplici. I. est. Sanctis neque deest potestas nos adjuvandi, nec voluntas. Ergo orant pro nobis in particulari. P. A. Potestas ac vires non desunt, quia post coronas ac triumphos potentiores sunt, Deoque magis conjuncti. Hinc S. Hieronymus in Lib. contra Vigilantium scribit: *Si Apostoli et Martyres adhuc in carne constituti possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, et triumphos: Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam: et Stephanus imitator Domini sui, et primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt?* Et S. Augustin. Serm. XXIX. de Sanctis. *Si tunc opem ferre poterat umbra corporis* (B. Petri) *quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si ad praesidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum?* Neque voluntas deest Sanctis, quia deesse illis nequit charitas, quae teste Apostolo I. ad *Cor.* Cap. XIII. *numquam excidit*; sed magis in coelesti illa beatitudine perficitur, cum rationes Deum ac proximum amandi clarius a Beatis cognoscantur. Itaque si Sancti, dum in terris nobiscum versarentur, urgente charitate, paratissimi erant ad Deum pro nobis obsecrandum, multo magis nunc in coelis aucto charitatis incendio id praestabunt, praesertim cum pro se ipsis non amplius sint sol-

liciti, ut observat *S. Hieronymus* in Lib. adv. Vigilantium: *Quapropter charitate in coelis longe amplificata, cum nihil sibi amplius habeant postulandum, toti, et sponte nostris miseriis consulunt.*

DCCXXV. Altera ratio est. Sancti cognoscunt preces ac petitiones nostras. Ergo pro nobis orant in particulari. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Apocalypsis Cap. V. dicitur: *Et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno: habentes singuli citharas; et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum.* Ergo Sancti non ignorant in coelis orationes piorum, quas habent sibi commendatas, et tamquam in phialis asservant, Deo praesentandas. Angeli, quibus similes sunt Sancti, cognoscunt, offerunt, et commendant Deo orationes hominum. Tobiae Cap. XII. ait Angelus Raphael ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis -- Ego obtuli orationem tuam Domino.* Apocalypsis Cap. VIII. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Prob. II. ex natura beatitudinis. Sancti naturaliter scire desiderant, quid eis a domesticis, vel clientibus commendetur. Ergo cum perfecte satiari debeant appetitus, alioqui Beati non forent, dicendum est, haec a Sanctis cognosci. Prob. III. ex praestantia luminis beatifici. Lumen beatificum superat omnem cognitionem supernaturalem vel fidei, vel prophetiae, quae in hac vita a Deo hominibus tribui solet, juxta illud S. Augustini Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. XXIX. *Corde suo se dixit vidisse Propheta* (Eliseus) *adjuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, divinitus. Sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus?* Ergo cum Prophetae in hac vita cognoverint

cogitationes cordium, et res longe positas, Deo illos illuminante; multo magis Sancti, cum Christo in coelis regnantes, cognoscent orationes nostras et ea quae ad ipsos pertinent. Vide *Gregorium de Valentia* Commentariorum Theologicorum Tomo III, Disputat. VI, Quaest. II, Puncto VII.

DCCXXVI. Caeterum quanam ratione Sancti preces nostras cognoscant, ab Ecclesia neutiquam definitum est. Certum est, Sanctos non ideo preces nostras cognoscere, quod omnibus illis locis, quibus invocantur, eodem tempore praesentes sint naturali quodam modo: sed vel ab Angelis, qui nos ubique circumstant ac comitantur, certiores de illis fiunt; vel Deo ipsis revelante eas cognoscunt; aut denique in Verbo, vel divina essentia velut in speculo lucidissimo intuentur ea omnia, quae ad proprium statum, ejusque perfectionem pertinent: quae sententia *S. Gregorii M.* authoritate nititur Lib. XII. Moralium Cap. XIV dicentis: *Quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Neque postulare possunt a nobis Novatores, ut ex Scripturis modum ostendamus, quo Beati haec inferiora cognoscunt. Id enim a nobis praestabitur, si ipsi modum nobis prius ostenderint in sacris litteris expressum, quo unio facta sit humanae naturae cum divina: modum, quo Christi anima omnia videt quaecumque pertinent ad omnes homines: quo Prophetae remota cognoscebant, aut quo Angeli in coelis, et a nobis longe absentes, vident quae nobis eveniunt.

DCCXXVII. *Conclusio III.* Licita, utilis, et laudabilis est Sanctorum invocatio. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Licita, utilis et laudabilis est Angelo-

rum invocatio. Ergo etiam Sanctorum, cum utrique sint amici, et domestici Dei. P. A. Genesis Cap. XVIII. Abraham in gratiam Sodomitarum invocavit Angelum. Gen. Cap. XIX. Angelos precatus est Lot, et obtinuit, ne urbs Segor igne de coelo misso interiret. Gen. Cap. XXXII. Jacob cum Angelo luctatus, benedictionem ab eo postulavit, et obtinuit. Gen. Cap. XLVIII. v. 16. Nepotibus suis Ephraim et Manassi benedicens ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, et Isaac, ut crescant in multitudinem super terram.* Tobias Cap. V. precatur, ut Angelus Domini filium comitetur, et tutetur in via. Daniel Cap. X. ab Angelo vires sibi dari postulat, ut eum possit audire. Quin non Angeli modo invocati sunt a fidelibus in veteri Testamento, sed Sanctorum etiam merita apud Deum fuerunt commemorata. Exodi Cap. XXXII. Moyses oravit Deum: *Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum.* II. Paralipom. Cap. VI. Salomon precatur: *Memento misericordiarum David servi tui.* Danielis Cap. III. Sancti tres juvenes in fornace Babylonica orarunt: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.* Ubi vides, Abraham, Isaac et Jacob adhiberi tamquam intercessores apud Deum. Neque frustra apud Deum allegata fuerunt Prophetarum ac Patriarcharum merita; ait enim Deus IV. Regum Cap. XIX. *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.*

DCCXXVIII. Neque obest causae nostrae, quod Sancti in veteri Testamento numquam legantur directe

fuisse invocati. Scripturae enim directae invocationis Angelorum meminerunt, et Sanctorum merita apud Deum allegata fuisse, adeoque Sanctos indirecte invocatos esse testantur. Ratio autem cur in veteri Testamento Sancti publice et directe invocati non fuerint, duplex assignari potest I. Qnia tunc nondum erant Beati, adeoque ordinarie, et sine speciali revelatione preces ad se fusas ignorabant. II. Quia cum carnales Judaei proni essent ad idololatriam, facile contingere potuisset, ut si gentis suae Patriarchas et Prophetas directe ac publice invocassent, eosdem non ut amicos et servos Dei, sed omnino ut Deos colerent.

DCCXXIX. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. V. adv. Haer. Cap. XVI. de B. Virgine Maria scribit: *Et sicut illa* (Eva) *seducta est ut effugeret Deum; si haec* (Maria) *suasa est obedire Deo, ut Virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem, aeque lance disposita.* Eusebius Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. IV. narrat, quod S. Potamiaena Virgo et Martyr post suum obitum impetraverit conversionem Basilidi militi gentili; qui illam a petulantia plebis paulo ante defenderat. Idem Lib. XIII. Praeparationis Evangel. Cap. VII. *Ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum nos juvari profitemur.* S. Hilarius in Cap. XVIII. Matth. *Angeli pusillorum praesunt fidelium orationibus. Praesse Angelos absoluta authoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad ae-*

ternum et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur. S. Basilius Epist. CCV. *Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, credo in unum Deum omnipotentem, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum -- Suscipio autem SS. Apostolos, et Prophetas, et Martyres, et ad supplicationem quae est ad Deum, hos invoco, ut per eos, id est, per interventionem eorum propitius sit mihi misericors Deus.* Idem Hom. in XL. Martyres. *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugit: qui rursus laetatur, ad hos recurrit: hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus laetis. Hic mulier orans pro filiis auditur: peregrinanti viro reditum incolumem; aegrotanti vero salutem implorat.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. XX. de laudibus S. Basilii. *Tu vero sacrum et divinum caput e coelo nos, quaeso, inspice --- Postquam autem ex hac vita migraverimus, illinc etiam nos in tabernacula tua suscipe, ut simul viventes, et sanctam Trinitatem plenius puriusque cernentes, desideriis nostris finem statuamus.* Et Orat. XXI. de laudibus S. Athanasii. *At o charum et sacrum caput! nos desuper placidus et benignus aspicias, atque hunc populum gubernes, meque in vita teneas, gregemque meum pascas: sin autem Ecclesia bellis flagratura est, assumas, tecumque colloces.* S. Gregorius Nyssenus Orat. de S. Theodoro Martyre: *Nos etiam quod incolumes servati sumus, tibi acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis praesidium atque securitatem. Quod si majori etiam opus fuerit advocatione ac intercessione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare. Multorum Justorum preces populorum peccata dis-*

solvant. Admone Petrum, excita Paulum, nec non Joannem Theologum ac dilectum Discipulum, ut pro Eclesiis, quas constituerunt, solliciti sint. S. Cyrillus Jerosol. Catech. V. *Cum hoc Sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.* S. Ambrosius Lib. de Viduis, Cap. IX. *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi aliqua habuerunt peccata, laverunt; isti enim sunt Dei Martyres, nostri Praesules, speculatores vitae, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere: qui et ipsi infirmitatem corporis etiam, cum viverent, cognoscebant.* S. Chrysostomus Hom. LXVI. ad populum Antiochenum. *Servorum Crucifixi sepulcra regiis aulis sunt clariora, non magnitudine, et aedificiorum pulchritudine, sed, quod longe majus est, convenientium studio. Nam et ipse, qui purpura indutus est* (Imperator) *accedit illa complexurus sepulcra, et fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant, et scenarum fabrum, et piscatorem etiam mortuos, ut protectores orat, qui diademate redimitus incedit.* S. Augustin. Tract. LXXXIV. in Joannem. *Ad ipsam mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum et alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus,* S. Hieronymus Epist. XXVII. quae est Epitaphium Paulae,

his verbis Sanctam illam foeminam appellat: *Vale o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas facilius impetrabis.*

DCCXXX. Prob. III. Authoritate Conciliorum. In Concilio *Ephesino S. Cyrillus Alexandrinus* in Oratione, quam habuit ipso die S. Joannis Evangelistae ait: *Mysterium hoc aperi o Evangelista, affare etiam nunc o Beate Joannes! Ecce tantus hic Pastorum coetus ad te venit: remove nobis lapidem, sicut B. Jacob Pastoribus: resera nobis puteum vitae.* In Chalcedonensi Act. II. Patres conclamarunt: *Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret.* Ergo temporibus Concilii Chalcedonensis receptissima erat in Ecclesia consuetudo invocandi Sanctos, alias in publicam illam exclamationem non erupissent Concilii Patres. Ergo invocatio Sanctorum non est superstitiosa, aut Christo injuriosa. Si enim Ecclesia jam illo tempore in idololatriam lapsa esset, qua fronte Protestantes dicere possent, se reverenter suscipere prima quatuor Concilia, nempe Nicaenum I. CPolitanum I. Ephesinum, et Chalcedonense? *Episcopi Europae* in Epist. ad Leonem Augustum, quae habetur Parte III. Concilii Calcedonensis, de S. Proterio Martyre, ab Eutichianis Alexandriae in odium fidei occiso, ita scribunt: *Sanctissimum quidem Proterium in ordine et choro Sanctorum Martyrum ponimus, et ejus intercessionibus misericordiam et propitium Deum nobis fieri postulamus.* Nicaenum II. in fine Actionis VI. ita habet: *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatae Deiparae, et semper Virginis Dominae nostrae Mariae: item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum,*

salutantes venerandas illorum reliquias, ut nos sanctitudinis eorum fiamus participes. Tridentini Concilii doctrinam exhibuimus Num. DCCXXI.

DCCXXXI. Prob. IV. Ratione. Sanctorum invocatio Deo grata est et accepta. Ergo honesta est et licita. P. A. I. Deus quaedam mortalibus concedere noluit, nisi Sanctis, amicis suis, intercedentibus. Sic Abimelech ad Abrahamum missus est, ut illo deprecante delicti veniam obtineret Genes Cap. XX. v. 7. *Orabit pro te, et vives.* v. 17. *Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem.* Eliphaz Themanites ejusque socii intellexerunt, iram divinam, quam imperitis sermonibus provocaverant, precibus Jobi mitigandam esse. Job. Cap. XLII. v. 8. *Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suspiciam, ut non vobis imputetur stultitia.* II. Deus innumera patravit miracula, quibus invocationem Sanctorum acceptam sibi esse ostendit. Ergo illa esse nequit illicita, aut superstitiosa. Consequentia est certa; Deus enim, qui solus patrat miracula, prodigiis confirmare non potest rem sibi invisam, ac superstitiosam, quin ipse in errorem nos impellat, quod nefas est de Deo cogitare. Antecedens est ita certum, ut nemo sanae mentis, qui frontem omnem non omnino exuit, de illius veritate ambigere queat. *S. Augustinus*, testis de visu, Lib. IX. Confessionum Cap. VII. narrat miracula a Deo patrata, dum Mediolani inventa fuerunt corpora SS. MM. Gervasii et Protasii. De prodigiis ad invocationem S. Stephani Protomartyris in Africa patratis idem S. Doctor Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. VIII. scribit. *Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quae per hunc Martyrem gloriosissimum*

Stephanum facta sunt in colonia Calamensi, et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum virtutum signa etiam nostris temporibus frequentari. Theodoretus Orat. VIII. contra Gentiles: *Quod autem compotes illorum fiant, qui cum fide postulant, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Nam alii oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt: et has nonnulli ex auro; alii ex aere fabricatas. Haec autem proposita morborum depulsionem indicant, cui testificandae, ab iis qui sanitatem recuperarunt, monimenti loco sunt appensa. Ea porro sepultorum virtutem praedicant: et eorum virtus ipsorum verum Deum esse demonstrat.* Miraculorum saepissime meminerunt alii Patres, *Eusebius* passim in Hist. Eccles. *S. Hilarius* in libro Contra Constantium, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Basilius*, *S. Gregorius Magnus*, *Sulpitius Severus* in Vita S. Martini, aliique Historici gravissimi, saepe testes non de auditu tantum, verum etiam de visu, quorum authoritatem absque insignis impudentiae nota nemini rejicere fas est.

DCCXXXII. Prob. V. gemina, eaque invicta paritate. I. est Licite, honeste atque utiliter invocantur Aulici ac Ministri alicujus Principis, ut in causa temporali nobis patrocinentur, eaque quae petimus, a Principe nobis impetrent, quin idcirco Principi inferatur injuria. Ergo etiam licite, honeste atque utiliter invocamus Sanctos cum Christo in coelis regnantes, amicos Dei, et coelestis aulae Principes, ut potenti suo

patrocinio pro nobis apud Deum intercedant, donaque gratiae, sanitatem corporis, aut alia quae desideramus beneficia supplices nobis impetrent; quin propterea Christo irrogetur injuria. II. Licite, honeste, atque utiliter invocamus Sanctos piosque homines adhuc viventes, ut suis apud Deum precibus nos adjuvent. Ergo multo magis Sanctos in coelis regnantes. P. C. Si Sanctorum cum Christo regnantium invocatio foret illicita, tunc ideo, quia illi nolunt, aut non possunt invocantibus opitulari: quia eorum preces non cognoscunt, aut quia eorum invocatio injuriam infert Christo mediatori; vel denique quia repugnat mandato ac voluntati Dei. Atqui Sancti volunt, possuntque invocantibus opitulari, precesque nostras cognoscunt, ut Conclusione II. ostendimus: eorum invocatio tam parum injuriosa est mediatori Christo, quam invocatio Sanctorum adhuc viventium; nullusque ostendi potest Scripturae locus, qui invocationem Sanctorum in coelis regnantium prohibeat. Ergo.

OBJECTIONES.

DCCXXXIII. *Objicitur I.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. III. *Regum* Cap. VIII. dicitur. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* II. Jobi Cap. XIV. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* III. Ecclesiastis Cap. IX. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* IV. Isaiae Cap. LXIII. *Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* V. IV. Reg. Cap. XXII. dictum est a Deo Josiae Regi: *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui*

omnia mala, quae inducturus sum per locum istum. Ergo Sancti non cognoscunt preces nostras, neque pro nobis orant in particulari. R. N. C. Quamvis Sancti non cognoscerent preces nostras, possent tamen orare pro omnibus illis speciatim, qui ipsos invocaverint. At falsum est et illud, quod Sancti preces nostras non cognoscant. Ad I. itaque R., Sanctos non eo modo cognoscere preces nostras, quo Deus, nimirum naturaliter et propria virtute, sed ex manifestatione Dei. Ad II. Sermo ibi est de homine carnali, qui in hac vita valde sollicitus fuit, ut honores et divitias filiis post mortem suam relinquendas augeret. Hanc sollicitudinem neutiquam illi profuturam esse in altera vita ait S. Job, quia nesciet quid de filiis agatur, quove in statu sint. Ita *S. Gregorius M.* Lib. XII. Moral. Cap. XIV. Ad III. Sensus illius loci est. Viventes, quia sciunt se morituros, possunt agere poenitentiam, et prospicere sibi de remedio salutis, ne aeternum pereant: At mortui, qui in hac vita poenitentiam neglexerunt, nihil amplius noverunt, quod ipsis prodesse valeat, quia post mortem nullus datur poenitentiae locus. Ad IV. locus, ille, teste *S. Hieronymo*, exponendus est de cognitione approbativa, ita ut sensus sit: Abraham et Jacob non agnoscunt nos amplius pro filiis suis, propter peccata nostra. Praeterea quamvis Abraham, Jacob, aliique Sancti veteris Testamenti in limbo existentes, ignoraverint ea quae in terris agebantur; minime sequitur ea pariter ignorari a Sanctis cum Christo regnantibus. Illi enim beatitudinem nondum erant adepti, ad quam pertinet ea rescire quae faciunt ad honorem et gloriam beati. Ad V. R. ex eo loco id solum inferri, quod mortui naturaliter nesciant, quae aguntur in terris: aut si

ex revelatione Dei cognoscant, longe aequiori animo ferre amicorum et propinquorum miserias ac calamitates.

DCCXXXIV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. Origenes Hom. II. in Epist. ad Romanos scribit: *Si extra corpus positi, vel Sancti qui in Christo sunt, agunt aliquid, et laborant pro nobis, ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostrae ministeria procurant, --- habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulae committenda mysteria.* S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de laudibus Gorgoniae sororis suae ait: *Si tibi aliqua sermonis nostri est ratio, et hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia sentiant, suscipe hanc nostram orationem, multorum epitaphiorum loco.* Ergo dubitavit, num Sancti preces nostras cognoscant. III. S. Augustinus Lib. de cura pro mortuis, Cap. XIII. *Si parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverint quid agamus, quidve patiamur? Isaias Propheta dicit: Abraham nos nescivit, et Israel ignoravit nos.* R. ad I. Origenem non dubitasse, utrum Sancti pro nobis intercedant; sed an pro nobis laborent Angelorum instar, hoc est, utrum nos adjuvent degendo nobiscum in terris, nobisque adhaerendo, ut Angeli, quibus nostri custodia a Deo est demandata. Caeterum Sanctos pro nobis orare diserte docet Origenes Lib. VIII. contra Celsum, Hom. III. in Cantica, et Hom. I. in Ezechielem. Ad II. N. C. Particula *si* plerumque non est dubitantis, sed confirmantis potius, et certo rem asseverantis, ut observat S. Chrisostomus Hom. II. in Epistolam II. ad Thessal. explicans illa verba Apostoli Cap. I. v. 6. *Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos*

tribulant; *et vobis*, *qui tribulamini*, *requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo cum Angelis virtutis ejus.* Ad III. S. Augustinus l. c. id unum asserit, mortuos non versari nobiscum, nec humanis rebus interesse humano modo, colloquendo scilicet nobiscum, et familiariter congrediendo, quod exemplo matris suae Monicae jam defunctae comprobat. Quod vero Sancti Deo revelante cognoscant quae hic aguntur, quodque virtute divina possint huc venire, ac nobis opem ferre, nusquam ambigebat; scribit enim Libro cit. Cap. XVI. *Non igitur ideo putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos*, *quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres absunt*: *sed ideo potius intelligendum est*, *quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersunt*, *quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

DCCXXXV. *Objicitur III.* contra III. Conclusionem, Exemplum Christi. Christus Matth. Cap. VI. v. 9. docens nos quem invocare debeamus, non Angelum, Patriarchas aut Prophetas mortuos, sed Patrem coelestem invocare nos jussit. *Sic ergo orabitis*: *Pater noster*, *qui es in coelis.* II. Christus non Angelos aut Sanctos, sed Patrem compellavit. Joan. Cap. XII. *Pater clarifica me.* Joan. XVII. *Pater venit hora etc.* Ergo Christus et verbo et exemplo docuit invocationem Sanctorum esse illicitam. R. I. Ergo cum Christus solum Patrem invocare nos docuerit, nemini fas erit invocare Filium, aut Spiritum Sanctum? R. II. N. C. Christus non tam admonere voluit Apostolos de eo, qui orandus est, sed de modo orandi, sive de iis rebus quae a Deo petendae sunt: de his enim ambigebant Apo-

stoli, cum dicerent Lucae Cap. XI. *Domine, doce nos orare.* Ad II. R. I. Ergo illicitum etiam erit suffragia viventium exquirere? R. II. N. C. Mediator Dei et hominum, Filius aeterno Patri acceptissimus, Rex Angelorum et Sanctorum nullius intercessione indigebat: hinc neminem invocare potuit, praeter Deum, ob excellentiam suam, qua creaturas omnes longissime superabat. At longe dispar est ratio creaturae purae.

DCCXXXVI. *Objicitur IV.* Silentium Apostolorum. Apostoli in suis scriptis non meminerunt invocationis Sanctorum; ac Paulus praecipue totus in eo est, ut Christum sedere ad dexteram Dei ostendat, et pro nobis orare, nulla facta mentione Sanctorum. Ergo invocatio Sanctorum non est licita, aut utilis. *Confirm.* Probari non potest, quod Ecclesia temporibus Apostolorum usurpaverit Sanctorum invocationem. Ergo illa est ab Apostolica institutione aliena. R. I. Apostoli in suis scriptis meminerunt invocationis Sanctorum, tum quia preces viventium implorarunt, I. ad Thessal. Cap. V. *Fratres orate pro nobis*: tum quia docuerunt Sanctos pro nobis orare. Sic Apocalypsis Cap. V. v. 8. refert S. Joannes, seniores XXIV. cecidisse coram Agno, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum. Et Princeps Apostolorum II. Petri Cap. I. v. 15. pollicitus est: *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, nimirum intercedendo pro vobis apud Deum. B. Paulum quod attinet, cum Sanctorum intercessio non aliunde vim atque efficaciam habeat, quam ex meritis Christi, non expediebat Sanctos ab illo nominari: quia proposuerat sibi Apostolus ostendere Gentibus et Judaeis universalem Redempto-

rem, ac Summum Sacerdotem, qui pro omnibus intercedat, pro ipso autem nemo. R. II. O. A. N. C. Multa ipsi Protestantes tamquam utilia, vel necessaria observant, quorum nulla, aut obscura prorsus in scriptis Apostolicis fit mentio: nimirum baptizant parvulos, pronuntiant consueta verba: *Ego te baptizo in nomine Patris etc.* diem Dominicam, ac plura festa Domini celebrant. Ad *Confirmat.* T. A. N. C. Apostoli et Episcopi tunc temporis magis erant solliciti, ut multos ad Christi fidem perducerent, atque ad Martyrium praepararent, quam ut multos libros conscriberent. Praeterea non omnia quae Apostoli tradiderunt, chartis sunt consignata: primisque illis temporibus Ecclesia conabatur magis cultum et adorationem Jesu Christi promovere, quam aliorum Sanctorum venerationem.

DCCXXXVII. *Objicitur V.* Authoritas Patrum. S. Ignatius Martyr Epist. ad Philadelphios scribit: *Vos Virgines in vestris orationibus solum Dominum Christum, et Patrem Domini Christi ante oculos habete.* II. Origenes Lib. VIII. contra Celsum. *Quippe solus est orandus supremus Deus: sed et Unigenitus ejus orandus, ac primogenitus omnis creaturae, hoc est, Verbum Dei.* III. Tertullianus Lib. IV. contra Marcionem: *Qui alium invocat, quam verum Deum, non orat, sed blasphemat.* Et in Apologetico Cap. XXX. *Ab alio orare non possum, quam a quo sciam me omnia consecuturum, quoniam et ipse est, qui solus praestat.* IV. S. Irenaeus Lib. II. adv. Haer Cap. LVII. *Ecclesia in invocationibus Angelicis nihil facit, sed omnem orationem dirigit ad Dominum.* V. Lactantius Lib. II. Institut. divin. Cap. XVIII. *Manifestum est, eos qui vel mortuis supplicant, vel terram veneran-*

tur, impietatis sceleris sui supplicia pensuros. VI. S. Ambrosius Comment. in Epist. ad Rom. *Ad Deum promerendum suffragatore opus non est.* VII. S. Chrysostomus in Hom. de profectu Evangelii scribit: *Caeterum non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu, ut blandiare aliis; sed licet solus sis, patronoque careas, et per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis plenissimi malis.* VIII. Patres Carthaginensis III. Concilii Canone XXIII. statuerunt: *Cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Ergo Patres illi damnarunt invocationem Sanctorum. R. ad I. Sententia ista in germana Epistolarum illarum editione, quae priori saeculo e Florentino codice est extracta, non occurrit: nec in vetusta latina, quae ad verbum illi respondet. Deinde quamvis germanam esse periocham hanc Ignatii velimus, nihil ad rem facit. Per verba enim illa sicut non rejicitur adoratio Spiritus Sancti, atque invocatio viventium: ita neque invocatio Sanctorum cum Christo regnantium reprobatur. Intelligenda itaque sunt illa de Christo velut principali mediatore, ac de aeterno Patre summo Bono, ac rerum omnium principio, cultu latriae adorandis. Ad II. Origenes preces Angelis offerendas negat, quae uni Deo conveniunt, vel quae ad ipsos ut ad minores quosdam Deos dirigantur: at certos quosdam eis exhiberi cultus, certasque fundi precationes permittit, naturae eorum creatae convenientes, et diversi generis ab illis, quibus Deo per Filium ejus supplicatur, ut ipse Origenes Lib. VIII. contra Celsum mentem suam explicat. Non ergo precationem

Angelis oblatam, sed precationis modum damnat. Ad III. Tertullianus Lib. IV. contra Marcionem, et in Apologetico loquitur de falsis Diis Gentilium, a quibus cum nullum sperent auxilium Christiani, eos ait ad unum summum Deum confugere, qui solus primario ac principaliter auxiliari potest. Jam vero locum hunc non adversari invocationi Sanctorum, patet ex eo, quia Catholici uno ore fatentur, intercessiones Sanctorum vim omnem ac robur accipere a meritis Christi. Ad IV. S. Irenaeus l. c. agit contra illos, qui in nomine daemoniorum jactabant patrata fuisse miracula: aitque Christianos, non per magicas incantationes, sed per invocationem Domini miracula patrare, ad quem ultimato preces dirigunt, quando Sanctos invocant. Ad V. R. Lactantium loqui de cultu superstitioso, atque Idololatrico, ut manifeste colligitur ex toto illo capite. Ad VI. Author Commentariorum in Epistolas Paulinas non est S. Ambrosius, sed Hilarius Sardus, Ambrosiaster dictus, qui contra Ethnicos Philosophos contendit, Angelos Coelorum motores adorandos non esse cultu latriae. Ad VII. S. Chrysostomus agit de iis, qui preces viventium implorant, ipsi vero pro se orationem negligunt, quasi aliorum precibus in coelum sublevandi, absque proprio conatu et incommodo. His merito anteponit eos, qui pro se orant, et simul aliorum preces implorant, tum alibi, tum etiam Hom. I. in Epist. I. ad Thessalonic. *His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neqae totum in illas projiciamus.* Ad VIII. R. I. Ergo neque ad Filium, neque ad Spiritum Sanctnm oratio dirigi poterit? R. II. N. C. Carthaginense Concilium non prohibet, ne umquam fideles preces suas dirigant ad Sanctos; sed tantum prae-

cipit Sacerdotibus, ut orationes in Missa recitari solitas dirigant ad Patrem. Cui mori etiamnum insistit Ecclesia Catholica, quae orationes suas in Missa et Breviario, quia Sacrificium Missae, et Horae Canonicae ex fine suo essentiali ac primario ordinantur ad laudem Dei, atque ad implorandum ejus auxilium, dirigit ad Deum Patrem per Jesum Christum Dominum nostrum.

DCCXXXVIII. *Objicitur VI.* Novitas doctrinae. Primis tribus saeculis, quibus purior in Ecclesia vigebat doctrina, non usurpabatur a Christianis Sanctorum invocatio; sed primum quarto saeculo ad finem vergente introducta fuit ex privatis Monachorum devotionibus a Basilio, Gregorio Nazianzeno, Nysseno, et Hieronymo. Ergo. II. Pleraque testimonia Patrum desumpta sunt ex illorum Orationibus Panegyricis, quas declamatoriis flosculis, et Rhetoricis apostrophis ita exornarunt, ut opinionem de invocatione Sanctorum, tamquam publicum dogma in immensum exaggerarent. III. Patres IV. et V. saeculi cesserunt inveteratae jam opinioni, ac tolerandum sibi esse existimarunt quod corrigere non poterant; alii vero affectui suo nimirum indulserunt, sicque in turpem hunc errorem prolapsi sunt, gravia illa rationum momenta non ponderantes, quae Sanctorum invocationem turpissimae idololatriae ream evincunt. R. ad I. N. A. Irenaeus, Origenes, Cyprianus, Eusebius, longe ante Basilium, ea scripsere, ex quibus manifeste evincitur, Sanctorum invocationem licitam atque utilem esse. Hinc ipsi Centuriatores Magdeburgici Centuria III. Cap. IV. scripsere: *Videas in Doctorum hujus tertii saeculi scriptis non obscura vestigia invocationis Sanctorum.* Quod si Patres IV. saeculi novam doctrinam circa invocationem Sanctorum in Ecclesiam

induxissent, eo praecipue tempore, quo plurimi dabantur Episcopi, divinis humanisque litteris exculti, ut eorum libri testantur, nullusne adversus hanc novitatem arma sumpsisset, nullusne errorem tam noxium impugnasset? Cur Vigilantius initio saeculi V. statim atque in aciem prodiit, communi Episcoporum et Catholicae plebis consensu proscriptus est? Cur Hieronymum Apostolicae doctrinae vindicem tota celebravit Ecclesia? Quis sanae mentis vel suspicari poterit de Basilio, Nazianzeno, Nysseno, Hieronymo, viris doctissimis atque eximia vitae sanctimonia conspicuis, eos Ecclesiae doctrinam foedissimo errore corrupisse? Cur nostris etiam temporibus Graeci Schismatici, Latinae Ecclesiae infensissimi, pari studio Sanctorum invocationem tuentur; siquidem illa divinis litteris atque antiquissimorum Patrum institutis adversatur? Ad II. R. futilem prorsus ac inanem esse hanc exceptionem, qua omnia Patrum dicta facillime eludi possent. Quis enim dicat, Patres orationes suas Panegyricas inquinasse mendaciis, erroribus, atque impia doctrina, quae injuriam Christo mediatori inferat, ac fidelium animos ab eo avellat? Nonne Ariani et Sociniani respondere possent clarissimos Patrum textus proferentibus, quibus Christo Divinitas asseritur, meras esse Rhetoricas figuras? Ad III. N. A. Patres, Apostolicae doctrinae tenacissimi, pro conservanda fidei puritate millies mortem obire satius duxissent, quam errori et idololatriae consentire: eaque constantia doctrinae huic restitissent, siquidem erroneam putassent, qua Arianae perfidiae, aut corruptis Fidelium moribus obstiterunt. Quod si Patres IV. saeculi affectui suo nimium indulsere, atque in gravem errorem lapsi sunt, frustra Protestantes quatuor prima

Concilia Oecumenica venerari se, ac reverenter suscipere profitentur, quae conflata fuere ex Episcopis infidelibus, atque apertis idololatriae fautoribus. Rationum momenta quod attinet, quibus Sanctorum invocationem everti Protestantes gloriantur, quaerimus, num Patres ea adverterint, an secus? Si primum; certe ea exigui ponderis esse ipso facto demonstrarunt, quod illis nihil omnino detulerint, nec mentem idcirco mutarint: Si alterum; ea frivola omnino atque inepta esse oportet, quod praestantissima Patrum illorum ingenia effugerint. Vide *Joannis Scheffmacher* Epistolam Polemicam de Sanctorum invocatione ad Senatorem Argentoratensem.

DCCXXXIX. Dices. Ipsi Patres judicarunt, invocationem ac cultum Sanctorum superstitione non vacare. Ergo dicendum est eos dissimulasse, quod corrigere non poterant. P. A. Theodoretus Lib. VIII. de curandis Graecorum affectionibus scribit: *Suos mortuos Dominus Deus noster in Templa pro Diis vestris induxit; ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diasiisque, ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique Patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello etc. aliisque Sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur.* Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Theodoretus per ea verba id tantum significat, gloriam Deorum translatam esse in Martyres, quia templa, et festa Deorum conversa sunt in Templa et festa Martyrum; quin tamen illi haberentur a fidelibus ut Dii sicut Jupiter et Liber a Gentilibus.

DCCXL. *Objicitur VII.* Praxis antiquae Ecclesiae. Saeculo IV. et V. non invocabantur alii Sancti Mar-

tyres. Ergo saltem invocatio aliorum Sanctorum non est consentanea menti primitivae Ecclesiae. R. N. A. Invocatio B. Mariae Virginis primis jam saeculis usurpata est, ut patet ex antiquissimis Liturgiis, et scriptis Patrum. Saeculo IV. constat in ejus honorem Basilicas fuisse constructas; ut v. g. Liberiana Romae, et principalis Ephesi. Eodem saeculo IV. Confessores, sive illos, qui post virtutum heroicarum exercitium in pace mortui fuerunt, invocatos a Fidelibus fuisse, eruditissime ostendit *Benedictus IV.* seu *Prosper Lambertinus* in praeclaro suo opere de servorum Dei Beatificatione et Canonizatione, *Lib.* I. Cap. V. Atque in Oriente quidem Antonium, Hilarionem, Ephrem, Athanasium, Basilium, Nazianzenum; in Occidente vero Martinum Turonensem, et Hilarium Pictaviensem. Quamvis autem monumenta Ecclesiastica trium primorum Ecclesiae saeculorum sileant, et Confessoribus publicus cultus primum saeculo IV. deferri coeperit, notabiliter idcirco immutata non fuit Ecclesiae disciplina circa invocationem Sanctorum; rationes quippe a Protestantibus allatae, si quid roboris haberent, aeque pugnarent contra invocationem et cultum Martyrum, ac Confessorum.

DCCXLI. *Objicitur VII.* Incertitudo miraculorum. Miracula per invocationem Sanctorum patrata, non fuerunt vera miracula, sed daemonum praestigia, vel talia quae a daemone patrari potuerunt. Ergo solidum argumentum ex illis peti nequit. *Confirm.* Saltem miraculorum illorum omnimodam non habemus certitudinem: certi enim non sumus, illa fuisse vera miracula: Patres deceptos non fuisse, aut decipere noluisse. Ergo. R. N. A. Hac in re Protestantes imitari videntur

perfidos Judaeos, qui visis Christi miraculis dicebant, eumdem in Beelzebub Principe daemoniorum ejicere daemonia: quam ipsam crambem recoquebant Ariani, Vigilantiani, aliique sectarii. Miracula ad invocationem Sanctorum patrata, vera fuisse miracula, constat I. ex testimonio totius antiquitatis. II. Ex ipsa operum magnitudine et soliditate; daemon enim non potest mortuos ad vitam revocare, surdis auditum, visum caecis, mutis vocem, ingressum claudis restituere, ut per Sanctorum invocationem factum fuisse comperimus. Neque diaboli praestigiae longo perdurant tempore, sed facile evanescunt. III. Ex testimonio Patrum, gravissimorumque authorum, qui ea vel propriis oculis usurparunt, vel ab iis qui viderant, acceperunt. Profecto gravissimi illi viri tam fatui non erant, ut praestigias daemonum pro veris miraculis venerarentur: neque tam stolidi, ut imposturas, si quae intercessissent, deprehendere non potuerint, donec venirent aliquot Apostatae libidinibus infames, qui fraudes retegerent. Vide *Leonardi Lessii* Disputationem de Antichristo. Ad *confirm.* D. A. Non habemus omnimodam certitudinem metaphysicam vel physicam, quae excludat omne dubium etiam imprudens, C. A. Non habemus certitudinem stricte moralem, quae excludat omne dubium prudens, N. A. et Conseq. Quemadmodum sufficiebat certitudo moralis stricte talis de veritate miraculorum, quae Christus et Apostoli patraverant, ut Judaei obligarentur ad fidem Christianam amplectendam: ita etiam sufficit certitudo moralis stricte talis de veritate miraculorum, quae Deus per invocationem Sanctorum patrat, ut illa ab omni erroris suspicione liberetur, et Deo grata esse ostendatur.

DCCXLII. *Objicitur IX.* Impietas invocationis Sanctorum. Invocatio Sanctorum injuriam infert Christo. Ergo est impia. P. A. Christus solus est mediator Deum inter et hominem. Nam I. ad Timoth. Cap. II. dicitur: *Unus enim Deus, unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Ergo injuriam Christo infert, quicumque per Sanctos ad Deum accedit. *Confirm.* Christus vult non ut in hominibus, sed ut in suis meritis omnem fiduciam ponamus, juxta illud Jeremiae Cap. XVII. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Et ad Hebr. Cap. IV. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae.* R. I. Si omnis invocatio alterius, qui Christus non est, injuriam infert Christo, expeti non poterunt orationes viverum. Atque haec retorsio omnino invicta est, qua Protestanticum hoc argumentum penitus subruitur. R. II. N. A. Ad *probat.* D. A. Christus solus est mediator primarius, qui altero mediatore non indiget, C. A. Est ita mediator, ut Sanctis mediatoris secundarii subordinati nomen non conveniat, N. A. et Conseq. Triplici de causa Christus dicitur unus et solus mediator. I. Per modum redemptionis, quia solus semetipsum dedit redemptionem pro nobis. II. Mediator est non tantum ratione officii, quia Deum homini conciliat; sed etiam ratione naturae, quia est medius inter Deum et hominem, cum ipse et Deus simul et homo sit: id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. III. Quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo indigeat mediatore. Contra Sancti dicuntur a nobis mediatores, non quod eos fungi dicamus vice Christi, aut adjuvare mediationem et intercessionem Christi infinite ex se sufficientem; sed quia tamquam advocati secundarii, ac Christo subordinati, adjuvant

nos potenti sua intercessione, quae omnem vim suam habet ex meritis Christi, impetrando a Christo, ut merita illius nobis applicentur in ordine ad consequenda beneficia quae petimus. Praeterea longe alium modum pro nobis intercedendi in Sanctis admittimus, quam in Christo. Christus qua homo, subsistens subsistentia Verbi, (ut Deus enim, sive sola natura divina, intercedere et mediare non potest) authoritative se interponit, exhibens sua merita, quibus nihil denegari potest. Sancti autem in coelo, uti et in hac vita existentes, more supplicum per Christum, et a Christo rogant, non tam sua, quam Christi merita allegantes; horumque intercessio, absolute loquendo, potest non exaudiri. Quamvis autem Christus in Scripturis vocetur mediator, idcirco non evincitur, nomen hoc in sensu minus stricto, a nobis superius assignato, Sanctis tribui non posse, cum id ipsum de Moyse Scriptura docet Deuteron. Cap. V. *Ego sequester, et medius fui inter Deum et vos tempore illo.* Ad Galat. Cap. III. *Lex -- ordinata per Angelos in manu mediatoris*: Et multi vocentur boni, veraces, Magistri, lux mundi etc. licet haec nomina in Scripturis Christo tribuantur. Ad *Confirm.* R. retorquendo ut prius. Ergo viventium preces implorare non licebit? R. II. D. A. Christus vult, ut fiduciam non ponamus in hominibus, tamquam authoribus gratiarum, et salutis, C. A. Tamquam amicis Dei, mediatoribus secundariis, ac Christo subordinatis, et intercessoribus Deo valde gratis, N. A. et Conseq. Jeremias eos pronuntiat maledictos, qui in homine ultimato confidunt, tamquam unico authore bonorum, quae ab illo sperant, ac si ille, sine Deo, satis virium haberet ad opitulandum: quod certe Catholici minime fa-

ciunt, Sanctos invocando. Vide *Card. Bellarminum* Lib. I. de Ecclesia trimphante. Cap. XX. *Natalem Alexandrum* Dissertat. XXV. Hist. Eccles. Saeculi V. Quaest. II. Art. II.

DCCXLIII. *Dices I.* S. Augustinus Lib. II. contra Parmenianum Cap. VIII. scribit: *Si esset mediator Paulus, essent utique et caeteri Coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat, Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum.* Ergo juxta Augustinum Sancti dici nequeunt mediatores. R. C. A. N. C. S. Augustinus l. c. agit contra Donatistas, qui Sacerdotes et Episcopos ita mediatores esse inter populum et Deum volebant, ut orationes populi accessum habere non possent ad Deum, si Sacerdos, vel Episcopus pravae vitae fuissent. Ideo Augustinus plebem jussit esse securam, sive a bono, sive a malo ministro Sacramenta accipiat; cum unus tantum sit mediator Dei et hominum principalis, non Paulus, non Apostoli; sed Christus Jesus, qui pro omnibus interpellat, pro ipso autem nullus.

DCCXLIV. *Dices II.* Catholici invocant Sanctos, ut mediatores primarios. Ergo Christo injuriam inferunt. P. A. I. Multi beneficia a Sanctis petunt, non a Christo. Ergo Sanctos invocant ut mediatores primarios, praeterito Christo. II. Sancti, quo probitate illustriores fuere, eo frequentius a Catholicis invocantur. Ergo Catholici fiduciam ponunt in meritis Sanctorum, non vero in meritis Christi, P. C. Si fiduciam ponerent in meritis Christi, Sanctos vel aequaliter invocarent, vel solum Christum. Ergo. R. N. A. Ad I. *probat.* D. A. Ita tamen ut etiam tunc, quando a Sanctis petunt, preces suas primario ad Deum dirigant, sperentque per Christum,

interveniеntibus etiam Sanctorum meritis, se ea consecuturos quae petunt, C. A. Aliter, N. A. et Conseq. Cum Sancti propria authoritate nulla nobis dona conferre possint, preces quibus Sanctos invocamus, ad Deum dirigimus, eique nos supplices sistimus, ut per Christum nos dignetur exaudire; Sanctos vero precamur, ut coram Deo pro nobis se supplices sistant, preces nostras suis jungant; ac per merita Christi, atque etiam propria, quae sunt fructus meritorum Christi, ea nobis a Deo impetrent quae petimus. Ad II. *probat.* C. A. N. C. Ad hujus *probat.* N. A. Sancti quo magis virtutibus eminuerunt, eo gratiores Deo sunt faciliusque gratias a Deo nobis impetrant. Atque haec ipsissima est ratio, ob quam Sanctorum hominum adhuc viventium preces ferventius imploramus, quam aliorum qui mediocriter tantum in schola virtutis profecerunt.

DCCXLV. *Dices III.* Qui invocant Sanctos, credunt in illos; ait enim Apostolus ad Rom. Cap. X. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Sed qui credunt in illos, injuriam faciunt Deo, in quem solum credendum est. Ergo qui invocant Sanctos, injuriam faciunt Deo. R. I. Ergo viventium preces absque Dei injuria implorari non poterant? R. II. D. M. Credunt in illos tamquam amicos Dei, C. M. Tamquam in Deos, vel authores salutis, et bonorum omnium, de quo solo l. c. loquitur Apostolus, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Credere aliquem, ac credere in aliquem apud Hebraeos idem sonant. Hinc Apostolus ad Philemonem v. 5. scribit: *Fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes Sanctos.* Quem locum exponens S. Hieronymus ait: *Una atque eadem credulitas in Moysen refertur, et in Deum, ut populus, qui credebat*

in Dominum, aeque credidisse dicatur in servum: Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus ejus Sanctis est, ut quicumque credidit Deo, aliter ejus fidem suscipere nequeat, nisi credat et in Sanctos ejus: non est enim in Deum perfecta dilectio et fides, quae in ministros ejus odio et infidelitate tenuatur. Quemadmodum autem aliter in Sanctos credimus, quam in Deum: sic aliter illos invocamus, quam Deum.

DCCXLVI. *Objicitur* X. Inutilitas invocationis Sanctorum. Invocatio Sanctorum est prorsus supervacanea et inutilis. Ergo. P. A. Deus majori nos charitate complectitur ac fovet, quam omnes Sancti: ac natura sua paratissimus est ad exaudiendas preces nostras, neque indiget monitoribus. Ergo supervacanea est invocatio Sanctorum. P. C. Quod potest fieri paucioribus, non debet fieri pluribus. Ergo si ad solum Deum confugiendo postulata impetrabimus, opus non erit ut precibus nostris molesti simus Sanctis. R. N. A. Ad *probat.* praeter solitam retorsionem in preces vivorum, C. A. N. C. Licet Deus magis nos amet, quam Sancti, ac de se paratissimus sit exaudire preces nostras, majori tamen charitate amicos suos charissimos complectitur, eorumque precibus facilius annuit. Nos itaque tepiditatis nostrae nobis optime conscii, ac peccatorum, quibus Deum offendimus, memores, Sanctos rogamus, ut officia sua pro nobis apud Deum interponant, sic facilius per illos impetraturi, quod nobis merito negaretur. Non aliam certe causam assignabunt Protestantes, cur Deus Eliphaz, sociosque ad Jobum remiserit, dicens Job. Cap. XLII. v. 8. *Ite ad servum meum Job - - Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suspiciam, ut non vobis imputetur stultitia.* Quod

de monitoribus dicitur, ineptum est ac perabsurdum; nemo enim Catholicorum adeo desipuit, ut Sanctos esse invocandos contenderet, ne Deus necessitatum nostrarum obliviscatur. Ad *probat.* D. A. Si tam facile ac secure finis obtineri queat paucioribus, C. A. Secus, N. A. et Conseq. Tum ob peccata nostra, atque in divino servitio oscitantiam; tum quia Deus decrevit varias ac diversas gratias non aliter concedere, quam intercedentibus Sanctis, divina beneficia sine intercessione Sanctorum saepue non consequemur.

DCCXLVII. *Dices.* Sancti nec mereri nobis aliquid possunt, nec impetrare. Ergo invocatio Sanctorum est inutilis. P. A. Sancti receperunt jam praemium commensuratum meritis. Ergo nihil amplius nobis impetrare possunt. *Confirm.* I. Quotidiana experientia ostendit, Sanctos in morbis aliisque necessitatibus invocari, quin opem ferant. Ergo. *Confirm.* II. Si Sanctorum invocatio utilis foret, sacrae litterae eam nobis commendarent. Atqui altum est in Scripturis silentium de illa. Ergo. R. C. I. membrum Anteced. cum Sancti non amplius sint in via, sed terminum jam attigerint. N. alterum membr. Anteced. Ad *probat.* D. A. Receperunt praemium essentiale, quod consistit in visione intuitiva Dei, C. A. Praemium accidentale, ad quod pertinet gloria extrinseca, celebritas famae, honores ab hominibus habiti, gloria corporis, praerogativa impetrandi identidem plurima bona fidelibus, N. A. et Conseq. Ad. I. *confirm.* R. I. retorquendo. Quotidiana experientia ostendit, Sanctorum invocationem plurimum hominibus prodesse. Ergo non est inutilis. R. II. C. A. N. C. Saepe non exaudimur, quia vel male, vel mala, id est, saluti animae obfutura imprudentes petimus. Ad II. *confirm.* N. M. Sufficeret, si illam nobis

ratio, si quid probaret, non evinceret omnem invocationem Sanctorum esse superstitiosam; sed eorum tantum, de quorum existentia prudens suspicio oriri posset. R. II. N. A. intellectum de cultu publico, et Ecclesiae Romanae authoritate munito. Ad *probat.* C. A. N. C. Quamvis aliquorum Sanctorum acta multis fabulis sint inquinata, stricte tamen moraliter certi sumus, eos in rerum natura extitisse, veraque sanctitate, aut Martyrio illustres fuisse, tum ob antiquissimum eorum cultum; tum etiam ob authoritatem Ecclesiae, quae cum sit columna ac firmamentum veritatis, stricte moraliter certum est, eam praecipere non posse cultum etiam materialiter tantum superstitiosum. Ipsi Protestantes fateri coguntur, Apostolos inter Sanctos numerandos esse, quamvis de eorum plerisque pauca admodum, de eorum morte autem, praeterquam S. Jacobi, in divinis litteris nihil contineatur, nullaque existant acta authentica et genuina, sed apocrypha, ex Abdia fabuloso authore ut plurimum consarcinata. Ad *Confir.* T. A. N. C. Coluerint pauci quidam Hispani Sanctum Viar, Angli aliqui S. Amphibalum, uti et Lemovicenses Eusebium Caesariensem: at eos non coluit Ecclesia Catholica, quae sollicite cavet, ne quis malus dolus aut error in cultum Sanctorum irrepat, ut rectus sit undique, et labis expers, honor quem Deo et Sanctis exhibet. Neque ex eo capite fas est, Sanctorum cultum et invocationem abrogare, quod malitia hominum simplices quandoque in errorem abripiantur: secus et Sacramentorum usus tollendus foret; cum certum sit eo proterviae homines aliquos devenisse, ut Sacramentis turpissime abuterentur.

DCCXLIX. *Dices.* Sicut Ethnici pro felici partu ad Lucinam, pro sanitate recuperanda ad Aesculapium, vel Apollinem, pro frugibus ad Cererem, pro exorando triumpho ad Martem, atque ad Deorum suorum pulvinaria supplicationes instituebant: ita pari superstitione Catholici pro avertenda peste ad Divos Rochum et Sebastianum; pro inveniendis rebus deperditis ad S. Antonium Patavinum, pro depellenda oculorum infirmitate ad S. Aloysium, vel S. Luciam, pro effugandis daemonibus ad S. Ignatium, vel S. Anastasium etc. confugiunt. Ergo invocatio Sanctorum est superstitiosa. R. N. A. Maximum est Ethnicos inter et Catholicos discrimen hac in re. Nam I. Ethenici supremum adorationis latreuticae honorem ac cultum Diis suis deferebant; Catholici vero cultu longe inferiori, nempe duliae, Sanctos colunt. II. Ethnici certis solummodo rebus Deos suos praeficiebant, potestatem illis tribuentes independentem omnino ac supremam in re quadam determinata, putabantque nec triumphum a Lucina; nec frugum abundantiam a Marte, neque a Cerere sanitatem peti posse: Catholici vero profitentur, Christum potestatem omnem atque excellentiam sibi a Patre communicatam habere; neque putant ita ab uno Sancto aliquid petendum esse, ut non etiam existiment, alterius Sancti intercessione id ipsum obtineri posse. Caeterum quod hos potius prae aliis Sanctis in certis quibusdam casibus implorent, idcirco fit, quia Sancti illi virtute aliqua peculiariter illustres fuere, vel acerba quaeque in determinato membro pro Deo passi sunt: vel quia experientia didicimus, hos determinatos Sanctos in quibusdam necessitatibus saepius a Deo opem impetrasse, quam alios. Nimirum Deus saepe vult hujus Sancti

intercessione miraculum aliquod, aliud vero alterius intercessione patrare: cujus rei causam solus ipse novit, qui dividit propria unicuique, sicuti vult.

CONTROVERSIA VI.

DE CULTU SANCTARUM RELIQUIARUM.

Contra Eosdem.

DCCL.

Vigilantius Barcinonensis Ecclesiae in Hispaniis Presbyter, Manichaeorum, Eudoxii, et Eunomii circa Reliquiarum cultum errores renovavit; docuit enim colendas non esse Sanctorum Martyrum Reliquias, earumdem cultores *cinerarios* appellans: Signa apud Sacras Reliquias fieri solita asserebat esse praestigias, Basilicas Martyrum declinandas, Catholicos vero, qui ibi orarent, quasi immundos vitandos esse. Sectatores habuit impietatis suae Constantinum Copronymum, Claudium Taurinensem, Albigenses, Wickleffitas, ac Protestantes. Lutherus Serm. de Cruce scribit: *Quoniam Reliquiae Sanctorum nihil sunt aliud, quam fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes hujusmodi reliquiae altissime sub terram abscondantur.* Similia habet Calvinus tum in Institutione sua, tum in admonitione de Reliquiis. Calvini sectatores non intra verba tantum stetere, sed factis ipsis comprobarunt, quam acerbo odio Sanctorum Reliquias prosequantur. Henricum enim VIII. Angliae Regem imitati, qui SS. Albani, Edmundi, et Thomae Cantuarien-

Z 2

sis Episcopi veneranda ossa concremari jussit, in Galliis Sancti Irenaei Lugdunensis, antiquissimi Martyris, S. Hilarii Pictaviensis, S. Martini Turonici, S. Bonaventurae, S. Francisci Paulani reliquias, ut refert *Spondanus*, sacrilegis oneratas ludibriis ignique absumptas diabolico furore in profluentem projecere.

DCCLI. Antequam Catholicum de sacrarum Reliquiarum veneratione dogma stabiliatur, Nota I. Sermonem hic non esse de supremo cultu latriae, sed de longe inferiori, nimirum duliae, eoque non absoluto, sed relativo tantum. Cum enim Reliquiae nullam habeant excellentiam absolutam, sibique intrinsecam, sed relativam tantum, quatenus nempe habent relationem ad Sanctos; debetur illis veneratio dumtaxat relativa, quae sic ad illas terminatur, ut non sistat in illis, sed ad Sanctos transeat. II. Reliquiarum nomine non tantum intelligi corpora Sanctorum, vel partes eorum, sed etiam vestes, aut alia eorum usu vel attactu sacrata, instrumenta Martyrii, v. g. vincula, gladios etc. III. Circa cultum Sanctarum Reliquiarum duplicem institui posse quaestionem, unam dogmatis, aliam disciplinae. Quaestio dogmatis est, an licitum sit colere, honorare, ac cultu sacro prosequi Sanctorum Reliquias. Quaestio disciplinae versatur circa modum et circumstantias hujus cultus, nimirum an ossa anctorum collocanda sint in aureis vel argenteis thecis, in loco magis conspicuo: an accensis cereis honoranda, an in publicis supplicationibus circumferenda: an possint dividi, et in diversas mundi partes transmitti: an possint, vel debeant altaribus inseri etc. quae omnia non ad substantiam dogmatis, sed ad disciplinam mutationi obnoxiam pertinent.

DCCLII. Ut doctrina Catholica magis eluceat, statusque quaestionis circa praesentem materiam magis innotescat, juvabit referre verba Concilii Tridentini, quod Sess. XXV. in Decreto de Invocatione, et Reliquiis Sanctorum ita loquitur: *Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis - - - ut fideles diligenter instruant, docentes eos - - - Sanctorum quoque Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes, sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.*

DCCLIII. *Conclusio.* Pius, licitus, atque utilis est Sanctorum Reliquiarum cultus. Prob. I. Authoritate Scripturarum. IV. Reg. Cap. XIII. dicitur: *Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos.* Ergo multo magis cultus Sacrarum Reliquiarum proderit, si solus contactus, absque intentione cultus, vitam homini reddidit. Ergo Deus cupit honorari ossa Sanctorum suorum. *Act.* Cap. V. refertur, plurimos aegrotos sola umbra Petri sanatos fuisse. Ergo si tantum valuit umbra transeuntis, multo magis valebit corpus jam cum Christo regnantis. Act. Cap. XIX. dicitur: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:*

ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et Spiritus nequam egrediebantur. Certe qui tanta fiducia sudaria et semicinctia B. Pauli ad suorum sanationem infirmorum adhibebant, ea singulari aliqua veneratione prosequebantur, alioque loco et pretio habebant, quam sudaria, quae vulgarium hominum in usu essent. Ergo cultus reliquiarum, quem Deus tot miraculis confirmavit, non est superstitiosus, sed pius, utilis et honestus. Incredibilis profecto videtur mihi Protestantium pervicacia, qui viventium quidem corpora, et res iis admotas eximia aliqua virtute ad patranda miracula donata fuisse fatentur: Mortuorum vero cadavera, et ossa, vel quaecumque res eorum contactu consecratas virtute hujusmodi praedita esse praefracte negant.

DCCLIV. Prob. II. Authoritate Patrum. *S. Athanasius* in Vita B. Antonii scribit, relictum sibi fuisse ab Antonio pallium tritum, additque: *Legatarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio ejus meruerat accipere, Antonium in Antonii muneribus amplectitur, et tamquam magna haereditate ditatus, laetanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.* De eodem S. Antonio refert B. *Hieronymus* in Vita S. Pauli Eremitae, quod is Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam adeptus, illam, in reverentiam Pauli, induere solitus fuerit diebus tantum solemnioribus, Paschatis nempe, et Pentecostes. Idem S. Hieronymus Epistola XVII. ad Marcellam. *Martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Et in Libr. adversus Vigilantium. *Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel*

pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, et Timothei transtulit CPolim: apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo deportaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis: et tanta laetitia, quasi praesentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et in Christi laudes una voce resonarent? S. Chrysostomus in Orat. de S. Ignatio ait. *Etenim si Elisei tempore quidquam accidit hujusmodi, et sepulcrum mortuus attingens, mortis vincula disrupit, et ad vitam denuo reversus est; multo nunc magis, cum abundantior est gratia, cum Spiritus operatio copiosior est, licet conditorium ipsum cum fide tangentem, magnum inde virtutem attrahere.* Idem Serm. de virtutib. et vitiis: *Vidisti, quanta sit Sanctorum virtus: non enim ipsorum verba tantum, sed et vestimenta universae creaturae sunt veneranda. Eliae melote Jordanem divisit: trium puerorum calcei ignem calcarunt: Elisei lignum aquarum naturam mutavit, et ferrum in superficie natare coepit: Virga Moysis rubrum mare divisit, : Pauli vestes daemones ejecerunt: umbra Petri fugavit mortem: Sanctorum Martyrum ci-*

nis improbos daemones expulsit. S. Augustinus Serm. CCCXVII., alias XCII. de Diversis, de S. Stephani reliquiis ait: *Exiguus pulvis tantum populum congregavit. Cinis latet, beneficia patent. Cogitate Charissimi, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum.* Et Epistola CCXII., alias CIII. ad Quintilianum, de honore Sanctorum Reliquiis deferendo scribit: *Portant sane reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.* Similia habent *S. Basilius* Hom. in Psalm. CXV. et Homil. de XL. Martyribus. *S. Gregorius Nyssenus* Orat. de S. Theodoro, et de SS. XL. Martyribus. *S. Gregorius Nazianz.* Orat. XVIII. de S. Cypriano, et Orat. III., quae est prima invectiva in Julianum. *S. Cyrillus* Jerosolymit. Catech. XVIII. *S. Asterius* in Encomio Martyrum, et Oratione de S. Phoca. *S. Ephrem* in Encomio omnium Sanctorum. *S. Isidorus* Pelusiota Lib. I. Epist. LV. *Theodoretus* Serm. VIII. contra Graecos. *S. Joannes Damascenus* Lib. IV. de fide Orthodoxa. *S. Ambrosius* Serm. XCIII, et Epist. XXII. ad Marcellinam. *S. Gaudentius* Brixiensis in Tract. de Dedicat. Basilicae. *Prudentius* in Hymno de S. Laurentio. *S. Gregorius M.* Lib. V. Epist. L. ad Palladium etc.

DCCLV. Prob. III. Authoritate Conciliorum. *Gangrense* Can. XX. anathema dicit iis, qui Basilicas et Memorias Martyrum, id est, loca, in quibus sunt Martyrum reliquiae, contempserit. *Carthaginensa* V. Can. XIV. praecepit, ne altaria absque Reliquiis Martyrum exstruerentur. *Bracarense III.* Can. V. statuit, in supplicationibus thecam reliquiarum gestari debere

manibus Episcoporum, aut aliorum Sacerdotum, populo praecedente, et sequente. *Epaonense* Can. XXV. jubet Reliquias Sanctorum non poni in Ecclesiis, ubi non sunt Clerici, qui sacris Cineribus psallendi frequentia non famulentur. Nicaenum II. Act. III. ait: *Servator noster Christus fontes salutares Sanctorum Reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes - - atque id per Christum, qui in ipsis habitat.* Et Act. VII. Episcopos aut Clericos deponi jubet, Monachos vero et laicos communione privari, qui reliquias Martyrum contemnunt, et non ut rem sacram tractant.

DCCLVI. Prob. IV. Ex antiquissima praxi Ecclesiae, sive Fidelium. Antiquissima et genuina Acta S. Ignatii M. Antiocheni referunt, quod corpore ejus Romae a feris consumpto, *solae duriores sanctarum ejus Reliquiarum partes relictae sunt, quae Antiochiam delatae sunt, thesaurus sane inaestimabilis ob Martyris gratiam Ecclesiae relictus.* Ecclesia *Smyrnensis* in Epistola Encyclica, quam refert *Eusebius* Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. XIV, posteaquam narravit, Judaeos Proconsulem Asiae monuisse, ne S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi et Martyris corpus Christianis donaret, alioquin pro Deo, ut criminabantur, ab ipsis colendum, subjungit: *Centurio pertinaciam Judaeorum advertens, corpus illud in medio collocatum, ut moris est ipsis, concremavit. Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem illius Martyrii diem cum gaudio celebrare.* Fideles magna semper reverentia prosecuti sunt Cathedram

S. Jacobi Episcopi Jerosolymitani, ut narrat *Eusebius* Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XIV. *Pontius* Diaconus in Vita S. Cypriani memoriae prodidit, fideles summo studio linteamina et oraria substravisse, ut S. Cypriani sanguinem exciperent, et ne Martyris cruor in terram defluens absorberetur. Saeviente persecutione ossa Martyrum ab Ethnicis vel combusta fuere, atque in aquas injecta, aut per aerem dispersa, ut Martyribus Lugdunensibus contigisse narrat *Eusebius* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. I: vel cum ossibus animalium, et hominum ad mortem damnatorum commixta sunt, ut diligentiam Christianorum fallerent, qui ossa Martyrum legere, eaque debito cultu venerari consueverant. Qua de re consuli potest *Honoratus a S. Maria* Lib. V. Animadversionum in regulas et usum Critices, Dissertat. VI. Art. I. *S. Vigilius* Episcopus Tridentinus saeculo IV. ad finem vergente, venerandas SS. MM. Ananniensium Sisinnii, Martyrii, et Alexandri Reliquias Mediolanum S. Simpliciano, S. Ambrosii Successori, ac CPolim S. Joanni Chrysostomo transmisit, ut constat ex ejus Epistola ad utrumque data, in qua SS. MM. passio describitur. Denique ab Ecclesia Dei semper pro haereticis habiti sunt, qui negarunt Sanctorum Reliquias licite, pie, atque utiliter a fidelibus coli, ut patet in Vigilantio, Eunomio, Eudoxio, eorumque asseclis.

DCCLVII. Prob. V. Ex miraculis. Deus quam plurima patravit miracula, quibus gratum sibi esse ostendit sacrarum Reliquiarum cultum. Ergo. P. A. *S. Hilarius* Pictaviensis in Libro contra Constantium, loquens de sepulcris Martyrum scribit: *In illis ubique daemones mugiunt, aegritudines depelluntur, admirationum opera cernuntur.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. XVIII.

de S. Cypriano Martyre, testatur hujus reliquias, sacrosque cineres daemones expellere, morbos sanare, et alia mirabilia patrare. *Quae omnia*, inquit, *Cypriani vel pulvis ipse potest, si fides adsit, ut experti norunt; et qui rem gestam ad nostram usque memoriam propagarunt, et in consequentia tempora transmittent.* S. Chrysostomus in Lib. contra Gentiles de reliquiis S. Babylae Martyris scribit: *Sententiae nostrae abunde fidem faciunt, quae quotidiana a Martyribus eduntur miracula.* S. Ambrosius Serm. de SS. MM. Gervasio et Protasio, et in Epistola ad Marcellinam Sororem de iisdem, multa refert miracula contactu reliquiarum, immo ipsius etiam feretri facta. *S. Hieronymus* in Epist. ad Eustochium de Vita Paulae narrat, ad sepulcra Elisei, Joannis Baptistae, atque Abdiae rugire daemones consuevisse. In Vita autem S. Hilarionis scribit, magna quotidie signa fieri ad sepulcrum ejus. *S. Paulinus* Nolanus in Natali VI. S. Felicis ait, ad ejus sepulcrum, quod erat Nolae, infinita et stupenda facta esse miracula: fide utique dignus, tum propter vitae sanctitatem, et eximiam doctrinam, ac singularem authoritatem: tum quod illius urbis Episcopatum gerebat, utramque ista cernebat. *S. Augustinus* Epist. LXXVIII. alias CXXXVII. ad Clerum et plebem Hipponensem, peculiare quoddam miraculum ad S. Felicis reliquias fieri consuevisse scribit, ut qui in litigando scientes falsum defenderent, eo adducti convincerentur, et ad veritatis confessionem adigerentur. *Idem* Lib. XXII. de Civitate Dei, Cap. VIII. tot miracula dicit facta fuisse ad reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi essent, si quidem omnia referri deberent. Profecto ferreae frontis, et projectae

sit audaciae oportet, qui sanctissimos doctissimosque hos Ecclesiae Doctores nimis credulos fuisse, aut ad promovendum Sanctorum cultum malitiose mentitos fuisse asserit. Et sane, ut v. g. in Augustino gradum figamus, credibilene umquam sanae mentis homini videbitur, Augustinum scribentem contra Gentiles, miraculorum inopiam objicientes Christianis, ficta et commentitia miracula eis venditasse, eaque plura et recentia, quae in illis ipsis locis contigerint, in quibus frequentes aderant cum Christianis Gentiles: eorumque miraculorum, praeter Valentinianum Imperatorem, plurimos locupletissimos, praeclarissimosque testes nominaverit, quorum plures adhuc erant superstites, qui de falsis miraculis apud se factis Augustinum certissime redarguissent? O insaniam, o coecitatem!

DCCLVIII. Luculentum effrontis petulantiae paradigma paucis abhinc annis dedit Joannes Laurentius Moshemius Tomo II. Institut. Hist. Christianae, pagina 318. scribere ausus; *Ambrosius in litibus Arianis homines producit cacodaemone plenos, qui admotis reliquiis Gervasii et Protasii adiguntur, ut Concilii Nicaeni doctrinam veram et divinam, Arianorum falsam et periculosam esse exclament. Hoc inferorum Principis testimonium argumenti instar Ambrosius habet supra omnem exceptionem positi. Ariani autem audacter prodigium istud rident, Ambrosiumque argento hos testes sibi comparasse adseverant. Et multi, scio, Arianis credent magis, quam Ambrosio; Sanctis licet hic adscriptus sit, illi haereticis.* Credent haec, non illi quibus probitas cordi est, qui sanctissimos Ecclesiae Patres ac Doctores debito, ut par est, honore prosequuntur; sed qui cum Moshemio, Joanne Clerico, ac

Beausobrio frontem omnem, sanamque rationem exuerunt: qui reverentiae omnis immemores, Patrum scripta, si rebus suis adversantur, canino dente lacerant, nullumque ex longa Patrum serie praeterire sinunt absque convicio.

DCCLIX. Miraculis, quae a Patribus narrantur, fidem faciunt tum ea, quae nostris etiam temporibus maximo Fidelium emolumento patrari gravissimi testantur authores, quos in suspicionem nimiae credulitatis, aut malae fraudis vocare nefas est, eoquod comperta tradant, gravissimis testibus, longoque doctissimorum virorum examine comprobata: tum etiam illa, quae saepe in ipsis Sanctorum cadaveribus a Deo patrantur. Res est omnibus explorata, complura Sanctorum corpora praeter naturae leges a multis jam saeculis incorrupta, atque ab omni tabe immunia hodiedum servari, v. g. SS. Anselmi, Claudii, Edmundi, Remigii, Catharinae Bononiensis, Clarae de Monte Falcone, Agnetis Politianae, Rosae Viterbiensis, Nicolai Tolentinatis, Caroli Borromaei, Narcissi, Ferdinandi, Isidori ruricolae, Theresiae, Elisabethae Lusitanicae, Eduardi Anglorum Regis, Huberti, Francisci Xaverii, ac Magdalenae de Pazzis, cujus corpus Florentiae tam vividum, succo plenum, integrum ac flexibile sub altari quiescit, ut foeminam dormientem magis quam mortuam referat. Linguam S. Joannis Nepomuceni vividam adhuc ac carnei coloris per tria jam et amplius saecula Pragae conservari testis est tota Bohemia, et quotquot Sanctum veneraturi, aut veritatem exploraturi Pragam se conferunt. Sanguis S. Januarii Beneventani Episcopi et Martyris, quem Neapolitani tamquam coeleste munus venerantur, si spissus ac concretus ex arca sua, in

qua custoditur, altari imponatur e regione capitis, brevi interjecto tempore plerumque sensim liquescit, ac fervet, ac si e secta vena recens flueret; quod nisi fiat, magnam Neapolitanae urbi, totique regno calamitatem imminere, longa experientia edocti cives autumant. Haec profecto tanta, ac talia sunt, ut merito quivis partium studio non abreptus, fateri cogatur, Sanctarum Reliquiarum cultum a Deo Divinitatis suae sigillo, maximis nempe ac luculentis prodigiis fuisse communitum.

DCCLX. Prob. VI. Ratione. Sancti fuerunt viva membra Christi, et Templum Spiritus Sancti: Corpora eorum fuerunt instrumenta et organa, quibus usi sunt ad praeclara quaeque pro Christo agenda, et tolerandas acerbas calamitates. Ergo pie et honeste Sanctorum Reliquiae a nobis coluntur. II. Sanctorum corpora erunt Sole clariora in resurrectione. Ergo merito illis singularis honor a nobis defertur. III. Sanctorum sepulcra animant nos ad virtutem consequendam: stimulos addunt, ut eorum vestigiis strenue insistamus: fidem roborant, spem augent, charitatem perficiunt, atque amorem virtutis inspirant. Ergo utiliter, pie, ac licite Sanctorum Reliquias veneramur. Vide *Card. Bellarminum* Lib. II. de Ecclesia triumphante. Cap. I. II. III. *Dionysium Petavium* Tomo VI. Dogmatum Theologicorum Lib. XIV. *Natalem Alexandrum* Dissert. XXV. ad Hist. Eccles. Saec. V. *Laurentium Alticotium* in Dissert. de mendaciis et fraudibus Isaacii Beausobrii Dissert. XIII. *Brocardum a S. Nicolao* in Professione Fidei Catholicae, Tomo III. Articulos XXXII. Paragr. III. etc.

OBJECTIONES.

DCCLXI. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Lucae Cap. XI. ait Christus Scribis et Pharisaeis: *Vae vobis, qui aedificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra.* Ergo Deo non placet cultus, qui Sanctorum corporibus exhibetur. II. Apostolus II. ad Cor. Cap. V. scribit: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.* Ergo quod carnale fuit in Christo, oblivioni tradendum est. Ergo multo magis, quod carnale fuit in Sanctis. R. C. A. N. C. Christus Judaeos increpuit, vel quia, ut interpretantur S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, et Ven. Beda, non imitabantur eos quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui Prophetas occiderant: vel quia, ut *S. Chrysostomus* observat Hom. LXXV. in Matth. aedificabant sepulcra Prophetarum, non ut illos honorarent; sed ut jactarent vires ac potentiam Majorum suorum, qui Prophetas occiderunt. Atque hinc Christus eos consentire pronuntiavit operibus patrum suorum. Certe, ut observat *Vasquius* Lib. III. de Cultu adorationis, Disp. III. Cap. III., si aedificare monumenta Prophetarum ex se malum esset, et superstitiosum, non potuissent Judaei propter illud peccatum appellari hypocritae. Matth. Cap. XXIII. v. 29. *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra Prophetarum.* Ergo quia sub illo opere, quod ex se pium atque honestum erat, animum iniquum te-

gebant, hypocritae sunt appellati. Ad II. N. C. Hujus Paulini loci sensus est, juxta Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, Patres Nicaenae II. Synodi, et Hadrianum I. in Epist. ad Episcopos Hispanos: Tametsi primo illo tempore novimus Christum secundum carnem, hoc est, passibilem; post resurrectionem tamen, in qua non ipsam carnem, sed modum proprium carnis amisit, jam non novimus passibilem. *Cajetanus* Cardinalis aliter, congrue tamen hunc locum interpretatur referendo particulam *nunc*, non ad Christum, sed ad ipsum Paulum. Tametsi aliquando, cum essem in Judaismo, Messiam carnali ac temporali imperio regnaturum crederem, et expectarem; et ideo tunc ipsum secundum carnem, non vero secundum spiritum cognoscerem; nunc tamen veram fidem consecutus cognosco et credo, Christum verum esse Messiam et Regem non in carnali regno, sed spirituali regnantem, talemque Patribus nostris promissum fuisse.

DCCLXII. *Dices I.* Deus ipse sepelivit Moysem, atque occultavit, juxta illud Deuter. Cap. XXXIV. v. 6. *Et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in praesentem diem.* Ergo displicet Deo cultus Reliquiis Sanctorum exhibitus. R. C. A. N. C. Idcirco Deus sepulcrum Moysis occultavit, ne Judaicus populus ad idololatriam valde pronus, qui vitulum aureum in deserto adoraverat, Moysis corpus divino cultu et honore prosequeretur. Inter Christianos autem cum nullum tale periculum immineat, vult Deus amicorum suorum cum Christo in coelis regnantium corpora in pretio haberi, ac veneratione: hancque voluntatem suam nobis tum per Ecclesiam, tum per crebra prodigia manifesta-

vit. Neque dicas: Cum Judaei Moysem viventem numquam adoraverint ut Deum; periculum non erat, ne mortuum ut Deum colerent. Resp. enim, quod viventem non coluerint, quia quotidie ab illo audiebant, unum esse verum Deum, se autem illius servum: At vero post mortem Moysis, Judaei miracula illius perpendentes facile potuissent adduci, ut eum Deum esse crederent.

DCCLXIII. *Dices II.* In Scripturis nullum extat vestigium, quod Reliquiis Sanctorum cultus fuerit exhibitus, sive in veteri sive in novo Testamento. Ergo cultus Reliquiarum contrarius est Scripturis, ideoque superstitiosus et idolatricus. R. O. A. N. C. Sanctorum Reliquiis cultus, saltem publicus, delatus non fuit in veteri Testamento, atque primis etiam Legis Evangelicae temporibus, tum ne Judaeis ad idololatriam valde pronis aliqua daretur errandi occasio, cum serpentem Aeneum, cujus adspectu patres suos in deserto sanatos fuisse intellexerant, ut Deum coluerint: tum etiam ne Ethnici, pluribus Diis colendis jam assueti, modo autem ad Christianam fidem perducti, in priores superstitiones facile delaberentur; quae ratio paulo post omnino cessavit. Caeterum ut Protestantes ex Scripturis evincant sanctarum Reliquiarum cultum superstitiosum esse, ostendendum ipsis foret, cultum hunc a Scripturis damnari tamquam superstitiosum: discernenda est enim disciplina a dogmate. Quod sanctarum Reliquiarum cultus licitus sit, utilis atque honestus, ad dogma pertinet; neque contrarium ex Scripturis ullo modo evinci potest, praecipue cum in illis legamus, ossium Elisei contactu mortuum vitae restitutum, umbra Petri, ac semicinctiis Pauli morbos fuisse depulsos. Quod

vero actu Reliquiae Sanctorum colantur, atque hoc potius, quam alio ritu, res est disciplinae, quae forte in veteri Lege non exercebatur.

DCCLXIV. *Objicitur II.* Authoritas *S. Hieronymi*, qui Vigilantio objicienti, idololatriam esse accendere cereos coram Reliquiis, ita respondet in libro adv. Vigilantium. *Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus: et vigilemus ad lumen, ne caeci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui per imperitiam et simplicitatem saecularium hominum, vel certe religiosarum foeminarum, de quibus vere possumus dicere: Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Ergo. R. Imo S. Hieronymum serio nobis objici non posse, cum evidens sit, ab eo tum alibi saepius, tum praecipue toto illo adversus Vigilantium libro sanctarum Reliquiarum cultum ex professo propugnari. R. II. S. Hieronymus non approbat cereos ad sepulcra Martyrum diurno tempore accensos, tum quia illa aetate mos ille in Ecclesia, saltem ubique et in omnibus provinciis, nondum erat receptus: tum ne ex vana superstitione luminaria adhiberentur more Gentilium, qui ad evocandas vel consolandas defunctorum animas, cereos accendebant: aut quia forsitan aliqui simplices, ut objiciebat Vigilantius, putabant cereolis illis animas Martyrum illustrari. Illud certum est, accensos cereos non ad substantiam cultus pertinere, ritumque illum a Hieronymo numquam vocari intrinsece malum, aut indecentem: immo loco cit. asserit: *Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, Unusquisque in sensu suo abundat.*

DCCLXV. *Objicitur III.* Authoritas Conciliorum: Concilium Eliberitanum initio saeculi IV. habitum Can. XXXIV. decrevit: *Cereos per diem placuit in coemeteriis non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab Ecclesiae communione.* Ergo Synodus illa reprobavit cultum Sanctorum corporibus praestitum. R. N. C. Cerei per diem accensi non pertinent ad substantiam cultus; ideoque Eliberitana Synodus non derogavit cultui Reliquiarum. Eliberitani Patres prohibuerunt cereos per diem accendi ex superstitione; putabant enim aliqui defunctorum animas accensis cereis evocari more magico, aut saltem corpora defunctorum aliquid sentire; et cum essent in tenebris, clausa sepulcris, cereis accensis illustrari. *Garcias Loaysa*, Conciliorum Hispaniensium collector, censet, Sanctos quos Canon hic dicit non esse inquietandos, esse ipsos fideles adhuc viventes, quos Scriptura Sanctorum nomine plerumque solet significare: ideo vero dicuntur eorum spiritus inquietari, quia more illo tunc temporis superstitioni obnoxio perturbabantur.

DCCLXVI. *Objicitur IV.* Praxis Ecclesiae primorum saeculorum. Ecclesia primis tribus saeculis non colebat reliquias Martyrum: neque Patres illorum temporum hujus cultus meminerunt. Ergo cultus Reliquiarum habendus est tamquam superstitio in Ecclesiam saec. IV. invecta. *Confirmat. S. Optatus Milevitanus* Lib. IV. contra Parmenianum refert, initio saeculi IV. Lucillam Matronam Carthaginensem palam objurgatam fuisse a Caeciliano Archidiacono tunc Carthaginensi, quod Martyris ossa fidelibus osculanda porrigeret. Ergo initio saeculi IV. cultus Reliquiarum nondum in Afri-

ea invaluerat. R. N. A. Qnod Ecclesia primis etiam tribus saeculis Martyrum reliquias coluerit, invicte ostendimus Num. DCCLVI. Patres primorum trium saeculorum idcirco forte hujus cultus frequenter non meminere, ne ea saepius commemorando Ethnicis occasionem darent calumniandi, quod Christiani loco Deorum, quos Ethnici vivos existimabant, colerent mortuos, eorumque ossa et cineres. At vero saeculo IV. propagata jam et pacata Ecclesia, atque idololatria tantum non eliminata, cum doctrina de sacrarum Reliquiarum cultu fidelibus satis esset nota, atque jam diu in usum deducta, congruum erat, ut Patres in libris suis illius quoque mentionem saepius facerent. Illud facile Protestantibus damus, primis tribus saeculis non ita pervagatum ac celebrem fuisse apud fideles sanctarum Reliquiarum cultum, ac saeculo IV. reddita per Constantinum Ecclesiae pace: tunc enim Martyrum sanguis, qui quotidie fundebatur, satis fidelium corda ad virtutem inflammabat, quin opus fuerit mortuos commemorare, ubi praestantissima stimulabant exempla vivorum. At vero, semoto Martyrum conspectu ob pacem Ecclesiaa redditam, necessarium erat ut fideles, qui antea ad viventium Martyrum carceres accedebant devote eorum vincula deosculantes, seque eorum orationibus enixe commendantes, deficiente jam charitatis ardore ad mortuorum memorias frequentius invitarentur, atque ad oscula Sanctorum Reliquiis figenda. Tali enim pacto reminiscebantur, quanta Martyres pro Christo pertulerint, quam pauca ipsi ferrent: ad aspectum Reliquiarum incitabantur, ut mortuos apud Deum interponerent, ad imitationem patrum suorum, qui vivos Martyres rogabant intercessores ipsorum fieri apud Deum, unaque

simul in Martyribus merita honorabant, quae sibi deesse sentiebant. Vide *Card. Vincentium Gotti* de vera Ecclesia Christi, Artic. XV. Paragr. II. Num. XVIII. Caeterum si Ecclesia universa saec. IV. errasset, cultumque superstitiosum dilaudasset, nonne inferorum portae, contra ac Christus eidem promiserat, adversus eam praevaluissent? Ad *confirm.* N. C. Idcirco Lucilla merito objurgata fuit a Caeciliano, quod ossa cujusdam hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati, et ab Ecclesia agniti, ante sacram Communionem osculis veneraretur, ut ipse S. Optatus loco citato narrat.

DCCLXVII. *Objicitur V.* Infirmitas argumenti ex miraculis petiti. Miraculis, quibus Deus Reliquiarum cultum a Catholicis comprobasse dicitur, non fuere vera miracula, sed praestigiae, quibus Daemon utitur ad seducendos, atque in noxia hac superstitione detinendos Catholicos. Ergo. R. N. A. Nam I. Saepe per Sanctorum Reliquias patrantur prodigia miraculis Christi et Apostolorum aequalia, quae vires totius naturae creatae, adeoque etiam daemonum, longissime superant. Ergo quemadmodum miracula Christi et Apostolorum evidenter credibilia erant, tenebanturque omnes qui miracula illa viderant, aut ab aliis fide dignis intellexerant, credere in Christum quamvis de miraculis illis non haberent evidentiam veritatis, sed tantum evidentiam credibilitatis: ita etiam cultum Sanctorum, ac Reliquiarum licitum esse honestum, atque utilem credere tenentur Protestantes. Christus ipse, aeterna Patris sapientia, censuit miracula sua sufficere, ut tamquam Messias ac verus Deus ab omnibus agnosceretur. Discipulis enim Praecursoris sui Matth. Cap. XI. interrogantibus: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* pro responso

allegavit sua miracula : *Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Et Joan. Cap. X. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Profecto si ita ratiocinatur Sapientia divina, non obstantibus Pharisaeorum calumniis, omnino necesse est dicere, miracula ipsius suffecisse ad fidem certam doctrinae ejus conciliandam; eosque graviter peccasse, qui doctrinae ejus, miraculis comprobatae, fidem habere noluerunt. II. Christus Matth. Cap. XXVIII. v. 26. dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Quomodo autem Christus cum Christianis est, si eos tot saeculorum decursu constanter decipi permisit prodigiosis in speciem daemonis operibus? Quotquot Christiani pietate ac religione prae reliquis floruerunt, a temporibus Apostolorum ad nostra usque tempora : quotquot Sancti Patres et Ecclesiae Doctores doctrina eminuerunt, unanimi consensu indubitanter crediderunt, divina virtute fieri, ut subinde ad preces piorum viventium, ad invocationem Sanctorum in coelo regnantium, aut ad contactum Sacrarum Reliquiarum, mortui fuerint suscitati, aegri etiam immedicabiles subito sanati, daemones e corporibus mortalium expulsi. Joannes Apostolus Epist. I. Cap. III. v. 8. ait de Christo : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Quomodo autem haec vera forent, si tantam per XVIII. saecula potestatem exercuisset daemon, ut miracula Christi et Apostolorum esset imitatus, iisque omnes pios, multosque ex iis doctissimos constanter de-

cepisset? Profecto insani cerebri est similia asserere, cum daemon numquam ejusmodi potestatem in veteri Lege habuerit, numquam habiturus sit in Lege nova. III. Protestantes nullam prorsus rationem afferre possunt, quae aliquam probabilitatis, aut prudentis suspicionis umbram habeat, miracula illa praestigiis daemonum adscribendi. Dicunt equidem interesse daemonis, ut foveatur superstitio; hactenus tamen probare numquam potuerunt, nec umquam poterunt, vel tenue superstitionis vestigium extare in Sanctorum invocatione, ac Reliquiarum cultu. Certe si Lutherus in Germania, aut Calvinus in Galliis ea patrare potuissent, quae per reliquias, aut Sanctorum invocationem patrata fuerunt, nullus Protestantium daemonem faceret miraculorum authorem.

DCCLXVIII. *Dices I.* Incorruptio cadaverum adscribi potest causis naturalibus, potestque viribus naturae haberi. Ergo ex illa nihil probatur. P. A. Potest adscribi aeris temperiei, pollincturae seu balsamationi, naturali temperationi corporum, aut terrae, in qua corpora sepeliuntur. R. D. A. Incorruptio corporum qualiscumque adscribi potest naturalibus causis, C. A. Incorruptio perfecta ac diuturna, qualem in aliquorum Sanctorum corporibus admiramur, N. A. et Conseq. Corpus S. Francisci Xaverii, in calce viva sepultum, incorruptum permansit praeter naturae ordinem, quo fit ut carnes calce contectae facitius exedantur. Corpus S. Ludovici Bertrandi praeservatum est a corruptione, quamvis in loco alluvionibus obnoxio, cum intestinis adeo ad corruptionem proclivibus, terrae mandatum fuerit. Corpus S. Theresiae viginti duobus annis ab ejus obitu, repertum est incorruptum, integrum, flexibile,

succi plenum, ac si pridie terrae mandatum fuisset, ac suavissimum effundens odorem. Corpus S. Magdalenae de Pazzis Florentinae non a putredine tantum, verum etiam ab ariditate conservatum est, caro illius jam ultra sesqui saeculum mollis, flexibilis, atque ita palpabilis, ut digito compressa elevetur, et ad pristinum statum redeat remoto digito. Lingua S. Joannis Nepomuceni A. 1725., nimirum CCCXLII. annis ab ejus obitu, integra inventa est, mollis, flexibilis, figuram, formam et colorem linguae humanae retinens; quamvis lingua inter caeteras corporis humani partes omnium maxime sit corruptioni obnoxia, quod fibris carneis sit contexta magna sanguinis copia repletis, qui si suo careat fluxu ac circulatione, statim corrumpitur. Ex quo patet, incorruptionem corporum aliquorum Sanctorum, his circumstantiis vestitam, adscribi prudenter non posse aeris temperiei, dispositioni corporum, aut naturali ingenio soli, in quo tumulata fuerunt, praesertim cum nulla adhibita fuerit pollinctura atque in eodem statu perseverent quamvis aeri exposita: Secus rationem dare cogentur Protestantes, cur par incorruptio in aliis non deprehendatur fidelium, aut novatorum corporibus, quae in eadem regione, eademque saepe in crypta tumulantur. Vide *Prosperum Lambertinum*, seu *Benedictum XIV.* Tomo IV. de servorum Dei Beatificatione et Canonizatione, Parte I. Cap. XXX.

DCCLXIX. *Dices II.* Resolutio et ebulitio sanguinis S. Januarii non excedit vires naturae. Ergo ex illa nihil evincitur pro cultu Reliquiarum. P. A. Dici potest I. quod in ampullam vitream, in qua sanguis illius conservatur, calx injiciatur, quae bullas excitet, ut liquor fervere videatur. II. Dici potest eam oriri ab

antipathia et sympathia; quia cruor debet opponi capiti ut effectus hic habeatur. III. Hujus liquefactionis causam esse calorem; quia multi iique praegrandes cerei in Ecclesia, aut in Sacello, et altari prope sanguinem sunt incensi, magnusque hominum est confluxus; quo fit ut calore rarefiat sanguis in ampulla contentus, eo modo, quo liquores in tubis vitreis rarefiunt. IV. Sanguinem S. Januarii nihil aliud esse, quam materiam aliquam artificiose compositam, ac pro sanguine S. Januarii Neapolitanis obtrusam, quae in armario passim sicca maneat et dura; in Ecclesia vero, dum capiti opponitur, liquescat et ebulliat. V. Id adscribendum esse subterraneis Vesuvii montis exhalationibus. R. N. A. Resolutio et ebullitio sanguinis S. Januarii tam luculentum est prodigium, ut eo viso complures Protestantes, atque inter eos Principes etiam viri Catholicam Religionem amplexi fuerint.

DCCLXX. Ad I. *probat.* R. N. A. Nam I. Sine ullis probationibus, indiciis ac testimoniis, turpissimae fraudis accusantur viri nobilissimi, Cardinales, Archiepiscopi, Ecclesiastici nobiles, viri saeculares primarii, qui trecentis fere annis ampullam illam ex suo armario produxerunt. II. Est omnino incredibile, si qua fraus intercessisset, eam numquam per tam longi temporis decursum detectam fuisse in frequentissima civitate, quae hominibus doctis, sagacibus, et expertis abunde instructa est: ad quam plurimi ex aliis provinciis quotidie confluunt, qui nullo laborant studio res Neapolitanas amplificandi. III. Nulla experientia ostendi potest, sanguinem concretum inspersa calce liquefieri, aut ebullire.

DCCLXXI. Ad II. R. hanc quoque exceptionem levem ac ficulneam esse. I. Quia nullus umquam exper-

tus fuit, sanguinem hominis occisi, ubi post aliquot menses aut annos concretus est et exsiccatus, rursum fieri liquidum, si ejusdem hominis capiti apponatur. II. Quia sanguis S. Januarii quandoque liquescit non praesente capite, sed tantum praesente particula ex ossibus Sancti illius Martyris. III. Quia sanguis non raro in ipso armario reperitur liquefactus. IV. Quia oppositus capiti aliquando liquefit intra pauca minuta, aliquando post aliquot horas, aliquando usque ad vesperam durus permanet. Jam vero si ex sympathia sanguis liquesceret, et ebulliret, neque haec fierent sine capite, neque modis tam diversis coram capite.

DCCLXXII. Ad III. N. A. Nam I. Si calor esset liquefactionis causa, citius liquescere deberet aestivo tempore, quam hyberno: atqui saepe contrarium fit, ut Neapolitanis omnibus notum est. II. Testimonio osculantium certum est, ampullam vix esse tepidam. III. Nullo hactenus experimento ostensum est, sanguinem exsiccatum, aut materiam aliquam sanguini exsiccato similem calore fluidam reddi, iterumque reverti ad duritiem, ac saepius sic per annum liquescere, ac indurari.

DCCLXXIII. Ad IV. N. A. Ut enim nihil dicam, Ecclesiam Neapolitanam in re tam gravi deceptam a Protestantibus dici absque ullo prorsus fundamento, quis umquam tam mirabilem praeparabit mixturam, ut aliquando in armario clausa reperiatur liquida, aliquando dura siccaque: aliquando tunc primum liquescat, ac aëri fuerit exposita, deinde iterum concrescat subito, atque ita, ut post aliquot saecula iisdem viribus sit praedita? Denique vel haec mixtura sic esset praeparata, ut non liquesceret, ebulliretque nisi praesente capite, vel ut eosdem effectus produceret, capite non praesente. Si pri-

mum; numquam liquesceret materia illa, nisi objecta capiti: at vero contrarium subinde accidere experientia testatur. Si alterum; constanter etiam ac semper, capite non praesente, liquefieret; quod tamen plerumque non fit. Itaque ars nulla efficere potuit materiam effectus suos sine ulla certa lege producentem; natura enim constanter operatur.

DCCLXXIV. Neque sufficit ad id evincendum, quod a Gaspare Neümanno Medico Berolinensi materia diu praeparata, ac mortui capiti admota, semel ex sicca et nigra evaserit liquida rubraque. Ut enim similitudo aliqua inter illam, et sanguinem S. Januarii daretur, deberet materia illa Neümanniana, jam liquefacta, ad priorem siccitatem, duritiem, nigroremque redire, iterumque capiti admota liquescere et ebullire, idque non uno solum alterove die, sed saeculis integris. Ut autem perfecta esset similitudo, deberet materia illa aliquando citius, aliquando serius liquefieri, ac rubescere, aliquando liquida fieri absente etiam capite: et ut omnia paucis absolvam, omnes alias varietates sanguinis S. Januarii exhibere; quod a Neümanno numquam praestari potuit.

DCCLXXV. Ad V. R. Montem Vesuvium non tam vicinum esse Neapoli, nec ejus exhalationes semper tam vehementes esse, ut vel minimam vim exercere possint in sanguinem S. Januarii, qui media in Urbe, atque intra Ecclesiam conservatur. Praeterea si Vesuvii exhalationes hujus liquefactionis causa forent, cur non aliorum quoque sanguis concretus, eadem in Urbe mortuorum capitibus oppositus, liquefit, atque ebullit? Patet igitur, stupendum illud prodigium vires naturae superare, quidquid obganniant Protestantes. Quod si cum Joanne Dauhawero dicas, resolutionem atque ebul-

litionem sanguinis S. Januarii inutilem esse, a leoque a Deo non proficisci, cum Deus inutilia non patret prodigia. R. N. A. Hoc prodigium a Deo patratur ad incredulos ad fidem pertrahendos, ad arguendam Novatorum temeritatem, atque ad comprobandum Sacrarum Reliquiarum cultum. Vide *Joannem Stiltingum* Socium Bollandianum Tomo VI. Septembris in Addendis ad XIX. diem Septembris fol. 857. etc.

DCCLXXVI. *Objicitur VI.* Incertitudo Reliquiarum. Historia Ecclesiastica redundat exemplis scelestorum atque impiorum hominum, qui nequiter falsas reliquias confinxerunt, et mercatu turpissimo ac sacrilego venales habuerunt. Ergo vel propter hanc ipsam incertitudinem Sanctorum Reliquiae nec debent, nec possunt coli. P. A. *S. Augustinus* Lib. de Opere Monachorum Cap. XXVIII. refert, Monachos aliquos veris Reliquiis falsas supposuisse. *S. Gregorius M.* Lib. III. Epist. XXX. redarguit facinus quorumdam Graecorum, qui Romae e mortuorum sepulcris ossa eruebant, atque in suas regiones delata, tamquam veras Sanctorum Reliquias venditabant. Similia habet *S. Gregorius Turonicus* Lib. IX. Hist. Cap. VI. *Glaberius* Monachus saeculi XI. Scriptor Hist. Lib. IV. Cap. III. *Confirm. I.* Certum est, quod prioribus saeculis multi sacras Reliquias furati sint, ut Historici omnes illorum temporum uno ore fatentur: ad quae furta praecavenda, corpora Sanctorum vel sub altari, vel in aliis locis diligenter clausa secreto recondita sunt, variaeque poenae in sacrilegos hos fures a *Lateranensi* III. A. 1179, ac *Turonensi* Conciliis A. 1282. decretae fuerunt. Ergo legitime nobis constare non potest, eas quas colimus, esse veras reliquias. *Confirm. II.* Eaedem reliquiae in

diversis locis monstrantur, ut v. g. S. Dionysii Episcopi Parisini apud Monachos San-Dionysianos et Ratisbonae in Ecclesia Principalis Monasterii ad S. Emmerami. Corpora SS. Cosmae et Damiani Viennae et Monachii. S. Marci Evangelistae Venetiis, et in Monasterio Augiae divitis prope Constantiam. Dentes S. Apolloniae innumeri fere ostenduntur etc. R. C. A. N. C. Equidem non diffitemur, de veritate aliquarum reliquiarum rationabile oriri posse dubium: multas enim reliquias incertas reddiderunt negligentia eorum, qui eas custodiebant, injuria temporum, bella domestica, atque extranea, divisio item corporum Sanctorum ad Ecclesias dedicandas, et altaria consecranda, qui ritus peragi non solebat sine reliquiis Sanctorum, praecipue illius, in cujus honorem altaria consecrabantur. Quod si fideles illorum temporum integra corpora, vel particulas aliquas reliquiarum Sancti illius, in cujus honorem Ecclesiae vel altaria erigebantur, obtinere non possent, satis erat ipsis ibi collocare terram eorum sanguine tinctam, vel lineum velum, quod *Brandeum* dicebant, reliquiarum illarum contactu sacratum. Cuilibet ossium particulae, vel Brandeo non solum nomina Sanctorum tribuebantur, verum etiam jactabatur, Sanctum illum in illa Ecclesia requiescere. Ex quo pronum est magnam consecutam fuisse sacrarum Reliquiarum confusionem, atque ab hac divisione corporum manasse plerosque errores innocentes, qui in cultum sanctarum Reliquiarum irrepserunt. His accessit novum quoddam fidelium inventum; effecerunt enim illi imagines reliquiarum, easque veris Sanctorum reliquiis admoverunt, ut ex hoc contractu operaretur Deus prodigia eadem, quae per reliquias, quas referebant, operabatur. Atque

hinc ad pium hoc fidelium inventum forte referri possunt tot vestes, aliaque supellex, quae B. Virgini usui fuisse dicitur: item numerus Sindonum, Vestium inconsutilium Jesu Christi, Clavorum, spinarum, aliorumque instrumentorum passionis ejus. Vide *Honoratum a S. Maria* in Animadversionibus in regulas Critices Lib. V. Dissert. VI. Caeterum quaecumque fuerit hujus incertitudinis causa, optimo adhuc jure coluntur a nobis reliquiae, ut mox numero sequente ostendemus. Ad I. *confirm.* C. A. D. C. Legitime nobis non constat, quas colimus esse veras reliquias, hoc est, non habemus certitudinem physicam vel metaphysicam, C. C. Non habemus certitudinem moralem, N. C. Sufficere potest ac debet, quod nullum habeamus prudens motivum dubitandi de veritate reliquiarum quas colimus: neque enim in commercio humano major certitudo requiritur, ut quis pro legitimo habeatur, quam ut nulla adsit prudens ratio judicandi, aliquem ex adulterio, vel fornicatione natum esse; quamvis certum sit indeterminate ac generice, multos quotidie ex parentibus illegitimis nasci. Ad II. *confirm.* N. C. Si in diversis locis ejusdem Sancti reliquiae monstrantur, vel sunt tantum diversae partes ejusdem corporis: vel plures Sancti ejusdem nominis fuerunt: vel denique reliquiae sunt alterius Sancti, cujus nomen intercidit, aliusque per errorem vocatur.

DCCLXXVII. *Dices.* Qui Sanctorum reliquias colunt, ob hanc ipsam incertitudinem exponunt se periculo idololatriae, aut saltem cultus superstitiosi. Ergo satius est omnino a tali cultu abstinere. R. I. Si de Reliquiis sit sermo, quae publice coluntur, certum est debere eas prius ab Episcopo approbari, qui juxta De-

cretum Concilii Tridentini Sess. XXV., adhibitis in consilium Theologis, et aliis piis viris, ea facere debet, quae veritati ac pietati consentanea judicaverit: ideoque vix fiet, moraliter loquendo, ut reliquia falsa pro vera colatur. R. II. nullum prorsus imminere periculum idololatriae, quia latreuticum cultum neque Sanctis ipsis, multo minus Reliquiis impendimus. R. III. D. A. Exponunt se periculo proximo cultus superstitiosi, N. A. Periculo valde remoto, quod nemo prudenter suspicari potest, subdist. Periculo remoto cultus materialiter tantum superstitiosi, C. A. Formaliter ac culpabiliter superstitiosi, N. A., et Conseq. Ut Sanctorum Reliquias honeste et licite colamus, sufficit, nullum nobis prudens motivum occurrat in contrarium: aut ut rationabiliter judicare possimus, has esse reliquias alicujus Sancti, praecipue si judicio Episcoporum approbatae sint. Tali modo numquam nos periculo proximo exponimus deferendi illis cultum superstitiosum; sed ad summum periculo valde remoto, quod merito contemni potest, atque in commercio humano contemnitur, v. g. a filio adeunte cum aliis fratribus haereditatem paternam. Potuit contingere, ut, quamvis id ille ne suspicetur quidem, alium habuerit patrem, nullumque de se ad haereditatem hanc illi jus competat, sicque gravem praetensis fratribus suis injuriam, ac grave damnum inferat. Neque dicas, ex hac responsione sequi, quod Reliquiae Sanctorum coli debeant sub hac conditione, *si sunt verae reliquiae.* Quemadmodum enim parentes a nobis coluntur atque honorantur absolute, absque hac conditione, *si sunt veri parentes*: ita etiam, nisi rationabile oboriatur dubium, Reliquiae Sanctorum absolute colendae sunt, absque ulla conditione adjecta.

CONTROVERSIA VII.

DE USU ET CULTU SACRARUM IMAGINUM.

Contra Iconomachos.

DCCLXXVIII.

Qui sacris Imaginibus primi omnium denuntiavere bellum, fuerunt Judaei, atque etiam Ethnici; non quod isti a simulacris et imaginibus abhorrerent: magna enim superstitionum pars apud eos posita erat in cultu simulacrorum; sed quia Christum ac Sanctos, praecipue Martyres, execrabantur. Hos aemulari visi sunt Marcionitae, Manichaei, Phantasiastae, qui Christi imaginem detestabantur, quod illum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus praebuisse dicerent, teste *S. Augustino* in Lib. de Haeres. Cap. XLVI. Saeculo V. A. 485. sub Zenone Imperatore Xenaias natione Persa, conditione servus, quamvis baptismo nondum initiatus esset, a Petro Cnapheo Antiocheno Patriarcha ordinatus Episcopus Hierapolitanus, et mutato nomine Philoxenus dictus, testibus Theophane ac Cedreno, docuit Christi et Sanctorum imagines non esse recipiendas. Ad finem saeculi VI. Serenus Episcopus Massiliensis in Galliis imagines Sanctorum confregit, atque ex Ecclesiis removit ad evitandum latreuticae adorationis periculum, eoquod plures Gentiles, qui tunc temporis Massiliae versabantur, ad imagines illas tamquam ad idola se converterent, plurimumque pravo suo exemplo simplicioribus fidelibus ob-

futuri crederentur. Sereni tamen indiscretum zelum reprehendit *S. Gregorius Magnus* Lib. VII. Epist. CIX. Et Lib. IX. Epist. IX. Saeculo VII. impius Mahometus sectatoribus suis omnem imaginum ac simulacrorum usum severe prohibuit. Saeculo VIII. palam aperteque Sacris Imaginibus bellum indixit Imperator Leo Isauricus, a Judaeis impostoribus deceptus, vano praetextu evertendae idololatriae. Furenti forti animo restitere S. Gregorius II. et S. Gregorius III. Romani Pontifices, S. Germanus CPolitanus Patriarcha, et S. Joannes Damascenus. Leonis impietatem secuti sunt Constantinus Copronymus, et Leo IV. Et Constantinus quidem Anno 754. convocatis ex Imperio suo Episcopis CCCXXXVIII. CPoli Synodum celebravit, qua impium Patris sui decretum adversus imagines confirmavit, ac Pipinum Francorum Regem, missis ad illum Legatis, in sceleris societatem pellicere conatus est. Extincto Leone IV. Constantinus ejus filius cum Matre Irene, consentiente Hadriano I. Romano Pontifice, Nicaeae Bithyniae urbe Oecumenicam coegit Synodum, quae damnato CPolitano latrocinio sub Copronymo, venerationem Imaginum decrevit.

DCCLXXIX. Saeculo IX. Leo Armenus, throno Imperiali proditione occupato, Iconoclastarum haeresin et furorem instauravit: cujus vestigiis inhaeserunt Successores, Michael Balbus et Theophilus Imperatores. Post Theophili obitum uxor Theodora, cum filio Michaele admodum infante Augustis titulis ornata, cultum Imaginum in Oriente restituit, confirmata Synodo Nicaena II. in conventu Episcoporum et Clericorum CPoli habito Anno 842. Neque ab eo tempore in Oriente amplius a Graecis tumultuatum est ob causam imaginum, quas hodierna etiam die, quamvis pertinaci

schismate a Latina Ecclesia divisi, maxima veneratione prosequuntur, ut patet tum ex Responsione II. *Jeremiae* Patriarchae CPolitani ad Lutheranos Cap. de invocatione Sanctorum, ubi dicitur: *Adoramus Imagines eo modo, ut non ipsi materiae exhibeamus reverentiam; sed imaginum interventu illis qui per ipsas significantur, honor qui imagini exhibetur, ad prototypon transit, sicut Divus Basilius dicit*: tum ex actis Concilii Jerosolymitani a Dositheo Patriarcha celebrati A. 1672. adversus errores Cyrilli Lucaris, qui Orientem Calvini doctrina inficere conatus erat.

DCCLXXX. Iconomachorum haeresin in Occidente excitavit Claudius quidam ex Hispaniis oriundus, Felicis Urgellitani discipulus, Ludovici Pii Imperatoris suffragatione ad Taurinenses insulas promotus, cujus erroribus institerunt Saeculo XII. Petro Brusiani, Henriciani, Waldenses, et Albigenses, Saeculo XIV. Wickleffitae, XV. Hussitae, XVI. Andreas Carolostadius, Ulricus Zwinglius, Martinus Lutherus, Philippus Melanchton, Centuriatores Magdeburgici, Joannes Calvinus, eorumque sectatores Protestantes, qui Imagines quidem Christi et Sanctorum in Templis suis quandoque exponunt, non ad cultum, sed solummodo ad ornatum, et repraesentationem historiarum.

DCCLXXXI. Mitius circa cultum Imaginum errarunt Galli saeculo VIII. et IX. ut tum ex Synodo *Francofordiensi* A. 794. et Conventu *Parisiensi* A. 824. tum ex illius aevi Scriptoribus, Jona Aurelianensi, Dungalo Diacono Sandionysiano, Agobardo Lugdunensi, Walafrido Strabone Augiae divitis Abbate, Hincmaro Rhemensi, ac praecipue ex libris Carolinis desumitur. Putabant illi nimirum Imagines omnino esse re-

tinendas, neque temerario ausu destruendas; sed ita, nullus ut illis honor, veneratio nulla tribueretur, atque ad spectaculum tantummodo palam exponerentur, hoc est, ad divinorum beneficiorum conservandam memoriam, et in rudiorum animis defigendam. Improbabant itaque furorem Iconoclastarum, qui Sacras Imagines destruebant, simulque cultum, ut putabant, nimis effusum, quo Graeci Orthodoxi, atque Itali sacras Imagines prosequebantur per luminaria, thymiamata, oscula, inclinationes etc. quae obsequia Galli non Sanctorum imaginibus, sed eorum tantum reliquiis, Evangelio ac Cruci deferebant. Quin eo audaciae progressi sunt Gallicani Praesules aliqui, ut in Conventu Parisiensi sub Ludovico Pio Imperatore Anno 824. non tantum Nicaenum II, quod etiam in Francofordiensi Concilio actum fuerat, verum etiam dogmaticam de cultu Imaginum Hadriani I. Epistolam, ad Constantinum et Irenem datam, superstitionis et erroris arguere temerarie sint ausi, putantes Nicaenam II. Synodum a Romano Pontifice confirmatam non fuisse: qua in ignoratione Romana Ecclesia Francos permanere passa est, praevidens, si urgeretur VII. Synodi authoritas in re fidei, fore ut Christi Ecclesia, ex Francorum universae fere Christianitati in Occidente dominantium pertinacia, foedissima atque immedicabili conscissione laceraretur. Vide dicta Num. CLXXXIX. etc.

DCCLXXXII. Circa cultum Sacrarum Imaginum duplex institui potest quaestio. I. Utrum sacrarum Imaginum cultus sacer repugnet legi divinae, sive utrum licitus sit et honestus. Atque haec quaestio ad fidem pertinet. II. Utrum, spectatis omnibus circumstantiis, expediat Sanctorum Imagines in Templis venerationi fide-

lium exponere. Atque haec quaestio pertinet ad disciplinam, quae mutationi est obnoxia. Nos in praesenti controversia Protestantibus facile damus, I. Usum Imaginum ex eorum genere esse, quae adiaphora nominantur, quae scilicet ad salutem omnino necessaria non sunt nec ad substantiam religionis pertinent; sed in potestate sunt Ecclesiae ut ea vel adhibeat, vel ad tempus ableget, prout satius esse judicaverit. II. Imagines Sanctorum colendas non esse supremo adorationis cultu, nimirum latriae. III. Superstitionem omnem, si ex ignorantia vel simplicitate populi in cultum sacrarum Imaginum irreperet, Pastoribus Ecclesiae sollicite removendam esse. IV. Imagines Sanctorum a nobis non eo modo colendas esse, quo ab Ethnicis colebantur idola, neque spem in ipsis imaginibus reponendam esse. Hoc tantummodo asserimus, licitum esse atque honestum sacras Imagines religioso, vel sacro cultu prosequi.

DCCLXXXIII. Atque in hoc solummodo statum quaestionis versari evidenter colligitur ex duobus Conciliis Oecumenicis, Nicaeno II. et Tridentino, quae doctrinam Catholicam de cultu Imaginum nitidissime exponunt. Neque Protestantes dicere possunt, aliud nunc doceri a Catholicis; cum ignorare nequeant, sacerrimam apud Catholicos esse Conciliorum Oecumenicorum, quae Ecclesia approbavit, authoritatem, nobisque nefas esse vel latum unguem ab illorum doctrina recedere. Nicaenum itaque II. Actione VII. sic in definitione fidei pronuntiat: *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et Catholicae traditionem Ecclesiae, (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine et diligentia, sicuti figuram pretio-*

sae ac vivificae Crucis, ita venerabiles et sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter, in Sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae Sanctae Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam naturam divinam decet, impertiendam. Ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae Crucis, et sanctis Evangeliis, et reliquis sacris monumentis incensorum et luminum oblatio ad horum honorem conficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio Sanctae Catholicae Ecclesiae, quae a finibus usque dd fines terrae suscepit Evangelium.

DCCLXXXIV. Concilium *Tridentinum* Sess. XXV. in Decreto de invocatione Sanctorum, et sacris Imaginibus ait: *Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis - - - ut fideles - - - de legitimo Imaginum usu diligenter instruant, docentes eos - - Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in Templis praesertim habendas et retinendas, eisque de-*

bitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentilibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.

DCCLXXXV. *Conclusio I.* Quamvis non ita frequens, fuit tamen aliquis Sacrarum Imaginum usus apud Christianos, primis tribus saeculis. Prob. I. *Eusebius* Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XVIII. a muliere Evangelica, quae vestium Salvatoris contactu a sanguinis profluvio sanata fuit, in accepti beneficii memoriam statuam aeneam Christo erectam, atque a se visam fuisse Paneade, seu Caesareae Philippi his verbis testatur. *Juxta januam domus illius aenea mulieris effigies stare dicitur, columnae lapideae imposita, flexis genibus, protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri, ex eodem metallo conflata, stantis, ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis, ad cujus pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta, quae ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre ajebant; nosque adeo illam urbem ingressi ipsam conspeximus.* Statua haec postea a Ju-

liano Apostata destructa fuit; frusta autem a Christianis collecta, et in Ecclesia decenter reposita sunt, ut refert *Sozomenus* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XX. Statuae hujus praeter Eusebium meminerunt *S. Asterius* Amasenus apud *Photium* Cod. CCLXXI. *Antipater* Bostrensium in Arabia Episcopus, *S. Germanus* Patriarcha CPolitanus, *S. Gregorius II.*, et Patres *Nicaenae II.* Synodi. II. Christus ipse imaginem suam ad Abgarum Edessae Regem misit, ut referunt genuina Acta *SS. Samonae et Guriae* Martyrum Edessenorum circa annum 306. *Procopius*, *Evagrius* Lib. IV. Cap. XXVI. *S. Joannes Damascenus* Oratione I. de Sacris Imaginibus, et Lib. IV. de fide Orthodoxa Cap. XVII. *S. Germanus* CPolitanus in Actis S. Stephani junioris. *S. Gregorius II.* in Epist. ad Leonem Isaurum. *Nicaenum II.* Actione V. *Theophylactus Simocatus* Lib. II. et III. Hist. Mauricianae. *Cedrenus*, *Michael Glycas*, *Nicephorus Callistus* Lib. II. Cap. VII. *S. Hadrianus I.* in Epistola Apologetica ad Carolum Magnum, *Theophanes*, *Joannes Curopalata*, *Zonaras*, *Constantinus Porphyrogenitus* CPolitanus Imperator, ac Menologium Graecorum ad diem XVI. Augusti. Vide *Jacobum Gretserum* Tomo XV. in Syntagmate de Imaginibus manu non factis. III. Ex *Tertulliano* Cap. X. de Pudicitia discimus, imaginem Christi sub Pastoris habitu a veteribus Christianis pingi solitam fuisse. IV. *Eusebius* loco superius citato dum narrationem absolvit de aenea Christi statua, subjungit: *Nec vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos haec praestitisse; cum et Apostolorum Petri ac Pauli, Christique ipsius pictas imagines, ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus.* V. *S. Au-*

gustinus Lib. I. de Consensu Evangelistarum, Cap. X. de quibusdam Ethnicis loquens, qui libros nescio quos a Christo scriptos ad Apostolos Petrum et Paulum comminiscebantur, ait: *Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos qui ei familiarius adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur: et occurrit eis Petrus et Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem, celebrius solemniter Roma commendat.*

DCCLXXXVI. Caeterum, quod primis tribus saeculis rarior fuerit apud Christianos Sacrarum Imaginum usus, gemina assignari potest ratio. I. est, ut observat *Petavius* Dogmatum Theologicorum Tomo VI. Lib. XV. Cap. XIII., quia cum plenis adhuc velis Gentilium superstitio ferretur, multa primis illis Ecclesiae temporibus vel non inutilia per se se, vel etiam commoda supprimi, omittique satius visum est; dum periculum erat, ne offensionis aliquid traheret externa quorumdam rituum species, cum iis quae ab Ethnicis celebrabantur, similitudine ipsa congruens: velut ne Imagines Christi atque Sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, a rudibus et imperitis haberentur: quemadmodum de Marcellina Carpocratis discipula memoriae prodiderunt *S. Augustinus* Lib. de Haeres. Cap. VII. et *S. Epiphanius* Haer. XXVII., quae imaginem Jesu et Pauli cum imaginibus Homeri et Pythagorae colebat, Gentiumque mores et mysteria circa eas perficiebat, adorando, incensumque ponendo. Ut igitur fidelium animus ab inanium simulacrorum consuetudine ac

memoria longius avocaretur, ac ne Gentiles idola detestantibus, ac dissuadentibus nostris qualescumque illis effigies vicissim objicerent, credibile est, parcius a Christianis primis tribus saeculis, quibus crudelissima Christiani nominis vexatio cursum suum tenuit, usurpatas fuisse Imagines. Pace autem et libertate per Constantinum reddita, Imagines Christi et Sanctorum palam propositae sunt in Templis et Oratoriis; cum jam nullum Idololatriae periculum esset, et ad propagandam Christi et Martyrum memoriam, animandosque ad pietatis constantiam illorum exemplo fideles, utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis, eodem instituto ac tempore constat esse factum; sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus et indoles erat: et qui illis praeerant, expedire judicabant. Altera ratio est, quia Ecclesia ex Gentilibus et Judaeis formanda erat, omnisque scandali et offensionis occasio procul ab iis removenda. Constat autem Judaeos a simulacris et imaginibus vehementer abhorruisse. Ne igitur absterrerentur illi a Religione Christiana, Ecclesia ad tempus removeri voluit ab eorum oculis imagines.

DCCLXXXVII. *Conclusio II.* Saeculo IV. et V. frequens fuit in Ecclesia Dei Sacrarum Imaginum usus. Prob. Authoritate Patrum, qui temporibus illis vixerunt, Sacrarumque Imaginum diserte meminerunt. *S. Basilius* Orat. de S. Barlaam ait, gaudere se, quod melius pictores expresserint manum ejus pro Christo combustam, quam ipse oratione descripserit. *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. XXIII. testatur, Angelos corporea forma cum candore et splendore vestium pingi ad designandam naturalem ipsorum puritatem. *S. Gregorius Nyssenus* in Oratione de Filii, et Spiritus Sancti Divinitate memi-

nit Abrahami, ejusque sacrificii in tabulis depicti, et ad hujus aspectum magnam se vim lacrymarum profudisse asserit. *Idem* in Oratione de S. Theodoro Martyre scribit, parietes Basilicae hujus Martyris picturis decoratos fuisse, quibus Martyris certamina coloribus expressa visebantur. S. Ambrosius Epist. LIII. Pauli effigiem itidem coloribus expressam fuisse docet, ubi de SS. Gervasio et Protasio sibi per visum oblatis loquitur: *Cum quadam*, inquit, *mihi tertia persona apparuerunt, quae similis esse Beato Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat.* Asterius Amaseae in Ponto Episcopus in Sermone Panegyrico de S. Euphemia V. et M. tabulam pictam, et ad ejus loculum appensam eleganter exponit, qua Sanctae Virginis et Martyris effigies, hac tota historia Martyrii continebatur. *S. Chrysostomus* in Oratione de S. Meletio Antiocheno fideles laudat, quod sacram ejus imaginem et in annulorum circulis, et in calicibus et phialis, et in thalamorum parietibus ubique exaraverint. S. Hieronymus in Cap. IV. Jonae. *Et revera*, inquit, *in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari.* Quod ex veneratione et amore adversos Apostolos ortum, eorum imagines in pretio apud Christianos fuisse probat. *S. Augustinus* Serm. CCCXVI. alias XCIV. de Diversis, meminit imaginis pictae, qua Martyrium S. Stephani exhibebatur. *Dulcissima pictura est haec*, inquit, *ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.* S. Paulinus Nolanus in Italia, ac Severus Sulpicius in Aquitania conditas a se Basilicas picturis et imaginibus exornarunt, ut ex Paulini Epistola XII. constat. Idem *S. Paulinus* in Natali IX. S. Felicis

narrat, se in basilicae porticibus Testamenti veteris historias pingendas curasse: et cur ita fecerit, rationem hanc affert, quod ad celebrandum S. Felicis Nolani diem festum ingens rusticorum et imperitorum turba confluat, quae cum legere nesciat, librorum instar pietas istas figuras habeat. *Prudentius* in Hymno de S. Cassiano scribit, Forum Cornelii se adiisse, salutandi Martyris causa, ibique conspicatum esse ejus Imaginem in Basilica. *Theodoretus* in Vita S. Simeonis Stylitae testatur, Romae passim in officinarum propylaeis erectas fuisse Sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam et praesidium adjungerent.

DCCLXXXVIII. *Conclusio III.* Quamvis usus Imaginum Dei et Sanctissimae Trinitatis olim rarus fuerit in Ecclesia; harum tamen Imaginum usus posterioribus temporibus licite ubique invaluit, consentiente Ecclesia. Prob. I. pars Conclusionis. Dei et Trinitatis Imagines improbarunt plurimi ex Patribus, *Tertullianus* Lib. de Spectaculis Cap. XXIII. *Clemens Alexandrinus* Lib. VI. Stromatum, *Origenes* Lib. VIII. contra Celsum, *Minucius Felix* in Octavio, *Lactantius* Lib. II. Institut. Cap. II. *S. Augustinus* Lib. de Fide et Symbolo Cap. VII. *S. Joannes Damascenus* Lib. I. de Imaginibus. *S. Germanus* CPolitanus in Epistola ad Joannem Synadensem. *S. Gregorius* II. in Epistola priore ad Leonem Isauricum Imperatorem scribit: *Cur Patrem Domini nostri Jesu Christi spectandum minime proponimus, ac pingimus? Nimirum quia nescimus qui sit, et Dei naturam in conspectum adducere, ac pingere nemo potest. Quod si eum vidissemus, ac nossemus sicut Filium ejus; etiam ipsi videndum proponere, ac pingere possemus.* Nicaenum II. Actione VII. negat, invisibilis atque incomprehen-

sibilis Dei imaginem a Christianis fieri: admittit tamen Angelos depingi posse, quia ut homines apparuerunt. Cur vero hi Patres rejecerint Dei, aut Sanctissimae Trinitatis imaginem, ratio est tum ea, quam assignavit *S. Gregorius* II. in Epistola ad Leonem Imper. superius laudata: tum etiam ne Deus crederetur esse corporeus, erroresque Antropomorphitarum renovarentur, aut Gentilium. Diis suis membra tribuentium.

DCCLXXXIX. Quamvis vero in antiqua Ecclesia rarus fuerit, fuit tamen aliquis Imaginum Dei, et SS. Trinitatis usus. S. Basilius, teste S. Amphilochio, columbas Spiritum Sanctum repraesentantes suspensas habuit. S. Paulinus Episcopus Nolanus, Sancto Augustino conjunctissimus, in Epistola XII. ad Severum Sulpicium, commendat narratque picturas, quibus ornari curaverat Basilicam S. Felicis Martyris Nolani, aere suo aedificatam. Inter caetera vero Trinitatis effigiem, musivo opere descriptam in Basilica, his versibus exponit: *Pleno coruscat Trinitas mysterio: Stat Christus agno: vox Patris coelo tonat. Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.* In libello supplici Clericorum et Monachorum Antiochensium contra Severum Acephalorum ducem ad Joannem CPolitanum Patriarcham, qui lectus fuit in Synodo CPolitana sub Menna, anno 536. Actione V., haec leguntur apud Harduinum Tomo II. Concil. Columna 1319. *Neque utique* (Severus) *ipsis sanctis altaribus pepercit: neque sacris vasis parcens, alia confringens, alia autem conflans similibus suis erogat. Praesumptum est autem ab ipso et hoc, o beatissimi: nam columbas aureas et argenteas in formam Spiritus Sancti super divina lavacra et altaria appensas, una cum aliis sibi appropriavit: di-*

cens non oportere in specie columbae Spiritum Sanctum nominare.

DCCXC. Prob. altera pars Conclusionis I. Deus visus est corporea specie Adamo, tamquam homo deambulans in Paradiso, Jacobo tamquam homo innixus summitati scalae, Micheae ut sedens in solio, Danieli ut antiquus dierum. Spiritus Sanctus in forma columbae et ignis apparuit. Praeterea Scriptura tribuit Deo membra humana, dum dicit eum stare, sedere, ambulare: Caput nominat, pedes, brachia etc. Ergo cum fundamentum habeatur in Scripturis, nullumque subsit amplius erroris periculum, ne populus Deum corporeum esse existimet, talem poterit pictura exhibere, qualem depingit Scriptura. II. Concilium *Nicaenum II.* approbavit Act. V. imaginem Spiritus Sancti in forma columbae, et imagines Angelorum, quia ita apparuerunt. Ergo a pari Pater divinus depingi potest, prout apparuit. III. Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis usui huic ab aliquot jam saeculis introducto se numquam opposuit: immo Alexander VIII. propositionem hanc inter damnatas ordine XXV. solemni decreto proscripsit: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.* IV. Praxis haec nulla solida ratione enervari potest: Nos enim Deum, vel SS. Trinitatem non pingimus ad exprimendam perfectam similitudinem Dei, ac naturam: neque Deum corporeum esse existimamus; sed id agimus vel ad historiam aliquam exibendam, vel ad explicandam naturam Dei per analogiam, seu metaphoricam mistycamque significationem, quo modo pingimus Christum in forma Agni, et Evangelistas repraesentamus per aquilam; leonem, bovem, et hominem.

DCCXCI. *Conclusio IV.* Sacer cultus Sacrarum Imaginum licitus et honestus est, neque Legi divinae ullo modo adversatur. Prob. Conclusio tum negative; quia is ostendi non potest divina aliqua lege vetari, cum nullam prorsus includat superstitionem: tum etiam argumentis positivis. Ac 1. quidem. Arca, quae Psalmo XCVIII. *Scabellum pedum Domini* vocatur, propter relationem ad Deum cultu religioso colebatur a Judaeis, narraturque II. Reg. Cap. VI. quanta veneratione, quam sacra solemnique pompa, quam religioso apparatu David Rex et Propheta Arcam e domo Abinadab, et e domo Obededom Jerosolimam reduxerit. Quae autem Arcae adhibebatur veneratio, nec honor mere civilis erat nec soli Deo debitus cultus; sed reverentia et honor rei sacrae, et ad religionem pertinenti debitus. Gradum igitur aliquem religiosi cultus rebus sacris impendere, earum intuitu ad quas referuntur, et quarum respectu sanctae dicuntur, a lege Dei non est alienum; immo eidem maxime consentaneum est. Igitur nec religiosus cultus imaginum Christi et Sanctorum ullatenus repugnat Legi Dei. Augustum pariter *Jesu* nomen, quod transitoria est Christi imago, honoramus, praedicante Apostolo ad Philippenses Cap. II. *In nomine Jesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* Ergo etiam Imagines Christi et Sanctorum licite et honeste veneratione religiosa prosequimur, ob relationem ad prototypon, cum etiam Sancti in se honore ac veneratione digni sint, ut ostendimus Controversia IV.

DCCXCII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Basilius Epistola CCCLX. alias CCV. ad Julianum Apostatam scribit: *Historias imaginum illorum* (Sancto-

rum) *honoro et palam adoro. Hoc enim nobis traditum a Sanctis Apostolis non est prohibendum : sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum historias erigimus.* S. Gregorius Nyssenus, S. Asterius, S. Paulinus etc. Numero DCCLXXXVII. a nobis laudati, ajunt, Imagines Sanctorum honorifice in Templis collocatas fuisse. S. Gregorius M. Lib. VII. Epist. LIII. ad Secundinum scribit: *Scio quod imaginem Servatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* Denique Patres, ut priori Controversia expendimus, ajunt, reliquias Sanctorum esse colendas. Ergo etiam imagines; cum non minus reliquiae quam imagines vita et sensu careant.

DCCXCIII. Prob. III. Authoritate Conciliorum, *Romani* sub S. Gregorio II. ac *Nicaeni II.* Oecumenici, quod ratum habitum est a *CPolitano IV.* Generali ac *Tridentino.* Vide dicta Num. DCCLXXXIII., et DCCLXXXIV. Accedit praxis Ecclesiae, et authoritas quae Iconomachos pro haereticis semper habuit. IV. Ex miraculis, quibus Deus cultum Sacrarum Imaginum acceptum sibi esse testatus est. Pleni sunt Graecorum et Latinorum libri. *Nicaena II.* Synodus CCCL. Episcoporum, plura enumerat, paulo ante Synodum patrata, v. g. illud de statua Christi Berytensi a Judaeis pessime habita, ex qua copiose erumpens sanguis Orientis et Occidentis Ecclesias ditavit. Silentio praetereo prodigiosam herbam prope statuam aeneam Christi Paneade succrescentem, de quâ *Eusebius* Lib. VII. Hist. Eccles.

Cap. XVIII. stupenda Edessenae Imaginis, Lauretanae, Erimitanae, atque Oettinganae prodigia, de quibus nemo ambigere queat, nisi emotae mentis sit, aut projectae audaciae, qui omnem humanam fidem subrutam velit.

DCCXCIV. Prob. V. Licite et honeste Imaginibus ac statuis Regum et Principum civilem honorem deferimus. Ergo etiam licite et honeste Imagines Christi et Sanctorum cultu prosequimur sacro ac religioso, ob excellentiam supernaturalem, gratiam nimirum et gloriam. Praeterea Imagines capaces sunt injuriae et contumeliae, ut observat S. Ambrosius in Psalm. CXVIII. scribens: *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: et qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique, cujus statuam consputaverit, fecisse videtur injuriam.* Ergo etiam Imagines capaces sunt cultus, non civilis tantum, verum etiam sacri; non ob propriam excellentiam, sed ob excellentiam supernaturalem illius, quem repraesentant. Neque dicas, Imagines sensu carere: ex hac enim replica sequeretur, easdem neque cultus civilis esse capaces.

DCCXCV. Prob. VI. peculiariter argumento ad hominem, contra Iconomachos saeculi VIII. et IX. Si cultus Imaginum Christi et Sanctorum licitus non foret, reprobari quoque deberet adoratio Crucis, cui tamen ipsi deferebant cultum adorationis. Respondebant illi, disparitatem esse, quod Christus nos redemerit, non in imagine, sed in Cruce. At vero Christus non redemit nos in Cruce picta, argentea, vel aurea, quam ipsi adorabant; sed in illa tantum, ex qua salus mundi vere pependit. Ergo allata disparitas difficultatem non

solvebat. Aliud argumentum contra Calvino-Sacramentarios sic proponitur. Calviniani docent, Sacram Eucharistiam esse signum tantummodo corporis Christi : ac nihilominus panem et vinum, meram corporis Christi figuram ac imaginem, honorant cultu religioso, flexis genibus, nudato capite sumendo. Ergo licebit etiam imaginibus Christi et Sanctorum religiosum cultum deferre.

DCCXCVI. Caeterum cultus et usus Sacrarum Imaginum non licitus modo et honestus est, verum etiam maxime utilis, I. Ob luculenta prodigia a Deo per imagines patrata. II. Ob instructionem et eruditionem rudium hominum, quos melius docet pictura, quam Scriptura ab illis non intellecta. III. Quia imagines fovent et augent charitatem erga Deum et Sanctos. IV. Quia potentius excitamur ad imitandas praeclaras Sanctorum virtutes; cum segnius animos nostros irritent quae per aures demittuntur, quam quae fidelibus oculis subjiciuntur. V. Quia conservant in nobis memoriam Christi et Sanctorum, ac Patronos nobis commonstrant, quos in angustis rebus invocemus. VI. Quia Sanctorum Imagines colendo impietatem omnem detestari, eorumque egregias virtutes, mores ac doctrinam placere profitemur. Vide *Card. Bellarminum* de Ecclesia Triumphante Lib. II. Cap. X.

DCCXCVII. *Quaeres I.* Quonam cultu, absoluto an relativo, colendae sint Sacrae Imagines? R. eas non esse colendas cultu absoluto, eoquod, cum sint res inanimatae, excellentiam non habeant suo supposito intrinsecam; sed colendas esse cultu relativo ad excellentiam prototyporum, habentium propriam et intrinsecam excellentiam. Haec tamen veneratio Imaginis relativa est

simul indivisibiliter veneratio absoluta exemplaris, ita ut submissio externa terminetur quidem immediate ad imaginem, et mediate ad exemplar; affectus vero submissionis internae ad solum exemplar terminetur. Prob. assertio I. Authoritate *Nicaeni II.*, quod Act. VII. ait: *Imaginis enim honor ad primitivum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* II. Authoritate S. Hadriani I. in Epist. ad Constantinum et Irenem. *Sic et nos pro amore et dilectione, quam apud Dominum et Sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes, non tabulis et coloribus honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt.* III. Authoritate Tridentini Sess. XXV. in Decreto de Sacris Imaginibus: *Honos, qui eis* (Imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.*

DCCXCVIII. Neque dicas, tali pacto Imagines non vere ac proprie coli, eoquod nulla sit veneratio sine actu interno, qui juxta nostram assertionem ad solum exemplar terminatur. Respondeo enim, Imagines vere ac proprie coli veneratione relativa: quamvis enim affectus submissionis internae, quo voluntas nostra affective se submittit alteri, et ejus superioritatem affective agnoscit, ad solum exemplar terminatur; signum tamen externum, v. g. genuflexio, vel inclinatio capitis ad imaginem dirigitur, ac terminatur cum actu voluntatis exhibendi imagini signum externum submissionis, ad protestandam submissionem nostram internam, ob excellentiam Prototypi. Vide *Simonnet* Tract. X. de Incarnat. Disputatione XI. Articulo VII.

DCCXCIX. *Quaeres II.* Quid sentiendum sit de Libris Carolinis, Romam ad S. Hadrianum I. missis, quibus Nicaena II. Synodus, et cultus Imaginum impugnatur? R. *Card. Baronius* Tomo IX. Annal. Ecclesiast. ad Annum 794. Num. XXX., et *Card. Bellarminus* Lib. II. de Eccl. Triumphante, Cap. XV. aliique, negant Carolum Magnum librorum illorum authorem fuisse, his potissimum rationibus ducti. I. Quia S. Hadrianus, in suo ad Carolum Magnum responso Apologetico, solum postremum capitulum in his libris contentum Carolo Magno tribuit. II. Quia ex eodem Hadriani responso apparet, non unum, sed plures fuisse authores librorum Carolinorum, cum Pontifex semper de pluribus, et ad plures loquatur. III. Quia Hadrianus acerbius in authores illorum librorum invehitur, Carolum vero nullibi perstringit. IV. Quia temere, ac nullo ordine in illis libris congeruntur objectiones in unum fascem. V. Quia Hincmarus Rhemensis libros illos Carolinos dicit continere acta Concilii Francofordiensis: adeoque illa, quae a collectis in eo Episcopis aut dicto, aut scripto prolata sunt: quae dein in unum fascem collecta Hadriano Pontifici a Carolo transmissa fuisse existimat.

DCCC. Contra *Natalis Alexander* Dissertat. VI. de Imaginibus ad Hist. Eccles. Saeculi VIII. Paragrapho VI. libros hos a Carolo Magno, aut ejus jussu ab alio compositos, regioque ejus nomine vulgatos fuisse asserit. I. Quia in praefatione Carolus se authorem esse profitetur, ac Pipinum Regem venerandae memoriae genitorem suum appellat. II. Quia in Epistola Synodali Conventus Parisiensis A. 824. sub Ludovico Pio dicitur, quod Carolus Capitula quaedam Nicaeni II., quae re-

prehensioni patebant, annotarit, eaque Hadriano direxerit, ut illius judicio et authoritate corrigerentur. III. Quia Hadrianus in sua ad Carolum Magnum responsione testatur, se accepisse hoc Capitulare adversus Synodum, quae pro Sacrarum Imaginum erectione in Nicaea habita est, per Angilbertum Abbatem, Caroli Legatum. IV. Quia Hincmarus Rhemensis Libro contra Hincmarum Laudunensem Cap. XX. testatur, se, cum adolescentulus esset, legisse non modicum volumen de Synodi VII. destructione ab eodem Imperatore Carolo Romam per quosdam Episcopos missum. V. Quia exemplaria MSS. Vaticanum et Tilianum Caroli nomen praeferunt. Postremi hunc fuisse titulum Tilius ipse Meldensis Episcopus prodidit: *In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit opus Illustrissimi et Excellentissimi seu spectabilis viri Caroli, nutu Dei Regis Francorum.*

DCCCI. Consideratis omnibus dicendum videtur, libros illos neque a Carolo, neque ab alio ejus jussu et nomine conscriptos fuisse: sed quod Carolus tantum oblatas sibi Galliae Germaniaeque Episcoporum objectiones contra Synodum Nicaenam, et cultum Imaginum, in unum fascem collegerit, atque ex hoc capitum dumtaxat lemmata seu titulos, non autem libros ipso Hadriano transmiserit, adjecta epistola sua, qua studium suum pro Ecclesia, atque hoc ipsum negotium non nisi zelo gloriae Dei, et veritatis studio a se susceptum commendabat. Huic syllabo titulorum suum sensum in ultimo capitulo adjunxit, dicendo, se judicare secundum id, quod olim S. Gregorius Papa ad Serenum Massiliensem Episcopum scripsit. Sane libros ipsos ad Hadrianum missos non fuisse, agnoscit ipsemet Natalis

Alexander, et colligitur I. ex eo, quod nec argumentis omnibus, nec conviciis, quae toto illo opere continentur, Pontifex responderit, responsurus utique si legisset. II. Quia nec ad singula capitum lemmata respondet, nec eo, quo in libris illis proposita sunt, ordine. III. Quia Hadrianus in Apologia Cap. XXV. postremum capitulum ex misso ad se, ut vocat, Capitulari refert, quod tamen in libris Carolinis non extat. Itaque non inanis est conjectura, Carolinos libros aliquot annis ante Francofurtensem Synodum fuisse conscriptos, nempe post triennium a Nicaena II. Synodo, id est, circa A. 790., ut ipsius Carolini operis praefatio testatur: postquam Acta Synodi Nicaenae e Graeco in Latinum translata in Gallias perlata sunt. Quae Acta cum Francofurtensis Concilii Patribus displicuissent, atque ea de re Hadrianum illi certiorem facere decrevissent, Caroli opera vel mandato, excerpta fuere ex libris illis Carolinis lemmata capitum, non eodem quo in libris erant, sed quo visum est collectori, ordine. Haec capitula Romam a Carolo transmissa nomen ab eodem traxerunt, quod postea una cum ejus epistola in libros illos translatum est, qui propterea, etsi nec scripti a Carolo fuerint, nec ejus jussu, libri Carolini deinde appellati sunt. Certe hos libros authorem non habere Carolum Magnum longe verisimilius est; eoquod acerba illa convicia, et graves contumeliae, quibus scatent omnes paginae, majestati, sapientiae, et moderationi Caroli, quam in omnibus aliis aeque arduis negotiis, praesertim vero erga Sacros Antistites semper exhibuit, minime convenire videantur. Consule *Petavium* Theolog. Dogmatum Tomo VI. Lib. XV. Cap. XII., et *Leonardum Grebnerum* in Tractatu Historico-Juridico de sta-

tu Ecclesiae sub Regibus et Imppi. Stirpis Carolingicae Parte III, Observatione VIII.

OBJECTIONES.

DCCCII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Infirmitas argumenti, quod ex aenea Christi statua petitur. Nullus antiquorum Scriptorum, ante Eusebium, statuae illius meminit, non Tertullianus, non Justinus, non Minutius Felix. Ergo probabilius est fabula. II. Evangelistae silent de statua, narrantque Marcus et Lucas mulierem illam, antequam a Christo sanaretur, omnem substantiam suam in Medicos erogasse. Ergo a muliere illa statua aenea non fuit erecta. III. Est incredibile, quod statua illa, fervente Gentilium persecutione, per tria omnia saecula integra et incolumis manserit. IV. Factum mulierculae simplicis, e paganismi luto emergentis, non probat usum et cultum Imaginum esse licitum. R. ad I. N. C. Eusebius multa narrat, ab aliis ante ipsum Scriptoribus non memorata, de quorum tamen veritate nemo dubitat. Quare dicendum est, famam statuae illius ad Tertullianum, Minutium Felicem, et Justinum non pervenisse, aut saltem eos putasse, inutilem fore statuae hujus mentionem apud illos, qui luculenta Christi miracula, eaque quae quotidie in Ecclesia a Martyribus patrabantur, ut praestigias rejiciebant, more Protestantico. Ad II. R. plurima, quae Christus dixit patravitque, in Evangelio non continentur; scribit enim S. Joannes Cap. XXI. v. 25. *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Quid

ergo mirum, quod Evangelistae statuae a muliere illa postea erectae non meminerint; praecipue cum longe probabilius sit, mulierem nullo Christi praecepto adactam id egisse, sed sponte sua ad contestandum pro tanto beneficio gratum animum. Quamvis autem Evangelistae narrent, mulierem in medicos erogasse omnem substantiam suam; non tamen per ea verba denotare voluerunt, nihil ei amplius superfuisse, sed maximos sumptus illam fecisse valetudinis causa. Recreata itaque ab aegritudine instaurare potuit rem domesticam, quo ipsi erigendae statuae modus suppeteret, aut procurare, saltem, ut a praedivite ejus urbis cive in tantae rei monumentum aenea statua Christo erigeretur. Ad III. R. Christiani nominis hostes aut ignorarunt eam esse Christi statuam, aut de ea evertenda, Deo illam servare volente, non cogitarunt. Ad IV. Quamvis factum mulieris id non probaret, probant tamen prodigia per herbam illam ad statuae pedes succrescentem patrata. Neque dicas, miracula illa valde incerta esse, eoquod Eusebius de illis verba faciens, utatur voce, *Dicitur*. Idcirco enim Eusebius voce illa utitur, quod noluerit instar testis oculati miras illas sanationes commemorare, quas propriis oculis non spectaverat, sed ab aliis narrantibus, ac fide dignis acceperat. Vide *Honoratum* a *S. Maria* Lib. IV. Animadversionum in regulas et usum Critices, Dissert. II. Art. III.

DCCCIII. *Objicitur II.* Infirmitas argumenti, quod ex Edessena Christi imagine petitur. Eusebius Caesariensis, quamvis Epistolam Abgari ad Christum, et hujus ad illum Historiae suae intexuerit, petitasque ex Ecclesiae Edessenae tabulario ex Syriaca in Graecam linguam transtulerit, nullum tamen de Edessena Chri-

sti imagine verbum facit. Ergo. II. Evagrius fabulator primus est, qui hujus Imaginis mentionem fecit, falsoque citat Procopium, apud quem nihil tale legitur. R. ad I. N. C. Unius auctoris silentium anteponendum non est aliis id aperte testantibus. Quod vero Eusebius Edessenam Christi imaginem silentio praeterierit, mirandum non est, cum Arianus homo alienus fuerit ab Imaginibus Christi, ut facile patet ex ejus Epistola ad Constantiam Licinii Imperatoris uxorem, (siquidem illa genuinus sit Eusebii foetus, et non ab Iconoclasta aliquo supposita ac conficta, ut putat *Petavius*, eoquod Eusebiani styli et characteris venam non habeat.) Sciscitanti enim Augustae, ut mitteret ad se Imaginem Christi Salvatoris, intellige ad vivum expressam, quam in Palaestina, ubi Christus vixerat, facilius inveniri putabat, respondit Eusebius, hanc a se mitti non posse. *Aut enim*, inquit, *petis imaginem Christi secundum Divinitatem*; *et haec nulla figura exprimi potest*: *aut secundum carnem et formam servi*, *quam pro nobis induit*; *sed neque hoc modo depingi poterit*, *quandoquidem mortalitas ejus a gloria Divinitatis absorpta est*. Quibus verbis praelusisse dicendus foret Eusebius erroribus Apollinaristarum et Eutychianorum. Ad II. N. A. De ea imagine meminerunt Acta SS. MM. Samonae et Guriae, qui sub initium saeculi IV. passi sunt, et Procopius saeculi VI. Scriptor, ex quo narrationem illam Evagrius deprompsit. Et quamvis illa in Libro II. Procopii de bello Persico hodie non amplius extent, eoquod textus integer ad nostram aetatem non pervenerit, extabant tamen temporibus Evagrii, qui diserte affirmat ea se descripsisse ex Procopio.

DCCCIV. *Objicitur III.* contra IV. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Exodi Cap. XX. Deus diserte prohibuit, ne ullum fiat sculptile: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra.* Ergo lege divina positiva prohibitus est usus et cultus Imaginum. R. I. N. C. Quamvis Deus in antiquo Testamento prohibuisset Judaeis omnem imaginum et simulacrorum usum, eoquod rudis ille populus valde pronus fuerit ad idololatriam, atque exemplo Gentilium ad illam facile pertrahendus: minime tamen sequitur, legem hanc positivam perpetuam fuisse, atque ad Christianos omnium temporum extendi, saltem pro illius circumstantiis quibus nullum idololatriae periculum imminet. Sic etiam lex abstinendi a sanguine et suffocato, ab Apostolis lata in Concilio Jerosolymitano justissimis de causis, Christianos omnes initio obstringebat: postea vero cessante causa, penitus abrogata est. R. II. Hac Dei lege prohiberi dumtaxat idola, id est, falsorum Numinum simulacra, vel rerum quarumvis creatarum effigies, eo fine factas, ut loco Dei adorentur; non vero imagines quascumque. Ratio id dicendi est, I. Quia id ex antecedentium et consequentium verborum serie patet. Praemittuntur enim illa verba, *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.* Ista vero subsequuntur: *Non adorabis ea, neque coles.* II. Quia omnia praecepta Decalogi, praeter circumstantiam Sabbathi, sunt juris naturalis, cui certe non repugnat usus imaginum; cum Deus ipse *Exodi* Cap. XXV. fieri jusserit aureas imagines Cherubim super Arcam, *Numer.* Cap. XXI. Serpentem aeneum: duobusque viris Beseleel et Ooliab *Exodi* Cap.

XXI. spiritum suum, sapientiam et scientiam dederit ad sculpendum, multaque excogitanda pro ornatu tabernaculi. Praeterea III. *Regum* Cap. VI. dicitur, Salomonem omnes parietes Templi sculpsisse variis caelaturis, fecisseque in eis Cherubim; et quidem Deo haud dubie inspirante, qui Templum sic ornatum postea Majestate sua replevit. III. Quia si Deus praecepto illo quidquam aliud prohibuisset, quam idolorum cultum, praecepta decalogi jam non decem, sed omnino undecim forent. IV. Quia Judaei temporibus Christi, ut patet *Matth.* Cap. XXII., habebant imaginem Caesaris in nummis, et nunc etiam absque scrupulo imagines Principum, aut Sanctorum in illis expressas retinent. Quamvis vero dicamus, Judaeis in lege veteri Jure divino imagines qualescumque prohibitas non fuisse; facile tamen concedimus, jure positivo humano, Synedrii nempe et Synagogae, ob periculum idololatriae, fas illis non fuisse, saltem extantes et protuberantes effigies retinere, aut publice proponere.

DCCCV. *Dices I.* Deus citato loco prohibuit omnem idololatriam. Ergo prohibuit omnem cultum Imaginum. P. C. Imago et idolum sunt idem. Ergo. P. A. Idolum est simulacrum Numen aliquod repraesentans, cui defertur cultus religiosus. Atqui tale aliquid sunt imagines Christi et Sanctorum. Ergo sunt idola. *Confirmat.* Judaei, quamvis in idolis suis, praecipue in vitulo aureo, unum et verum Deum colerent, lapsi dicuntur in idololatriam, quod Deum sub alieno schemate adorarent. Ergo. P. A. Vitulo aureo nullum speciale nomen imposuerunt, sed eum simpliciter Deum suum vocarunt Exodi Cap. XXXII. v. 4. *Hi sunt Dii Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et v. 5.

Cras est solemnitas Domini. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. A. Ad hujus *probat.* N. M. Idolum est falsa similitudo repraesentans id, quod revera non est. Hinc Habacuc Cap. II. v. 18. dicitur: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, et imaginem falsam?* Et I. ad Cor. Cap. VIII. *Scimus, quia idolum nihil est in mundo.* Ubi idolum *nihil* vocatur, quia licet sit aliquid secundum materiam, formaliter tamen secundum divinitatem nihil est, quia repraesentat divinitatem, quae in rerum natura non existit. Hinc divina Scriptura saepissime vocat idola, falsa, inania, mendacia, vana etc. Contra vero imago est verissima expressio sui exemplaris, juxta illud S. Gregorii Nazianzeni Orat. XXXVI. *Haec imaginis natura est, ut exemplar suum imitando referat.* Hinc Scriptura divina Verbum vocat *imaginem Dei Patris*, non vero idolum. Ergo cum imagines Christi et Sanctorum vere repraesentent Christum et Sanctos, quibus cultum divinum non exhibemus, non sunt idola. Ad *Confirm.* N. A., cujus falsitas colligitur I. ex Scripturis. Nam Deuteron. Cap. XXXII. v. 18. dicitur: *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Psal. CV. v. 19. *Et fecerunt vitulum in Horeb: et adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum. Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* II. Ex eo, quia nulla causa reddi potest, cur Judaei vitulum potius, quam aliud animal conflaverint, nisi quia Aegyptios viderant Apim adorantes. Ad *probat.* C. A. N. C. Vitulum aureum Deum vocabant, quod per crassum errorem crederent, idolum illud Deum esse, hu-

jusque beneficio ab Aegyptiaca servitute se liberatos fuisse.

DCCCVI. *Dices II.* Gentiles non putabant statuas suas aureas et argenteas esse Deos; neque cultus illis exhibitus terminabatur ad statuas, sed ad Deum referebatur, quem illae referebant: ac nihilominus dicebantur Idololatrae. Ergo ad idololatriam sufficit, quod Deus aut Sancti colantur in imaginibus. P. A. ex Celso, qui apud *Origenem* Lib. VII. dicit, ridiculam esse Christianorum sapientiam, si nihil aliud docere volunt, nisi Deum non esse lapidem, lignum, aes, aurum, ab hoc vel illo artifice expolitum et elaboratum. *Quis enim*, inquit, *alius est, nisi sit plane fatuus, qui haec Deos esse putet, non autem Deorum donaria et simulacra.* Item ex Juliano Apostata, qui in prima parte Operis sui scribit: *Nam simulacra et aras, nec non aeterni custodiam ignis, et, ut uno verbo dicam, caetera id genus omnia Deorum praesentiae signa Majores nostri constituerunt, non ut ista Deos esse credamus; sed ut ipsos per illa veneremur.* R. N. A. Duplici de causa Gentiles vere fuerunt Idololatrae. Primo, quod daemones, aut homines qualescumque, vel alias creaturas tamquam Deos adorarent: deinde quod eorum omnium simulacra Deos esse crederent, sive immutatione substantiae, sive infusione quadam et incorporatione Deorum; eaque divinis honoribus afficerent, spem in his suam ponendo, ipsisque supplicando, ac serviendo. Hoc scelere imperita maxime plebs, hoc est, major pars hominum per omnes civitates implicata manebat; quamvis doctiores ex illis, ut se a Christianorum objectionibus liberarent, ac ne de dogmate tam absurdo palam erubescere cogerentur,

communem Gentilium sententiam dissimularent, emollirentque quantum in ipsis erat, dicentes, idola non abs se coli ut Numina, sed tantum ut Numinum simulacra. Quod autem haec, quam diximus, communis fuerit Ethnicorum de suis idolis opinio, diserte probant Doctores Catholici I. ex Scriptura sacra, cui potius quam Celso et Juliano credendum est. Sapientiae Cap. XIII. v. 10. dicitur: *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum.* Psal. CXIII. *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.* IV. Regum Cap. XIX. v. 18. *Et miserunt Deos eorum in ignem; non enim erant Dii, sed opera manuum hominum, ex ligno et lapide.* Jeremiae Cap. II. *Dicentes ligno; Pater meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti. Ubi sunt Dii tui, quos fecisti tibi? Surgant, et liberent te in tempore afflictionis.* II. Ex testimonio Patrum, *S. Irenaei* Lib. III. adv. Haer. Cap. VI, *Minutii Felicis* in Octavio, *Tertulliani* in Apologetico Cap. XII. *S. Athanasii* in Orat. contra Gentes, *S. Augustini* Lib. VIII. de Civitate Dei Cap. XXIII, et Enarratione in Psalmum CXIII, *S. Cyrilli Alexandrini* Lib. VI. adversus Julianum. Unicum profero antiquissimi Scriptoris testimonium, *Arnobii* nimirum, qui ad finem saeculi III. Christiana sacra amplexus, Lib. I. contra Gentes, his verbis detestatur idola, quae paganus adoraverat. *Venerabar*, inquit, *o coecitas! nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, et ex malleis fabricatos — — — tamquam inesset vis praesens, adulabar, et beneficia poscebam, nihil sentiente trunco; et eos ipsos Divos,*

quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in ejusmodi rerum habitare materia.

DCCCVII. *Objicitur IV.* Authoritas Conciliorum. Eliberitanum Concilium Can. XXXVI. decrevit: *Placuit, picturas esse in Ecclesia non debere; ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* Ergo reprobavit cultum imaginum. II. Concilium *Cpolitanum* sub Leone Isaurico, atque alterum *Cpolitanum* sub Copronymo A. 754. definiverunt abolendas esse prorsus imagines. III. *Francofordiense* A. 794. sub Carolo Magno reprobavit, quae Synodus Nicaena II. statuerat circa cultum Imaginum. R. ad I. C. A. N. C. Doctores Catholici varie Eliberitanum hunc Canonem interpretantur. *Albaspinaeus* putat, Concilium vetuisse Dei solius imagines depingi, ne quem Gentilibus et Catechumenis immensum, invisibilem, spiritualem Christiani praedicabant, eum ipsi Gentiles et Catechumeni in ipsorum Ecclesiis, non sine errandi periculo, circumscriptum et corporeum cernerent. *Nicolaus Sanderus* censet, vetitum id fuisse, ne imagines in parietibus depictae ludibrio ac furori Gentilium exponerentur. Signa enim et statuae, ac tabulae mobiles facile poterant a Christianis alio transferri, et occultari, imminente persecutione; non vero parietibus adhaerentes picturae. *Bellarminus et Perronius* ajunt, id ab Eliberitanis Patribus decretum fuisse, ne dejectis parietum crustis picturae facile deformarentur, et inde amissa venerabili forma, potius contemptui sint, quam venerationi. Simili de causa in Codice Justinianeo Lib. I. Tit. VIII. lex promulgatur Theodosii et Valentiniani Impp. prohibens humi Salvatoris signum in silice insculpi, aut depingi, ne videlicet conspuatur,

aut conculcetur ab iis, qui sacrum in locum conveniunt. Profecto si Eliberitani Patres cultum imaginum reprobassent, graviter prohibuissent picturas ac imagines omnes Sanctorum, non in Ecclesiis tantum, verum etiam in privatis aedibus asservari. *Natalis Alexander* Dissertat. XXI. in Hist. Ecclesiast. Saeculi III. Articulo II. respondet, Patres Eliberinos revera usum imaginum prohibuisse, non quod colendas eas esse negarent; sed quod earum usus Christianae religionis primis illis saeculis, Hispanis noxius magis quam utilis futurus esset. Existimassent enim Ethnici, Christianos idola potius mutasse, quam reliquisse. Ad II. R. utrumque CPolitanum illud latrocinium nullius roboris et authoritatis esse, utpote absentibus Patriarchis omnibus, praeter Cpolitanum, ac Romani Pontificis legatis, ab Imperatoribus et Episcopis Iconomachis celebratum, a Romanis Pontificibus, atque a Nicaena II. Synodo Oecumenica reprobatum. Caeterum mirari lubet, qua fronte Protestantes utramque illam praedatoriam Synodum adeo commendent, quae, licet cultum Imaginum rejecerit, invocationem tamen Sanctorum, cultum Reliquiarum, ac Sanctae Crucis diserte asseruit. Ad III. R. cum Bellarmino, Petavio, Sirmondo, Cabassutio, aliisque viris doctissimis, Francofordienses Patres, et Episcopos Galliarum ac Germaniae Saeculo VIII. et IX. probabilius errasse in quaestione juris et facti circa causam Imaginum. Vide dicta Tomo II. in priore parte Tractatus III. de Ecclesia, Numero CLXXXIX. et CXC.

DCCCVIII. *Objicitur V.* Authoritas Patrum. *S. Irenaeus* Lib. I. adv. Haer. Cap. XXIV. ponit inter haereseos Carpocratis, quod coleret imaginem Christi et

Pauli. II. *Tertullianus* Lib. de Idololatria, Cap. III. scribit, quod diabolus statuarum et imaginum artifices saeculo intulerit. Eodem libro ait: *Ne facias simulacrum aliquod, nisi tibi Deus jussit.* III. S. Ambrosius in Orat. de obitu Theodosii scribit de Helena: *Regem* (Christum) *adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Ergo multo magis, juxta Ambrosium, gentilis est error adorare imagines. IV. S. Hieronymus Comment. in Cap. III. Danielis ait: *Sive statuam, sive imaginem auream voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo Judices et Principes saeculi, qui Imperatorum statuas adorant, et imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo.* V. S. Augustinus Lib. I. de Moribus Ecclesiae Cap. XXXIV. *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni.* VI. S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. IX. ad Serenum Massiliensem scribit: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum Imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus. - - Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum.* Ergo S. Gregorius omnem Imaginum adora-

tionem reprobavit. R. ad I. S. Irenaeus Carpocratianos non arguit, quod imagines Christi, et Pauli colerent, sed quod eas colerent Gentilium ritu, eosdemque ipsis deferrent honores, quos suis idolis Pagani impendebant: Et praeterea, quod Christum afficerent contumelia, dum ejus imaginem eo loco habebant, quo effigies Homeri, Pythagorae, Platonis, et Aristotelis. Ad II. R. Tertullianum loqui de fabricatoribus idolorum, vel de ipsis idolis, quibus Gentiles divinum cultum deferebant. Verbis illis, *Ne facias simulacrum etc.* non alloquitur Christianos, sed Ethnicos, qui exemplo aenei Serpentis jussu Dei fabricati errorem suum tutabantur. His occurrit Tertullianus dicendo: si vultis imitari Judaeos, etiam in hoc imitamini, ne ullum simulacrum sine Dei mandato faciatis. Ad III. R. S. Ambrosius loquitur de suprema adoratione latriae absoluta, quam Helena ligno Crucis nec detulit, nec deferre potuit salva pietate; sed ipsi Christo, qui pro salute nostra pependit in ligno. Quod vero adoratio aliqua Cruci exhiberi possit, nimirum relativa, paulo inferius clare asserit, scribens: *Sapienter Helena egit, quae Crucem in capite Regum levavit et locavit, ut Crux Christi in regibus adoretur.* Ad IV. R. S. Hieronymus l. c. eos arguit, qui imagines Imperatorum ethnico superstitiosoque cultu adorabant, quamvis Imperatores pro Diis non colerent. Hi nimirum statuas illas iisdem honoribus afficiebant, quibus vigente Paganismo fuerant olim effectae. Et sane effusam fuisse Graeculorum licentiam statuas et imagines Imperatorum colendi, vel ex eo cognosci potest, quod Theodosius piissimus Imperator edita lege jusserit, ut si quando ejus statuae vel imagines erigerentur, adesset Judex, curaretque, ut cultus hominum dignitatem exce-

dens supremo Numini reservaretur. Ad. V. S. Augustinus ibi damnat eos, qui ad quorumvis defunctorum sepulcra imagines ipsorum adorabant, et quidem superstitioso ritu, ut diserte ait S. Doctor. At de Martyrum imaginibus non loquitur nec de Martyrum sepulcris, ut contendunt Protestantes : Martyres enim Augustinus non vocasset mortuos, aut cadavera, sed, pro more suo, honorifico nomine eos compellasset; nec venerationem imaginum Christi ac Sanctorum secundum religionis regulas factum improbat; sed eos solummodo, qui more Gentilium defunctis parentabant, et imagines ad eorum sepulcra depictas, aut in domibus asservatas honore indebito prosequebantur. Ad VI. N. C. S. Gregorius Epistola illa ad Serenum hoc solummodo dicit, imagines illas non esse adorandas tamquam Deos ea ratione, qua Gentiles idola sua colebant; atque etiam imagines adorandas non esse propter se, in illis sistendo, quasi aliquid in se divinum habeant. Non denegat itaque imaginibus cultum relativum propter exemplaria, quae referunt, sed tantum absolutum illis abjudicat; quia in se, nullam habent excellentiam; quae tota ab exemplaribus in imagines derivatur. Profecto S. Gregorii mens, quam male assecuti fuerunt Gallicani Episcopi Saeculo VIII. et IX., clarissime colligitur ex Epistola ipsius ad Secundinum Lib. VII. Epist. LIII, ubi de imagine Christi sic loquitur: *Et nos quidem, non quasi ante Divinitatem, ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* Quae postrema verba perspicue demonstrant, Romanam Ecclesiam, et ipsum S. Gregorium imagines adorasse, hoc est, coram illis se prostravisse; sed non quasi ante Di-

vinitatem, hoc est, non ad ipsas imagines mentem suam et intentionem animi direxisse, ita ut in imagine sisteret adoratio: verum in hac respexisse prototypum, et ad eum retulisse per imaginem, cum exteriore cultu, interiorem voluntatis affectum. Vide *Petavium* Tomo VI. Theol. Dogm. Lib. XV. Cap. XVIII.

DCCCIX. *Objicitur. VI.* Factum S. Epiphanii Salaminensis in Cypro Episcopi, qui in Epist. ad Joannem Jerosolymitanum ita scribit: *Praeterea audivi quosdam murmurare contra me: quia quando simul pergebam ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, et venissem ad villam, quae dicitur Anablatha, vidissemque ibi praeteriens lucernam ardentem — — inveni velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiae, tinctum atque depictum, et habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam, (non enim memini, cujus imago fuerit.) Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra authoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, et magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent.* Paulo post ait se ex Cypro velum aliud misisse: *Nunc autem misi, quod potui reperire; et precor ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore, quod a nobis missum est; et deinceps praecipere in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quae contra Religionem nostram veniunt, non appendi.* Ergo S. Epiphanius cultum Imaginum reprobavit. R. C. A. N. C. Baronius, Bellarminus, Possevinus, aliique ab Iconoclastis corruptam fuisse hanc S. Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum Epistolam opinantur. Verum, quamvis eam genuinam esse, neque in fraudis suspicionem

merito vocari posse daremus, ut complures Eruditi sentiunt, *Petavius*, *Natalis Alexander*, et *Gabriel Vasquesius* Lib. II. de Cultu Adorationis, Disput. V. Cap. III., aio tamen, nihil omnino Imaginum cultui repugnans erui ex illa posse. Nam I. Epiphanius velum illud abstulit, sciditque, quod imaginem referret, non Sancti alicujus, aut Christi, sed profani hominis. Si enim imago illa alicujus Sancti fuisset, non diceret Epiphanius, *Habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam*, sed eam imaginem Christi aut Sancti vocasset. Particulam ergo *Quasi* addidit, ut ostenderet velum illud pendens ante fores templi cum ea imagine, honoris gratia ita positum fuisse, ac si esset Christi aut alicujus Sancti, quorum imagines venerationis gratia in templo collocantur. Addit vero parenthesin, ut indicaret, se scire non potuisse, cujusnam hominis profani illa esset imago. Praeterea ipse S. Epiphanius citatis paulo ante verbis, subjungit: *Illi contra murmurantes dixerunt: si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, et mutaret*. Quibus auditis ipse promisit, se aliud daturum, et cessavit murmuratio. At si Epiphanius sacram imaginem, quam populus Anablathanus colebat, cum injuria abscidisset, contra ipsum populus acrius murmurasset, nec solum in satisfactionem injuriae aliud velum postulasset, sed crimen etiam Iconomachiae ipsi objecisset. II. *S. Damascenus* Orat. I. de imaginibus testatur, discipulos S. Epiphanii ei demortuo Imaginem in templo posuisse. Atqui incredibile est, id illos ausuros fuisse, siquidem Epiphanius Sacrarum Imaginum osor fuisset. III. Iconomachi, quamvis corraderent omnia ex scriptis Patrum, quae eorum errori favere aliquo modo videbantur, numquam tamen hunc locum Catholicis

objecerunt; claro utique argumento, nihil contra Sacrarum Imaginum cultum ex eo facto inferri posse, cujus minime alias obliti fuissent, praecipue cum duo alia testimonia Epiphanii allegarint, quae supposititia esse, atque ab Iconomachis conficta, Patres Nicaenae II. Synodi Actione VI. solide demonstrarunt. IV. Temporibus illis florebant illustres Ecclesiae Magistri, S. Basilius, S. Gregorius Theologus, S. Gregorius Nyssenus, S. Chrysostomus, qui imaginum usum et cultum in Ecclesiis Ponti, Cappadociae, Antiochiae et CPoleos approbarunt. His S. Epiphanius communione conjunctus fuit: neque verisimile est illis unum S. Epiphanium refragari voluisse. Vide *Vasquesium* l. c. Disp. V. Cap. IV.

DCCCX. *Objicitur VII.* Superstitio cultus Imaginum. Catholici imaginibus Christi et Sanctorum thus adolent, et luminaria coram illis accendunt. Ergo imagines ut Deos colunt. P. C. Ezechias IV. *Reg.* Cap. XVIII. serpentem aeneum confregit, eoquod Judaei adolerent illi incensum sicque divinum cultum illi deferrent. Ergo cum idem agant Catholici, ejusdem criminis sunt rei. II. Catholici credunt imaginibus inesse Divinitatem. Ergo illorum cultus est superstitiosus. P. A. Si non crederent imaginibus inesse Divinitatem, nullam dare possent rationem, cur ad unam potius imaginem confugiant, eamque peculiari affectu colant, v. g. Imaginem Lauretanam, Eremitanam, vel Oettinganam, quam aliam quamcumque B. Mariae, quam in privatis aedibus suis habent. Ergo. III. Imagines non sunt capaces honoris, cum sensu et ratione careant. Ergo non possunt a nobis coli. Immo, juxta principia Catholicorum, quilibet homo esset colendus majori jure, quam imagines, eoquod quilibet homo sit viva

imago Dei, ad cujus similitudinem creatus est. R. C. A. N. C. Ad *probat.* iterum N. C. Apud Judaeos idem erat ponere incensum, et sacrificare, ut patet ex Lib. IV. Regum Cap. XVII. *Et adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum.* Et IV. Reg. Cap. XXIII. *Et delevit Aruspices, quos posuerant Reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem: et eos qui adolebant incensum Baal, et Soli, et Lunae, et duodecim signis, et omni militiae coeli.* Cum igitur Judaei serpenti aeneo thus adolerent, putantes beneficia sanitatum ab ipso profecta esse, merito Ezechias illum confregit, removitque idololatriae materiam ab oculis Judaeorum. Contra Catholici licite thus adolent imaginibus, cum ritus ille ex natura sua sit indifferens, atque ex institutione hominum ad varios usus, tam sacros quam profanos usurpetur: solent enim thure res sacrae honorari, item Sacerdotes, ministri altaris, Principes, atque etiam defunctorum corpora. Ad II. N. A. *Ad probat.* iterum N. A. Ratio, ob quam una imago prae alia majori frequentia colitur, non alia a nobis assignari potest ac debet, quam quod Deus Sanctos suos in hoc potius quam alio loco praecipuo ac speciali cultu honorari velit, atque idcirco liberalius beneficia sua illic, et non alibi largiatur. Sicut enim, teste Apostolo, non omnes Sancti habent dona curationum, neque omnes habent dijudicationem spirituum: ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult. Quod si his non acquiescant Protestantes, dicant nobis, cur non per umbram Pauli, sed Petri, et non per sudaria et semicinctia hujus, sed alterius idem omnipotens ope-

rari voluerit sanitates et virtute? Ad III. D. A. Non sunt capaces honoris propter se, C. A. Propter prototypum, sive illos quos repraesentant, N. A. Et D. C. Ergo non possunt coli cultu absoluto propter propriam excellentiam ipsis imaginibus intrinsecam, C. C. Cultu relativo propter excellentiam eorum, quos repraesentant N. C. Si imagines etiam relativi cultus incapaces forent, stulte ac inepte imaginibus Principum deferretur cultus civilis. Ad sequelam Resp. Quamvis homo absolute dignus sit veneratione, quatenus imago Dei est; non proponitur tamen ab Ecclesia colendus ut imago Dei, quia periculum foret, ne homo propter se coli putaretur, cum etiam propter se homo sit capax honoris.

DCCCXI. *Objicitur VIII.* peculiariter a veteribus Iconomachis contra Imagines Christi. Quando Christi Imago coloribus exprimitur, vel sola humana natura, vel etiam divina repraesentatur? Neutrum potest dici. Ergo. P. m. Si primum; divellitur cum Nestorio divina natura ab humana; si alterum; cum divina natura sub sensus cadere nequeat, consequens est, Divinitatem in carnem fuisse conversam, ut Monophysitae, sive Eutychiani quidam somniabant. Ergo, quidquid dicatur, imago Christi pingi non debet. Ita veteres Iconomachi in Oriente saeculo VIII. R. I. retorquendo. Quando Princeps coloribus exprimitur, vel solum corpus repraesentatur, vel etiam anima? Non anima; quia cum substantia spiritualis sub sensus cadere non possit, consequens foret, animam mutatam fuisse in carnem: Non solum corpus; quia sic separaretur, ac divelleretur a corpore anima. Ergo nulla imago referre potest viventem Principem. R. II. C. M. N. m., et dico, eos qui Christi imaginem pingunt, solam illius externam corporis

speciem ac formam coloribus repraesentare; non animam aut Divinitatem. Ad *probat.* N. A. Quamvis sola externa corporis species repraesentetur, sine, vel potius non cum anima et Divinitate, neutiquam tamen re ipsa separatur, aut dividitur divina natura ab humana: sicut in Principis adhuc viventis imagine anima non disjungitur a corpore, quamvis illa penicillo adumbrari nequeat. Nimirum de ratione imaginis non est, subjicere oculis omnes partes, quibus constat prototypon; sed solum externam corporis speciem, quae reliquas partes non expressas subindicat.

CONTROVERSIA VIII.

DE CULTU ET ADORATIONE CRUCIS, AC RELIQUORUM PASSIONIS DOMINICAE INSTRUMENTORUM.

Contra Paulicianos, Petrobrusianos, Protestantes.

DCCCXII.

Venerandae Crucis signum, atque in ea pendens Redemptor, primis jam nascentis Ecclesiae temporibus, Judaeis, teste Apostolo, fuit scandalum, Gentibus stultitia. Hinc sacrorum in Palaestina locorum sanctitatem saeculo II. Hadrianus Imperator pollui, sanctum sepulcrum terra oppleri, templumque in eo loco Veneri dicandum excitari jussit, ut Christiani ad eum locum, quo Christus Dominus fuerat conditus, si devotione tacti venissent, eo se contulisse viderentur, ut inane impurae illius Deae Numen adorarent.

Inter Christianos, primis VIII. saeculis nullus inventus est, qui sanctae Crucis cultum oppugnarit: hanc enim sacerrimam habebant etiam Iconomachi tam in Graecia, quam in Galliis; quamvis hac in re consequentiam doctrinae non tenerent, ut Orientalibus exprobat S. Joannes Damascenus Lib. II. de Imaginibus, his verbis: *Nonne materia est Crucis illud ter beatum ac fortunatum lignum? Nonne materia est augustus ille sanctusque collis, qui Calvariae locus dicitur? Nonne materia est salutaris illa petra, nempe Sepulcrum Domini, fons nostrae resurrectionis? Nonne materia est atramentum et pelles, in quibus Evangelia describuntur? Nonne materia est mensa vivifica, quae nobis panem vitae suppeditat? Non materia est aurum et argentum, ex quibus Cruces et sacri disci ac pocula fabricantur? Et ante omnia ista nonne materia est Domini corpus et sanguis? Aut igitur horum omnium cultum adorationemque tolle: aut Ecclesiasticae traditioni etiam Imaginum adorationem permitte.* Idem exprobravit Leoni Armeno Iconoclastarum fautori *Theodorus Studita*, eodemque argumento Synodo Septimae adversantes Gallos, et Imaginum venerationem improbantes refellit *Anastasius* Bibliothecarius in Praefatione ad Nicaenam II.

DCCCXIII. Primus itaque inter Christianos cultui Crucis adversatus esse perhibetur saeculo IX. Claudius Hispanus, Felicis Urgellitani discipulus. Hic Ludovici Pii Imperatoris suffragatione Taurinensis in Subalpinis factus Episcopus, simul atque in eam civitatem venit, tum Imaginibus, tum Crucibus bellum excidiumque denuntiavit, et in Theodemirum Abbatem, qui scriptis ad eum litteris factum ipsius incusarat, mor-

daci et amarulenta Epistola est invectus: Hujus Epistolae sententias quasdam et excerpta *Jonas Aurelianensis* descripsit, ac singillatim refutavit tribus in libris, quos de cultu Imaginum edidit. Eodem saeculo Crucem in Oriente execrati sunt Pauliciani, a Joanne et Paulo Callinicae perditae mulieris filiis Manichaicae impietatis restauratoribus sic dicti. De his mira et absona *Photius* refert apud *Euthymium* in Panoplia Tit. XXI. eos nimirum, cum in vehementiorem aliquem morbum inciderint, pretiosam et vivificam Crucem sibi imponere ex ligno factam: tum recuperata sanitate illam confringere, proculcare, et abjicere. Paulicianorum historiam *Petrus Siculus* descripsit saeculo IX, imperante Basilio Macedone cum filiis suis Constantino et Leone, qui se Legatum Imperatoris nomine ad illos profectum, et inter ipsos versatum asserit. Ad hos Crucis inimicos adjungendi sunt Bogomili, Basilii cujusdam discipuli, quem Alexius Comnenus CPolitanus Imperator saeculo XII. CPoli vivum comburi jussit, et Petrus de Bruis in Gallis, qui in accensam struem ex confractis Crucibus congestam, ad quam die Parasceves carnes coquebat, ab indignante populo fuit conjectus. Armeni, quamvis crucem adoraverint, hunc tamen cultum multis superstitionibus foedarunt. Teste enim *Euthymio Zigabeno* saeculi XII. scriptore, in Panoplia parte II. Tit. XX. Crucem, ex quacumque materia constaret, prius non adorabant, quam eam quasi hominem abluissent, et in ejus medio clavum fixissent, Sacrificii sanguine ipsam inungentes. Intelligit autem Euthymius per sanguinem sacrificii sanguinem boum, et id genus animalium sacrificatorum: Armeni enim cultu Judaico immolabant boves, oves et agnos, et victimarum sanguine limina inunge-

bant et Cruces. *Porro clavum*, inquit Euthymius l. c., *ideo figunt in Cruce in Christi nomine, ut ostendant unum Sanctae Trinitatis esse crucifixum, id est, divinam ejus naturam; quo quidem Patrem et Spiritum Sanctum cum Christo crucifigunt*, cum una sit omnium trium personarum natura, et cum Eutychete sentire se fatentur.

DCCCXIV. Saeculo XIV. Wickleffitae, Protestantium proavi, teste Thoma Waldensi, vocarunt imagines Crucis *putridos truncos, cultuque minus dignas, quam arbores sylvarum; has etenim vivere, illas nequaquam.* Ridebant, cum viderent Cruces in templis statui, vel in diademate Regum Angliae fulgere. Ipse Wickleffus baculum pastoralem, Crucem, et similia, deliramenta signaque muta ac putrida; Presbyteros vero vel Praelatos iis utentes, maniacos et insanos vocabat. Nihilo modestiores Wickleffo fuerunt Protestantes. Theodorus Beza in Colloquio Mümpelgardensi ait: *Laudatur Ezechias, quod contriverit serpentem aeneum, cui cultus divinus exhibebatur: ita etiam laudandos existimo eos, qui ad cavendam eamdem idololatriam etiam Crucifixi imaginem abolent, et ex templis, omnibusque locis sacris eliminant.* Calvinus ipse, ut refert Guilielmus Reginaldus Lib. II. Calvino-Turcismi, Cap. XVIII. odio erga sacras Crucifixi Imagines impulsus prohibuit, ne Imago Christi Crucifixi e collo gestaretur. Monenti libenter paruerunt Calvinistae, et loco imaginis Christi gestarunt aureas argenteasque Calvini imagines; de quo cum quidam Calvinum admonerent, respondit: *Siquis hoc spectaculo offenditur, eruat sibi oculos, vel abeat cito, et suspendat se.* Lutherus in Conc. de Exaltat. S. Crucis scribit: *Optarem ut everteren-*

tur omnes Cruces, quae sanguine sudarunt, per quas peregrinationes et aliae nugae introductae sunt, et tot errores et abusus exorti. Et Conc. de Invent. S. Crucis: *Ad diabolum cum ejusmodi imaginibus: nullius enim boni causa sunt. -- Ubi Crux adoratur, auroque et gemmis ornatur, ibi imagines Crucis confringendae sunt, et templa ista funditus subruenda.* Quanto furore in sanctorum, ac Crucifixi imagines, a Calvinianis praecipue saevitum fuerit in Galliis, et Anglia, prolixe referunt *Sanderus*, *Surius*, *Rossaeus*, aliique.

DCCCXV. Triplex circa praesentem materiam oriri potest quaestio. I. An vera Crux, in qua salus nostra pependit, quaeque non tantum inter imagines Crucifixi, verum etiam inter Reliquias, utpote contactu Dominici corporis sanctificata, atque etiam minimae ejusdem Crucis particulae adorandae sint? II. An eadem adoratio deferenda sit etiam Imaginibus Crucis, sive pictis, sive ex alia quacumque materia fabricatis? III. Quid sentiendum sit de Cruce transeunte, quam Christianus quisque manibus in fronte, vel reliquo corpore designat? Ternam hanc quaestionem totidem Conclusionibus expediemus.

DCCCXVI. *Conclusio I.* Vera Crux, in qua salus nostra pependit, est adoranda. Prob. I. Ratione fundata in Scripturis. Vera Crux, in qua salus nostra pependit, fuit ara summi Sacrificii, quo Deus humano generi reconciliatus est; fuit instrumentum liberationis nostrae, ac trophaeum erectum contra diabolum. Ergo vera Crux est adoranda. P. C. Arca foederis in veteri Testamento adorabatur, quia scabellum pedum Dei vocabatur. Ergo multo magis Crux est adoranda, quia per physicum contactum Christi, veri Dei et veri hominis, est sanctificata.

DCCCXVII. Prob. II. Authoritate Patrum, qui maximis encomiis Crucem extollunt, ut videre est apud *Jacobum Gretserum* Tomo I. de Cruce Lib. I. Cap. LV: *S. Chrysostomus* Hom. de Cruce eam vocat *Bonorum omnium copiosam largitionem, salutis indicium, spem Christianorum, laetitiam nostram, triumphum adversus daemones, periclitantium portum, scutum perpetuum, lumen in tenebris sedentium, Ecclesiae fundamentum, orbis terrae tutelam.* S. Athanasius Serm. de Cruce, eam vocat, *Beatam et vivificam, triumphatricem mortis, diaboli profligatricem, gloriam et honorem Christi.* S. Cyrillus Alexandrinus Hom. VI. contra Nestorium, B. Mariam ita alloquitur: *Per te Trinitas sanctificatur: per te Crux pretiosa dicitur et adoratur in toto orbe terrarum.* S. Leo Serm. VIII. de Passione Domini. *Pulchra specie triumphi sui portabat trophaeum, et invictissimae patientiae humeris signum salutis, adorandum populis omnibus inferebat.* S. Ambrosius in Oratione funebri Theodosii. *Sapienter Helena egit, quae Crucem in capite levavit, et locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.* S. Augustinus Enarrat. II. in Psalm. XXXVI. *Cum sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, et finita est: Finita est in poena; manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit poenis suis, quid servat fidelibus suis?* S. Joannes Damascenus Lib. IV. de Fide Orthodoxa Cap. XII. *Omnia quae Deo adjacuerunt, adoramus, ipsi reverentiam et pietatis cultum exhibentes.*

DCCCXVIII. Prob. III. Ex mirabili Sanctae Crucis inventione. *Helena* Constantini Mater, prope octo-

genariae, paulo ante mortem suam, circa A. 326. Jerosolymitanum iter suscepit, ibique peculiari Numinis ductu et admonitu sacrum Dominicae Crucis lignum invenit, ut magno consensu memoriae prodiderunt veteres, *S. Cyrillus Jerosolymitanus* in Epist. ad Constantium Imperatorem, *S. Ambrosius* in Orat. funebri Theodosii Imp. *S. Paulinus Nolanus* Epist. XI. ad Severum, *Severus Sulpicius* Lib. II. Hist. Sacrae. *Rufinus* Lib. I. Hist. Cap. VIII. *Sozomenus* Lib. II. Cap. I. *Theodoretus* Lib. I. Cap. XVIII. Cum enim templum, Venerisque simulacrum, quo Calvarius mons occupabatur, everti jussisset Helena, amota terra, sanctoque detecto sepulcro, ternas ejusdem formae et magnitudinis reperit Cruces sibi invicem adjacentes. Ex iis quaenam illa esset, in quam Redemptor noster fuerat sublatus, omnino erat incompertum. Rufinus, Socrates, Sozomenus, et Theodoretus narrant, in re tam dubia Macarium Jerosolymitanum Episcopum, a S. Helena quid facto opus esset in consilium adhibitum, divino afflatum Numine, singulas quasque Cruces ad matronae cujusdam nobilis corpus, quae in ipso mortis limine versabatur, admoveri jussisse, Deumque deprecatum esse, ut, cuinam ex tribus illis Crucibus Unigenitus ejus Filius esset affixus, significare dignaretur: Aegram, ubi ejus corpori tertia Crux esset admota, valetudini illico restitutam; idque indicio fuisse, in eam Christum Dominum fuisse sublatum. Praeter mulierem semineceem pristinae valetudini restitutam, mortuum etiam ad vitam revocatum fuisse tradunt S. Paulinus Nolanus, Sulpicius Severus, Sozomenus, Beda Lib. de Locis Sanctis Cap. III. et Nicephorus Lib. VIII. Hist. Eccles. Cap. XX. Quamquam et illud insigne videtur fuisse

miraculum, quod verbis S. Paulini Epist. XI. ad Severum describimus: *Ergo Crux Domini, tot operta aetatibus, et Judaeis in tempore passionis abscondita, neque Gentibus in aedificatione fani* (Veneris) *terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus revelata, nonne divina manu latuit, ut tunc inveniretur, cum religiose quaereretur?* Alia miracula, quibus Deus adorationem verae Crucis gratam sibi esse testatus est, silentio praetereo. Hoc unum ex *S. Cyrillo Jerosolymitano* Catech. X. et XIII., et *S. Paulino Nolano* Epist. XI. ad Sulpitium Severum observo, Christianos ex omnibus mundi partibus ad adorandam Crucem Jerosolymas confluere solitos fuisse; et cum erogatis in plurimos hujus pretiosi ligni partibus plenus esset orbis, lignum tamen ipsum integrum semper perstitisse.

DCCCXIX. Prob. IV. Ex antiquissima praxi fidelium et Ecclesiae. Nam I. Julianus Apostata apud *S. Cyrillum Alexandrinum* Lib. VI. contra Julianum, objicit Christianis cultum Crucis. *O miseros*, inquit, *qui Crucis lignum adoratis.* At Julianus non potuisset Christianis crimini dare Crucis venerationem, nisi eam vidisset apud omnes usu diuturno receptam. II. Magnifica extructa fuerunt templa in honorem S. Crucis saeculo IV., ea jam per Helenam inventa. Helena incredibili gaudio perfusa, ut testatur *S. Paulinus* Epist. XI. ad Severum, Jerosolymis *digno mox ambitu Crucem consecravit, condita in Passionis loco Basilica, quae auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam sacrario Crucem servat; quam Episcopus Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit.* Constantinus ipse Romae in Palatio Ses-

soriano, apud Veneris et Cupidinis templum, eo diruto, post inventam ab Helena Matre Crucem, aedificavit insignem Ecclesiam, Sanctissimae Crucis signo sacram, cui praeclaras, quas diversis temporibus obtinuerat, victorias gratus adscripsit; in qua etiam Crucis repertae partem religiose collocavit, ut testatur *Anastasius Bibliothecarius* in Vita S. Sylvestri Papae. III. Veteres maximo flagrabant desiderio potiendi particula de Sanctissimo Crucis ligno, ut praeter S. Cyrillum Jerosolymitanum, et S. Paulinum Nolanum S. Chrysostomus testatur, qui in Hom. Quod Christus sit Deus, scribit: *Ipsum lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, et crucifixum, quanto omnium studio expetitur? Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes viri pariter ac foeminae de collo suo suspendunt; idque ornamenti loco habent.* IV. Christiani magni muneris loco mittebant sibi mutuo particulas S. Crucis. Perbreve S. Crucis segmentum per Melaniam Matronam Romanam misit S. Paulino Nolano Joannes Jerosolymitanus, quod Paulinus rursus dividens, nomine Theresiae suae misit ad Passulam socrum Severi. Juvenalis Jerosolymitanus simile donum submisit S. Leoni M. In fine enim Epist. LXXII. scribit S. Leo: *Particulam Dominicae Crucis cum eulogiis dilectionis vestrae veneranter accepi.* Reccaredum Regem Visigothorum in Hispania, et Adulowaldum Theodelindae filium, Longobardorum Regem S. Gregorius M. Cruce donavit, in qua praeter alias reliquias continebatur particula de sanctissimo Crucis ligno.

DCCCXX. Quod de Cruce diximus, intelligendum est pariter de clavis, quibus Christus Cruci est affixus: de Lancea, qua latus ejus perfossum est, de spongia

per quam potatus, de titulo Crucis, de columna ad quam alligatus est, cum flagellis caederetur, deque aliis Dominicae passionis instrumentis, tactu vel sanguine Christi consecratis, v. g. de Corona spinea, vel sacro Sepulcro. Est enim omnium eadem ratio, et omnia haec instrumenta Majores nostri semper tamquam pretiosissimas Reliquias pie coluerunt. S. Chrysostomus Hom. de Crucis veneratione, scribit: *Amo claves, arundinem, lanceam, et spongiam suscipio; pro regia corona coronam ex spinis ad caput accomodo.* Rusticus Diaconus saeculi VI. Scriptor in Disputatione contra Acephalos ait: *Clavos, quibus confixus est Christus, et lignum Venerabilis Crucis omnis per totum mundum Ecclesia, absque ulla contradictione, adorat.* Patres Nicaeni II. Act. VII. clamant ad Christum: *Lanceam, quae vivificans latus sanctitatis tuae aperuit, adoramus.* S. Hieronymus Epist. XVII. ad Marcellam: *Martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculi apponentes, si liceat, etiam ore contingimus; et monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, et angelis ejus; qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt, et sero dolent crucifixisse quem timeant.* S. Joannes Damascenus Orat. III. de Imaginibus: *Crucis lignum veneramur et colimus, et clavos, et spongiam et arundinem, et lanceam illam sacram et salutiferam, et vestem, et tunicam, et lintea, et fascias.*

DCCCXXI. *Conclusio II.* Imagines Sa[illegible] tam pietatis, quam ex alia quacumque [illegible]

Cc

bricatae, sunt adorandae. Prob. I. Authoritate Patrum, qui non veram modo Crucem, verum etiam illius quoque imaginem nobis commendant. *S. Cyrillus Jerosolymitanus* Catech. XIII. *Crux*, inquit, *omnes congregavit, Persas servire fecit, Scythas cicuravit, Aegyptios a cattis et canibus ad Dei cognitionem adduxit. Curat morbos, daemones fugat, veneficiorum et incantationum evertit imposturas: cum Jesu apparebit in coelo.* S. Augustinus Serm. LXXXVIII., alias XVIII. de verbis Domini. *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine saeculi, prius honoravit Crucem in hoc saeculo; ut terrarum Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi: et quod cum magna insultatione persecutores Judaei Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam Reges in fronte nunc portant.* S. Hieronymus Epist. ad Eustochium de obitu Paulae. *Prostrata*, inquit, *ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* S. Chrysostomus Tomo VI. Hom. LXI. Quod Christus sit Deus, scribit: *Quippe Reges deposito diademate Crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis vestibus Crux inest: in diadematibus Crux: in orationibus Crux: in armis Crux: in sacra mensa Crux: et ubique terrarum Crux Sole ipso clarius refulget.* S. Asterius Amasenus in Orat. de S. Euphemia: *Huic porro pre-santi supra caput apparet signum, quod ex praescripto legis Christiani adorant.* Theodoretus Serm. VI. contra Graecos: *Graeci, Romani, ac barbari crucifixum profitentes Deum, Crucisque signum venerantes.*

DCCCXXII. Prob. II. Rationibus, quas *Leontius* N[illegible] in Cypro Episcopus Lib. V. Apologiae con-[illegible], atque ex eo *S. Joannes Damascenus*, ac [illegible]

Nicaenae II. Synodi Patres afferunt. I. Crux est quasi sigillum, character, et annulus Christi, quo omnia sua in nos beneficia consignavit. II. Filii genuini amant et honorant omnia, quae pertinent ad patrem absentem, cujus praesentiam ardentissime desiderant. Cum igitur Crux sit aliquid Patris nostri qui nunc in coelis est, par est ut illam honoremus, ne illegitimi filii videamur. III. Qui amat, et colit Regem, is licite etiam colit ea quae sunt Regis. Ergo qui amat et colit Christum, licite etiam amat et colit signum Christi, quod est Crux. IV. Amorem nostrum erga amicos, propinquos et filios externis argumentis licite et honeste testamur: Ergo etiam erga Crucem, quae Christum nobis repraesentat. V. Jacob Patriarcha adoravit fastigium virgae Joseph, Pharaonem Regem Aegypti, et fratrem suum Esau: Moyses adoravit Jethro socerum suum, etc. Ergo multo magis fas erit colere Crucem Christi, utique praestantiorem virga Josephi, cultuque digniorem. VI. Absente Rege licite colitur imago illius. Ergo cum Christus Rex noster specie aspectabili a nobis absit, decet ut Crucem, imaginem ejus, honoremus. VII. Crux nos inducit ad recordationem omnis boni, et omnis virtutis. Ergo jure colitur et adoratur a fidelibus. VIII. Antiqui Patres, Ecclesiae Doctores, sanctimonia et eruditione excellentes, honorarunt Crucem, et honorandam esse docuerunt. Ergo, cum Patres sequi teneamur ut Duces Religionis, recte a nobis Crux honoratur. Profecto Sectariis inimicis Crucis Christi merito applicari potest illud S. Ignatii Martyris in Epist. ad Trallianos scribentis: *Hi non sunt plantatio Dei Patris, sed maledicta germina. Omnis autem plantatio, inquit Dominus, quam non plantavit Pater meus coelestis, era-*

dicetur. Quod si fuissent rami Patris; non utique essent inimici Crucis Christi; sed sunt rami illorum, qui occiderunt Dominum gloriae.

DCCCXXIII. Prob. III. Ex Vita Constantini Magni Imperatoris. Eusebius Caesariensis Lib. I. de Vita Constantini Cap. XXII. refert. *Cum jam sol ad medium coelum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit se Crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso coelo, soli imminens, manifesto oculis adspexisse, inque eo inscriptionem consignatam*: In Hoc Vinces. Atque haec ex ipsius Constantini ore accepit Eusebius. Insecuta nocte de ostento illo anxie cogitanti Constantino per quietem apparuit Christus Dominus cum eodem signo, praecepitque, ut ad ejus, quod viderat, similitudinem aliquod fabricandum curaret, quo tamquam certissimo praesidio contra hostiles impetus in praeliis uteretur. Quod subinde praestitit, atque ex auro gemmisque pretiosissimis Crucis effigiem elaborari jussit. Certe victoriam de Maxentio relatam sanctae Cruci gratus adscripsit Constantinus. Obtenta enim victoria, Romae statuam suam collocavit, quae dextera Crucis signum tenebat cum hac latina inscriptione: *Hoc Salutifero Signo, Et Vero Fortitudinis Documento Urbem Vestram a Jugo Tyranni Asserui, et Senatum Populumque Romanum Pristinae Dignitati ac Amplitudini Reddidi.* Hoc salutari signo, veluti fortissimo munimento adversus hostiles infestasque vires perpetuo usus est Imperator, et ejusdem expressas figuras praeire deinceps mandavit Exercitibus suis. Hoc signo non Maxentium modo, verum etiam Maximinum, atque iterato Licinium Imperatorem devicit, ut idem refert *Eusebius* Lib. II. de Vita Constan-

tini. Hinc pius Imperator Christi nomen et Crucem in galea et clypeo gestavit, statuas suas Cruce ornavit, globo Imperatorio Crucem addidit, monetam signo Crucis consignavit, ejusque exemplum posteriores Imperatores secuti sunt, ut erudite ostendit *Jacobus Gretserus* Tomo I. de Cruce, Lib. II. Alias apparitiones Crucis, quae contigerunt, sub Constantio, Juliano, Leone Isaurico, aliaque prodigia virtute Crucis patrata, silentio praetereo, de quibus fuse et solide agit *Gretserus* l. c.

DCCCXXIV. *Quaeres I.* Quo genere cultus adoranda sit Crux vera, aut imago illius sive picta, sive ex materia quacumque fabricata? R. Utramque colendam esse cultu non absoluto, sed relativo, nimirum ob infinitam excellentiam illius quem exhibet, aut cujus contactu sanctificata est; non vero ob propriam excellentiam, cum ea nullam in se habeat, praescindendo ab illo quem exhibet, aut quem pendentem sustinuit. Ita Patres et Theologi, quibus conformis est S. Joannis Damasceni sententia Lib. IV. de fide Orthodoxa Cap. XII. *Adoramus figuram pretiosae ac vivificae Crucis, tametsi ex alia materia facta est, non materiam venerantes, absit hoc, sed figuram tamquam Christi signum.* Quasi dicere vocabulis in schola usitatis: Non adoramus imaginem Crucis *materialiter*, sed *formaliter*, quatenus imago est, et repraesentandi vim habet. Hinc si materiam, ex qua figura Crucis exprimitur, post figurationem dissolvi contingat, non amplius adoranda est. Quod intelligi debet de Crucibus, quae tantum sunt imagines: nam omnes particulae etiam minutissimae verae Crucis sunt adorandae; quia omnes sunt Reliquiae.

DCCCXXV. *Quaeres II.* An cultus, qui verae Cruci, aut Crucis imagini defertur, sit supremus cultus adorationis, seu latriae? R. non unam esse Catholicorum Doctorum sententiam, si verba spectentur; quamquam in ipsa re convenire videantur. *Alexander Alensis*, quem sequuntur *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Marsilius*, *Cajetanus*, *Valentia*, *Gretserus* etc. putant Crucem Christi adorandam esse adoratione latriae, non proprie quidem, sed per accidens, et propter aliud, nimirum ob excellentiam infinitam Christi, quem repraesentat, vel cujus contactu sanctificata est. Contra *Bellarminus*, *Tournely*, aliique, qui mihi castigatius loqui videntur, negant Crucem cultu latriae adorandam esse, probantque assertionem suam I. ex natura latriae, quae est cultus soli Deo propter se debitus ut primo rerum omnium principio. Ergo, ajunt, cultus latriae Cruci deferri non potest. Putant nimirum latriam relativam esse chymaeram, eoquod de essentia verae latriae sit exhibere illi, quem ita colimus, eum honorem propter se, non propter alium. Praeterea, inquiunt, vel ista latria quae exhibetur Cruci propter aliud, est idem cultus cum eo qui exhibetur Deo, vel alius minor: si idem; ergo aeque colitur creatura ac ipse Deus, quae certe idololatria est: si verus cultus ille minor est, non ergo est latria; haec enim summus cultus est. Probant II. ex Concilio *Nicaeno* II. in quo Patres Actione VII. statuunt, imaginibus etiam Christi non aliam quam honorariam impendi adorationem. *Et ad honorariam*, inquiunt, *his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae Crucis, et sanctis E-*

vangeliis, *et reliquis sacris monumentis*, *incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur*. III. Ex Patribus, v. g. S. Ambrosio, qui in Orat. de obitu Theodosii, ait de S. Helena Constantini Matre: *Invenit ergo titulum*. (Crucis) *Regem adoravit*, *non lignum utique*; *quia hic gentilis est error*, *et vanitas impiorum*: *sed adoravit illum*, *qui pependit in ligno*, *scriptum in titulo*. Ajunt itaque, sicuti calices, corporalia, patenae, quamvis contactu corporis Christi sanctificentur, non adorantur a fidelibus cultu latriae; ita pariter latriae cultu adorari non posse Crucem, sed tantum hyperduliae, et quidem non absoluto, sed relativo.

DCCCXXVI. Quod si dicas I. communem esse ac tritam Christiani populi vocem, quod Crux adoretur. II. De Cruce ab Ecclesia cani: *o Crux ave spes unica*: *auge piis justitiam*, *reisque dona veniam*. III. Honorem imaginis transire in exemplar, adeoque eumdem esse honorem imaginis et exemplaris. R. ad I. Voce adorationis non latriae tantum, sed etiam hyperduliae aut duliae cultum significari, ac per eam vocem denotari; quod fideles Cruci majorem honorem ac cultum deferant, quam imaginibus Sanctorum. Ad II. R. illis verbis Crucem accipi pro ipso Christo, a quo salutis praesidia petimus. Ad III. N. C. Licet honor imaginis transeat in exemplar, non sequitur eodem plane honore imaginem cum exemplari, seu prototypo honorari. Sic major veneratio ipsi Regis personae debetur, quam ejus imagini.

DCCCXXVII. *Conclusio III*. Antiquissimus ac saluberrimus est usus formandi Crucem in aere, fronte, vel pectore. Prob. Antiquitas piae hujus consuetudinis ex Patribus. Tertullianus Lib. de Corona militis, Cap.

III. ait: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix.* Origenes Hom. VI. in Exodum: *Quid timent daemones? Quid tremunt? sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum et potestates. Timor ergo et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in Cruce.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. postquam dixisset, dogmata Ecclesiae partim ex Scriptura, partim ex traditione haberi, quorum utraque parem vim habeant ad pietatem, subjungit: *Ut quod primum est et vulgatissimum commemorem primo loco, ut signo Crucis eos qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?* S. Cirillus Jerosol. Cath. IV. *Non erubescamus Crucem Christi. Sed licet alius hanc celet, tu palam in fronte signare: ut daemones, signo illo regio conspecto, procul trepidantes fugiant. Hoc vero signum facito manducans et bibens, sedens, cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans; et ut uno verbo dicam: in omni re.* S. Hieronymus in Cap. X. Ezechielis. *Antiquis Hebraeorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau littera Crucis habet similitudinem: quae in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur.* Idem Epist. ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, et crebro signaculo Crucis munias fron-*

tem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat; sed primogenita, quae apud Aegyptios pereunt, in tua mente salventur. S. Ambrosius Serm. XXXXIII. *Debemus surgentes gratias Christo agere, et omne diei opus in signo facere Salvatoris. Nonne cum adhuc Gentilis esses, solebas signa perquirere? Quae signa, quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Jam nunc nolo errores in numero. Scito, quia in uno signo Christi, omnium rerum est tuta prosperitas: qui in hoc signo seminare coeperit, vitae fructum consequetur aeternae: qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad coelum usque perveniet.* Similia habent S. Augustinus Tract. III. L. et LIII. in Joannem, *S. Chrysostomus* Hom. X. in Actus Apostolorum, et Hom. XII. in I. ad Cor. *S. Gaudentius Brixiensis* Serm. VIII. etc.

DCCCXXVIII. Uberrimam Sacratissimi hujus signi utilitatem esse ex eo probatur, quod hoc signo fugari soleant daemones, et admiranda quaeque perfici. *Tertullianus* initio Scorpiaci scribit, Christianos signando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis saepe prodesse. *S. Epiphanius* Haer. XXX. narrat de Christiana foemina, quod signi Sanctae Crucis virtute liberata sit a procacis et lascivi juvenis insidiis, qui magicis praestigiis illam ad amorem sui pellicere studebat. Narrat *Idem* l. c. Josephum Comitem, nondum Christianum, signo Crucis daemones expulisse, ac deinde Christianum effectum eodem signo incantationes Judaeorum destruxisse. *Theodoretus* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. III. et *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. I. in Julianum scribunt, Apostatam illum magicis sacris operatum, subitoque terrore perculsum, Cruce se consignasse, hujusque signi virtute victos daemones illico disparuisse;

S. Athanasius in Lib. de Incarnatione Verbi signo Crucis miram ad effugandos daemones vim inesse confirmat, eoque argumento utitur ad Christi Divinitatem ac potentiam contra Gentiles asseverandam: *Nam solo Crucis signo utens homo fraudes illius* (daemonis) *repellit*. Tum paulo post quemlibet e Gentilium numero provocat ad rei hujus periclitandam fidem. *Utatur*, inquit, *signo Crucis, quam irridere solet, Christo solum nominato: ac videbit quemadmodum per ipsum daemones quidem fugiunt, oracula vero cessant, porro magica vis omnis, et venefica irrita redditur*. Quin Idem in Vita S. Antonii scribit, hunc signi illius praesidio daemonum impetus minasque superasse, cum ita diceret: *Signum enim Crucis, et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est*. Tum ad eos, qui visendi sui causa convenerant, et daemonum cum ipso certamina, et clamores audiebant, *Signate vos*, inquiebat, *et abite securi*. Eodem armatus auxilio Antonii imitator Hilarion cum daemonibus assidue luctabatur, de quo S. Hieronymus in Vita ejus scribit: *Provolutus genibus Christi Crucem signavit in fronte: talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius praeliabatur*. Vide *Petavium* Theol. Dogm. Tomo VI. Lib. XV. Cap. X. et *Jacobum Gretserum*, qui Tomo I. de Cruce toto Libro IV. rem hanc multis illustrat.

OBJECTIONES.

DCCCXXIX. *Objicitur I.* Infirmitas argumenti. Quae de Inventione S. Crucis narrantur, fabulam olent. Ergo ex illis evinci nequit cultus Crucis. P. A. I. *Eusebius* exactissimus Historiae Ecclesiasticae, ac vitae

Constantinianae Scriptor synchronus, nullibi illius meminit, facturus certe rei tam stupendae ac novae mentionem aliquam, siquidem inventa vera Crux ab Helena fuisset. Ergo longe probabilius inventio illa posteriorum Scriptorum est commentum. II. *S. Gelasius I.* ad finem saeculi V. in Concilio Romano reprobavit scripta de Inventione S. Crucis, vel saltem ea non omnino probavit; sed Lectori Catholico studiose commendavit, ut maturo judicio seligat ea, quae bona et recta, eaque a pravis et falsis segreget. In Canone enim *Sancta Romana* Distinct. XV. hoc de ea historia tulit judicium: *Item scripta de Inventione S. Crucis Dominicae, et alia scripta de inventione Capitis S. Joannis Baptistae novellae quaedam relationes sunt, et nonnulli Catholici eas legunt; sed cum haec ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apostoli sententia praecedat: Omnia probate: quod bonum est, tenete.* R. N. A. Ad probat. R. I. O. A. N. C. Silentium Eusebii praejudicare non potest authoritati et fidei tot clarissimorum Scriptorum, qui concordi voce et calamo Crucem ab Helena Matre Constantini Jerosolymis repertam fuisse tradunt, Ambrosii, inquam, Cyrilli Jerosolymitani, Rufini, Sulpitii Severi, Paulini Nolani, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Cassiodori, Prosperi, Justiniani Imperat. Hormisdae, Andreae Cretensis, Adonis, Bedae, Theophanis, Isidori, Zonarae, Cedreni, Nicephori, Alexandri Monachi, Glycae, Julii Pollucis, Berengosii Abbatis ad S. Maximini etc. Certe, ante Ambrosium, quem historiae hujus authorem volunt Protestantes, S. Cyrillus Jerosolymitanus Epistola ad Constantium Imperatorem circa A. 350. scripta, ait: *Ac tempore quidem Deo dilectissimi, beataeque memoriae Patris tui*

Constantini, *salutare Crucis lignum Jerosolymis inventum est*: *divina gratia ei*, *qui pietatem recte quaerebat*, *etiam occultorum Sanctorum locorum inventionem annuente*. R. II. N. A. Eusebius ejus rei mentionem injecit in Vita Constantini Lib. III. Cap. XXIX. ubi Imperatoris *Constantini* Epistolam affert ad Macarium Jerosolymitanum Episcopum. *Tanta est*, inquit Imperator, *Servatoris nostri gratia*, *nullus ut orationis cultus praesentis miraculi dignitatem assequi possit. Etenim monimentum illius sanctissimae Passionis*, *jam pridem sub terra delitescens*, *tanto annorum spatio occultatum fuisse ad id usque tempus*, *quo*, *communi omnium hoste sublato*, *in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet*, *omnem revera superat admirationem. Nam si omnes*, *quotquot per orbem universum videntur esse sapientes*, *in unum convenientes*, *dignum aliquid re tanta eloqui voluerint*, *ne cum minima quidem ejus parte certare poterunt. Tantum quippe naturam omnem humanae intelligentiae capacem vincit illius magnitudo miraculi*; *quanto coelestia constat humanis esse potiora*. Hac Epistola probe expensa *Bollandi* Continuatores ad Diem XVIII. Augusti in Vita S. Helenae concludunt, Eusebium citata Epistola probabilius indicasse inventionem S. Crucis. Praeterea in Chronico Eusebii, a S. Hieronymo Latine reddito, legitur: *Helena Constantini Mater*, *divinis monita visionibus*, *beatissimum Crucis signum*, *in quo mundi salus pependit*, *apud Hierosolymam reperit*. Quae verba quamvis in aliquibus manuscriptis desiderentur, in multis tamen inveniuntur, ut testatur *Arnaldus Pontacus*, qui Eusebianum Chronicon diligentissime cum manuscriptis codicibus contulit. Ad II. R. C. A. N. C.

S. Gelasius loquitur de Actis, in quibus dicitur Sanctam Crucem Judaeorum opera inventam fuisse, prodente Juda, qui suscepto postmodum Baptismo Quiriacus appellatus fuisse narratur. At vero sermo illi minime fuit de monumentis veterum Patrum et Historicorum, quibus Crucis inventionem celebrarunt, et posteritati consignarunt; quorum scripta, nempe S. Ambrosii, S. Cyrilli, S. Prosperi etc. in eodem Decreto calculo suo approbavit S. Gelasius.

DCCCXXX. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. S. Ambrosius in Orat. funebri Theodosiana scribit de Helena Crucis inventrice: *Regem adoravit, non lignum: quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno.* Ergo sensit Crucem non esse adorandam. II. Minucius Felix in Octavio, Gentili homini Caecilio, qui Christianis exprobrabat, quod *hominem summo supplicio pro facinore punitum, et Crucis ligna feralia colerent*, respondit: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus.* Ergo primis Ecclesiae saeculis Cruci nulla deferebatur adoratio. R. ad I. N. C. Juxta S. Ambrosium Helena cultum detulit Cruci relativum, non absolutum. Ad II. iterum. N. C. Gentiles, cum viderent Christianos magno honore Crucem prosequi, eamque in fronte, vel in aere ab eis formari, putabant honorem illum a Christianis cuicumque Cruci etiam puniendis reis destinatae deferri, eumque omnino latreuticum esse. Hinc Christiani respondebant, Crucem a se non coli divinis honoribus, neque etiam a se exoptari tamquam rem gratam, aut illam beneficii loco se habere, nisi id supplicii genus irrogaretur in odium Christi.

DCCCXXXI. *Objicitur III.* Ratio. Crux attulit Christo dolorem et ignominiam. Ergo pii Christiani detestari eam potius debent, quam colere. P. C. Filius qui patibulum coleret, in quo parens ejus fuisset suspensus, omnium judicio impius haberetur. Ergo etiam impius dicendus est Christianus, qui Crucem colit, in qua Christus pependit. Ita olim Petrobrusiani. *Confirm.* Cultores Crucis imitantur hostes Christi, qui, lugentibus discipulis, gaudebant de Cruce et passione Domini. Ergo. R. N. C. Crux attulit quoque Christo gloriam, honorem, et exaltationem nominis in universo orbe, ideoque jure optimo a Cristianis colitur. Ad *probat.* C. A. N. C. Qui in patibulo suspenduntur, nihil ordinarie loquendo lucrantur, quam infamiam et mortem. Contra vero Christus in Cruce non sua, sed aliena crimina expiavit: Crucem, abstersa omni infamia, pretioso sanguine suo tinxit, ac virtute miraculorum exornatam, gloriosam reddidit, atque ab omnibus honorandam. Ad *confirmat.* N. A. Inimici Christi laetabantur ob mortem illi illatam: nos vero Crucem adorantes gaudio afficimur, non ob ignominiam et cruciatum Christi, sed propter honoris et gloriae amplitudinem, quae ex Crucis supplicio in Christum redundavit, atque ob ingentia commoda, quae ex Cruce Christi in nos derivantur.

DCCCXXXII. *Objicitur IV.* Sequela. Si Cruces a nobis coluntur, quia Christus pependit in Cruce, pari modo colere oportebit omnia sepulcra, omnes spinas, clavos, lanceas, spongias, arundines, flagella, columnas etc., quia Christus in quodam sepulcro conditus est, spinis coronatus, lancea confossus, flagellis conscissus etc. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Ita olim

Claudius Taurinensis. R. N. M. Omnes Cruces fiunt ad imitationem verae Crucis, et Christi in ea expansi; nec alium habent usum civilem, saltem post Legem Constantinianam, qua cautum est, ne deinceps rei Cruci affigerentur, quam ut veram Crucem, vel Christum repraesentent. Contra non omnia sepulcra, clavi, lanceae, arundines, flagella, columnae etc. fiunt ad repraesentandum sepulcrum Domini, aut clavos, quibus Cruci confixus est etc. sed ad alios usus plerumque destinantur. Quare merito honoramus omnes Cruces, utpote imagines Christi, et verae Crucis, non autem omnia sepulcra, omnes clavos, lanceas, flagella. Siquis tamen sepulcrum aut praesepe construat, aut clavos sibi fabricet, aut spinas sibi deligat ad imitationem et repraesentationem veri sepulcri, praesepis, clavorum aut spinarum, dubium non est, quin coli possint; induunt enim tunc et subeunt rationem imaginis: omnis autem imago rei sacrae religiose colenda est: quod Ecclesiae moribus et usu receptum esse videmus.

DCCCXXXIII. *Dices I.* Si vera Crux, clavi, spinae et lancea coluntur propter contactum corporis Christi, sequeretur coli etiam a nobis posse labia Judae, manum servi, qui alapam Christo in domo Annae inflixit: immo ipsum etiam asinum, cui Christus die Palmarum insidebat. Atqui haec perquam absona sunt. Ergo. R. N. M. Labia Judae, quae sacratissimum Christi os contigerunt, et manus Carnificum, qui Dominum percusserunt, vel crucifixerunt, fuere partes hominum sceleratorum, ac proinde contactu Christi minime consecratae sunt. Creatura enim rationis particeps, cum liberam habeat voluntatem, sanctificationem nullam suscipit, nisi ipsa sese disponat, et obicem perversitatis amo-

veat. At vero Crux, spinae, clavi, lancea, flagella etc. licet fuerint instrumenta improborum hominum, sunt tamen res natura sua innoxiae, et nulla perversa voluntate praepeditae: atque ob id honoris relativi capaces. Quam ob rem Crucem, et alia Passionis Dominicae instrumenta inanimata recte colimus; non autem illa, quae hominum scelestissimorum partes fuerunt. Ad asininum illud argumentum, quo saepe adeo oblectantur Protestantes aliqui, R. N. M. Ea tantum colenda sunt, quorum cultus nullam praesefert absurditatem, hominumque recte sentientium offensionem. Author libri Quaestionum ad Antiochum ait: *Christus per asinum non devicit diabolum, neque in eo salutem operatus est, sed in Cruce. Unde asinum quidem si videant daemones, non horrent, neque metuunt; videntes vero Crucem, terrentur, fugiunt, et evanescunt.* Denique hac in re non mediocris est Ecclesiae authoritas, quae a Christo sponso suo edocta, numquam venerari asinum consuevit, sed tantum instrumenta passionis Christi.

DCCCXXXIV. *Dices II.* Saltem sequeretur juxta Catholicos Crucem esse Sacramentum, adeoque non VII, sed omnino VIII. dari Sacramenta. Ergo. P. A. Ex una parte *S. Ambrosius* Serm. LVI, et *S. Cyprianus* Lib. de Exhortatione Martyrii ad Fortunatum, vocant *Sacramentum Crucis*: ex altera parte Crux plurimum valere dicitur adversus daemones ex opere operato, quia Ethnici etiam et Judaei sine fide in Christum, modo intendant facere, quod faciunt Christiani, Cruce daemones abigunt. Ergo Crux est Sacramentum. R. N. A. Ad *probat.* R. C. A. N. C. Per Sacramentum non intelligitur ab Ambrosio et Cypriano signum practicum gratiae sed reconditum aliquod mysterium. Quamvis vero Crux vim il-

lam habeat etiam ex opere operatos Sacramentum tamen dici non potest, id est, signum practicum gratiae; tum quia non est ordinata ad conferendam gratiam justificantem: tum quia non habet effectum infallibilem, quae duo tamen necessario requiruntur ad rationem Sacramenti novae Legis.

DCCCXXXV. *Objicitur V.* Superstitio hujus adorationis. Quamvis certum sit, Christum tribus, vel ut probabilior tenet sententia, quatuor clavis Cruci affixum fuisse, Catholici tamen XXV. omnino clavos adorant, quos recenset *Justus Fontaninus* Archiepiscopus Ancyranus in libro de Corona ferrea Langobardorum. Ergo saltem cultus ille, qui tot clavis defertur, a superstitione excusari nequit. R. C. A. N. C. Multiplicatio clavorum Christi oriri potuit I. ex eo, quia praeter quatuor clavos, quibus manus pedesque Christi confossi fuere, alii transversam Crucis partem, vel titulum affigebant. II. Aliqui clavi, quos fideles nunc venerantur, fortassis parvas tantum particulas scobis verorum clavorum continent. Videtur namque ille, qui Romae in Ecclesia Sanctae Crucis in Jerusalem colitur, acumine carere. III. Fideles aliquos fortassis clavos, veris omnino similes elaborarunt, quos post contactum illorum, qui in Passione revera adhibiti sunt, diligenter in sui solatium conservarent. Ex quibus manifeste patet, cultum illum non esse superstitiosum, cum referatur ad Jesum Christum, ejusque Passionem, cujus memoriam renovant tum vera ejus instrumenta, tum etiam istorum imagines. Porro quae de clavis modo diximus, accommodanda sunt etiam vesti inconsutili, sindoni, spinis, aliisque rebus, quae ex contactu Sacratissimae humanitatis Christi sanctitatem aliquam contraxerunt. Si namque id genus reliquiae plu-

ribus in locis reperiantur, id factum est ex iisdem rationibus, quae Clavorum numerum propagarunt. Vide *Honoratum a S. Maria* Lib. V. Animadversionum in regulas et usum Critices, Dissertat. V. Articulo V.

O. A. M. D. G.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM
QUAE
IN POSTERIORI PARTE TRACTATUS III. DE ECCLESIA CONTINENTUR.

A

B

D

E

F

G

H

I

M

Q

R

S

T

V

O. A. M. D. G.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
5	7	ECAPIT	CAPITE
13	16	Prugatorii	Purgatorii
14	16	ustorum	justorum
22	30	meritricem	meretricem
ibi	31	magnitucine	magnitudine
25	25	Ramamque	Romamque
36	18	aperuit	aperiet
ibi	30	ipsum	ipsam
34	20	Primatum	Primatu
36	28	sant	sunt
42	3	omnibas	omnibus
43	9	Dominus	Dominis
48	29	Ecclesiae	Ecclesia
49	2	at	lib.
50	9	qaid	quid
63	3	apelationes	apellationis
65	9	Alexandrinm	Alexaudrinum
87	7	ut	et
100	12	quia	qui
101	1	Religione	Electione
150	15	suis	sui
154	19	Sit qnodque	quodque
155	6	Principes	Princeps
156	1	dooet	docet
158	11	immundis	immunis
221	25	ac	ad
241	31	ap	ad
253	20	Catahumeni	Catechumeni
278	3	essente	esseut
298	24	Parochus	Parochos
301	3	coluit	voluit
310	22	extraordinarius	extraordinarios
311	30	Alexandrinus	Alexandrinos
318	2	prominentiam	praeminentiam
334	21	Quid	Quod
342	29	se	es
356	31	Filii	Fili
375	18	licentiae	licentia
377	20	est	es
379	6	facimas	facimus
390	7	hominem	hominum
5	1	obstingi	obstringi
441	3	Scriptura	Scripturae

446	13	opinior	opinor
449	3	puniorem	puriorem
457	19	emplecti	amplecti
478	21	Poycarpi	Polycarpi
480	30	λατρχει	λατρεια
492	1	iilum	illum
493	11	Soli	Soli Deo
499	3	ab	ad
503	16	si haec	sic haec
512	14	absunt	adsunt
519	32	alii Sancti	alii Sancti quam
524	2	trimphante	triumphante
527	10	saepue	saepe
528	24	hac	hae
530	13	Ethenici	Ethnici
532	25	auctorum	Sanctorum
535	24	magnum	magnam
536	28	Carthaginensa	Carthaginense
548	21	Ecclesiaa	Ecclesiae
551	26	faeitius	facilius
570	15	hac	ac
571	5	pietas	pictas
579	29	eollectis	collectis
597	19	sicquo	sicque
599	1	virtute	virtutes

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Cand. M. Frattini Arch. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sacri Palatii Apost. Magist.